00050911

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 25 June, 2016

THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI

Regiomontani

HISTORIA OSRHOENA

et

EDESSENA

EX NVMIS ILLVSTRATA

In qua, Edeſſae vrbis, Oſrhoëni regni, Abgarorum regum, praefectorum Graecorum, Arabum, Persarum, Comitum Francorum, ſucceſſiones, facta, res memorabiles, a prima origine vrbis ad extremas fere tempora explicantur.

PETROPOLI
Ex Typographia Academiae
clɔ ɔɔccxxxiv.

CRI
Lot 937
Box/Reg
50911
00050911

ERNESTO IOANNI

S. R. I. COMITI

BIRONIO

IMPERATORIAE MAIESTATIS

TOTIVS RVSSIAE

SUPREMO CAMERARIO

ORDINVM S. ANDREAE AQVILAE POLONICAE

ET S. ALEXANDRI

EQVITI

CASTRI VENDENI ET TERRARVM FREYDEN BERGAE PALZEMERI SVETEHOVI PLATHONES MVREMVISES

DOMINO HEREDITARIO

HOLMENHOVI ET VURZAVENSIVM PRAEDIORVM

DOMINO

CET. CET.

QVEM VIRTVS ET HONOR SACRATA SEDE LOCATVM
CERTANT MVNERIBVS CONDECORARE SVIS.

MAGNI ANIMI MERITVM PIETASQVE FIDESQVE CANVNTVR
PARVA SED MEMORI TEMPVS IN OMNE CHELY.

VT de ANNA AVGVSTA assiduissime cogitemus, eius nos singuli dies nouo quopiam ad maiestatem splendore et ad regiarum mentium admirationem imitationemque proposito exemplo, nouo

in publicam aut imperii aut orbis terrarum ſalutem beneficio admonent. Ita fit, vt nobis frequenter ante oculos obuerſeris, Illuſtriſſime Comes, cui quantam ſacrarum curarum partem diuinus ille animus commendare ſoleat, quamuis non perinde, vt, qui iſta in luce viuunt, perſpiciamus, tamen vel hac in vmbra audiendo fruendoque ſentimus. Quae nos ſic recordamur, vt tuam Excellentiam colamus, virtutes autem tuas, dicam enim plebeio verbo, ſed proprio et vero, diligamus. Iſtam ex AVGVSTAE de te exiſtimatione incomparabilem gloriam, quae neque huius imperii regionibus, neque omnium iam regnorum finibus continetur, hanc a populo mercedem, tuae in AVGVSTAM fidei, multarum deinde laudum, quarum in te tuique ſimilibus ne nomina qui-

quidem ſatis ampla reperimus, conſecutus es. Sunt haec eiusmodi, vt á me pro dignitate praedicari dicendo nequeant. Nam de tua Excellentia et de virtutum tuarum promeritorumque omni genere tam magnifice ſentire poteſt nemo, quin ipſa re ſis ſuperior: tam copioſe autem exquiſiteque quid poteſt dici, quin tanto et tam graui accuratoque AVGVSTAE de te iudicio ignobilius ſit? Si quid tamen eſt, quod ſecundum illius gratiam et conſcientiam iſtam tuam recte honeſteque factorum, tibi in maximis occupationibus tuis leuamentum aliquod adferat, iſthinc, quomodo mihi perſuadeo, nihil eſt aliud, quam, tametſi ſimplex, at directa omnium de tuarum virtutum amplitudine confeſſio. Quam equidem, ſi Academiam videas et nos, qui in hoc libe-

rali

rali otio ingenuis artibus vacamus, cupio magis, vt ipſis in animis noſtris, vbi nata eſt, vbi educata, introſpiciendo prorſus poſſis cognoſcere. Nunc, quia noſtra pietas ex intimis receſſibus procedere atque in oculis hominum auribusque ſua ſe integritate iactare geſtit, alterum me ad te, Bironi Excellentiſſime, obſeruantiae ſuae interpretem, vt non ſatis idoneum, ita fideliſſimum certe, Academia quaſi manu ſua deduxit. Et quamquam paruae vrbis regnique non modo arctiſſimis ſpatiis deſcripti, ſed etiam alienae potentiae deuincti hiſtoriam cum regulorum aeruginoſis numis, ad te, a nobis deſtinari munus fortaſſis non oportuit, tamen Academia exiſtimauit, haec minuta ingenii mei non magnis in rebus ſtudia, tibi, qui pro tua admirabili benignitate, voluntates noſtras

ſtras magis, quam rem ipſam reſpicies, non ingrata fore, quoniam ne minima quidem donaria a deorum puluinaribus vmquam repulſa ſunt. Itaque adductus officio, fide, obſeruantia, multorum bonorum in bene de publico merentes exemplo, veteri conſuetudine inſtitutoque maiorum, vt Academia cenſuit, tibi Bironi Illuſtriſſime, conceptis verbis, hoc quidquid eſt, quantulacumque a facultate profectum, optima mente do, dico, conſecro. Cum ſub hoc ſplendidiſſimo AVGVSTAE imperio artes omnes et diſciplinae illius Maieſtatis numine recreatae, ornatiſſimum locum conſecutae ſunt, cumque tuo dignatae patrocinio in dies magis magisque efflorescent, de quibus quantisque beneficiis gratiam nos habere oporteat, non obſcurum eſt: quid praeterea deinceps

pe-

petamus, non item nobis apparet, quam quid tribuere velit, pro ſua ſapientia AVGVSTA ſecum habet conſtitutum. Res duas maximas ex recentiſſima memoria in medio ponam, quae tantum habent ponderis, vt, non dicam mea, quae nulla eſt, ſed neque alterius cuiusquam eloquentia ad magnitudinem illius clementiae liberalitatisque explicandam requiratur. Nam praeſidium Academiae ſuae illum in virum contulit, cuius fidem, prudentiam, laborem, maioribus in rebus experta, temperantiam innocentiam et aequitatem omni in vita probauit. Sed multae ſunt in eo eximiae artes, harum adminiſtrae comitesque virtutum, ſtudium vero incredibile ad omnem doctrinam tum ornandam in aliis, tum in aliis excitandam: quae cum ſumma Academiae digni-

ta-

te coniuncta, haud minores vtilitates in publicam rem et eruditum orbem importabunt. Neque ita multo post AVGVSTA, vt Academia omni ex parte quam beatissima esset, ad summam pensionibus annuis decretam, alia triginta millia dono dedit. Cum autem inter pacis bellique consilia, potentiam orbis terrarum opibus suis libratam continet, exercitus classesque ex maximis maiores instructioresque reddit, arces, portus, vrbes munimentis et operibus auget, sociorum salutem et libertatem armis, prouinciarum commoda sapientissimis institutis, priuatorum necessitates legibus et iudiciorum grauitate defendit, sacrum autem palatium non magis magnificentia, qua quid vsquam est excellentius? quam pietate et innocentia instruit, quod tempus potuit ab infinitis maximisque curis tam esse

vacuum, vt de optimis artibus earumque fortuna cogitaret? At AVGVSTAM hac omnium noſtrum ſpe atque exſpectatione imperium adire meminimus, ita, ita his annis eam vidimus, nulla vt pars vel ad ſecuritatem imperii vel ad decus tam parua eſſe alicui videatur, in qua illius diuina virtus haud aeque verſetur vt in maximis. Non magnitudine curarum contentionumque remiſſiorem quisquam ſenſit, non rerum varietate et diſſimilitudine moueri. Quae alacritas in ſuſcipiendis negotiis eſt, ea in prouidendo diſponendoque vis, in perficiendo fortitudo, conſtantia, celeritas. Haec res tota eſt AVGVSTAE et propria. Ita igitur rerum immortalium gloria excelſa eſt et infinitorum maximorumque in ciues ſuos et omne genus hominum fama meritorum, vt bonos omnes patriae-

triaeque amantes deo immortali gratias agere oporteat, quod ANNA AVGVSTA in hoc potiſſimum imperio nata eſt. Eundem venerari nos oportet, vt et pacis muneribus, et, ſi ita contingat, bellicis *laudibus victoriisque* cumulatiſſima, florentiſſima ſociorum defenſione, propulſatione hoſtium, ciuium ornatiſſima felicitate, iſto ſuo excellenti bono gaudeat, fortuna et gloria fruatur, omnesque ante ſe reges et principes diuturnitate cum vitae tum imperii exſuperet. A te, Excellentiſſime Comes, etiam atque etiam petimus, vt, quia noſtram *felicitatem beneuolentia tua proſecutus*, apud AVGVSTAM commendare non deſinis, pro tantis illius muneribus noſtro nomine immortales gratias agas; tuam autem benignitatem tibi nomin que tuo honorificentiſſimam, nobis litterisque con-

conſerues. Ita tibi deus et Illuſtriſſimae domui tuae, non tantum hoc anno, quem vos fauſtiſſimo auſpicio ingredi gratulamur, verum etiam perpetuo, meritorum, gloriae, fortunaeque et incolumitatis quam exoptatiſſimum ſtatum ex animi tui ſententia et bonorum omnium voto concedat. Petropoli ipſis Kalendis Ianuariis clɔ lɔccxxxiv.

AD

AD

IOSEPHVM SIMONIVM ASSEMANVM

PRAEFATIO.

HOc ingenii noſtri qualicumque munere edito, neque multa inueni, de quibus praefarer, neque omnino nihil. Malui autem de iis tecum potius agere, quam cum vniuerſis lectoribus meis. Nam, cum ab iis monumentis, quae ex bibliotheca Vaticana, eximio in litteras beneficio euulgaſti, vel in primis adiuti ſumus, hunc tui promeriti fructum a nobis repetere tuo iure potes, vt tibi quam ornatiſſimas gratias agamus. Quo officio, propemodum vt publico, ſic defungor, vt ob tuam beneuolentiam, veterem illam quidem et non obſcuram, laudi tuae priuatim quoque obſecundem. Quem autem laboris noſtri iudicem malim eſſe, quam te? cuius aequitate magis niti hac in cauſſa atque defendi, quam tua? Nondum enim ea tempora ſunt, quibus iſta doctrinae pars, quam hoc in loco tractandam ſuſcepi, ita apud doctos homines gratioſa, meum autem tam populare atque plauſibile factum ſit, vt tui praeſidium iudicii mihi non ſit exoptandum. In Romanarum Graecarumque antiquitatum ſtudio, multi magno et excellenti ingenio viri ſic ſunt verſati, vt pauca deſideres, quae non excuſſa ad inueſtigandum, ad explicandum producta, ad veritatis lucem exacta, aut ſaltem in ſuſpicionibus poſita coniecturaeque commiſſa ſint. In iis autem argumentis, quae Aſiaticas

res et Aſricanas ſic comprehendunt, vt cum iſtius doctrinae diſciplina et arte coniuncta videantur, multa ad hunc diem relicta fuere, partem quod iſtorum populorum litterae noſtro in orbe non ita cupide ſunt excultae, partem quod monumentorum nulla tanta inter nos exſtitit copia. Qui ſine his adiumentis illarum rerum aliquam attigerunt, iis fere hoc accidit, vt, cum omni a parte ex difficultatibus laborarent, ne in Romanis quidem Graecisque auctoritatibus et teſtimoniis, quemadmodum pedem figerent, aut vbi conſiſterent, reperire ſibi viderentur. Nolo heic quemquam nominare: nam quod dico, ita promptum eſt et propoſitum, vt non ea doctrina, quam in te conſtat eſſe, intelligatur, verum vt nemini, qui paullulum aduerterit, obſcurum eſſe queat. Sic fere his cum rebus adhuc actum eſt, vt de ſui ſeculi Graecis Polybius Megalopolitanus conqueritur. Ex omni illa Aſiaticarum rerum turba Oſrhoenas et Edeſſenas praecipue explicandas multis de cauſſis iudicaui. Primum nonnihil dignitatis habere ſunt viſae, quod magnas atque nobiles Meſopotamiae conuerſiones continerent, quae regio bellorum inter gentes et varias et prope infinitas feraciſſima fuit. Tum autem ſic potuere tractari, vt maiorum in ſuperiori Aſia populorum memoriae, perquam adhuc obſcurae ſubſeruiretur. Multa deinde in ſcriptoribus vel Romanis vel Graecis ab hac parte aut emendari, aut illuſtrari, in Imperatorum legibus explicari, in locorum temporumque doctrina proferri poſſe viſa. Illa autem numorum copia, quos ſeu reges Edeſſeni ſeu ciues ſignarunt, haud potuit commodius et fructuoſius collocari. Perpetuam populi illius vrbisque

que hiſtoriam ad extrema fere tempora perſecutus ſum, ea maxime cauſſa, vt, quae bello ſacro geſta fuere, ab hac parte accuratius noſcerentur. Tantae res tam magnificae et variae, auctores nactae tum ex Graecis ſic ſatis idoneos, tum ex Francis bonos in primis et copioſos, tamen magno incommodo laborant. Quotusquisque noſtrum iſtos quidem ſine faſtidio et offenſione legit? Tam multa enim ex Aſiaticarum rerum linguarumque ignoratione obſcura et miris modis corrupta illis in ſcriptoribus exſtant, vt heic quaſi Hercinio aliquo in ſaltu verſemur, multa reperias quae cohaerere non videantur, alia quae ſecum pugnare. Ita in hiſce illuſtrandis, emendandis conciliandisque interſe, nullus labor peius ponitur, quam in Romanis et Graecis. Sed in iis prope ſunt innumera, quae adhuc aut noſtram aut aliorum diligentiam aliis in locis deſiderant. Nam ad totius Meſopotamiae magis quam ad Oſrhoenes hiſtoriam pertinentia, ea veluti per ſaturam adiecimus. Scio me et copioſiorem futurum fuiſſe et accuratiorem ornatioremque, ſi cuncta monumenta a te ex Vaticana bibliotheca edita exhibuiſſem: nunc quia extremam operis tui partem nondum potui impetrare, vel meo incommodo neceſſitati huic concedendum fuit. Dum haec ad te ſcribo, vitam et res geſtas Saladini, tum ex Bohadino ben Schaddadi, tum ex Iſmaele Abulfeda et Amaoddino Hiſpahanenſi, a viro ampliſſimo, Alberto Schultenio, promore ſuo meritoque in has litteras veteri, doctiſſime explicatas, e Belgio nactus ſum. Quas cum voluptate legens, multa vbique reperio, quibus ad exornanda haec mea vti potuiſſem. De ſatis autem vrbis Edeſſae ſub Sa-

ladino, lectores, cum ad illum locum peruenerint, in his ſcriptoribus requirent. Iſmaelis Abulfedae teſtimonio idem praeſtantiſſimus Schultenius et famam eccleſiae ſplendidiſſimae eadem in vrbe et trecentorum monaſteriorum reſtaurauit. In ruinis iacere ſcribit Abulfeda circiter annum CIↃCCCXXI. quo anno Canonem edidit. Quae ad eccleſiarum Oſrhoenarum hiſtoriam pertinebant, ea ego ab his ciuilibus rebus alium in locum ſeponenda exiſtimaui, niſi ſi quid praetermitti non potuit. Quam rationem in Abgarorum temporibus ſecutus ſim, vides: quod a te diſſenſi, tua illa admirabilis aequitas non modo inique non feret, ſed etiam benigne interpretabitur. In menſium rationibus incerta ſunt omnia, quod non ſatis conſtat, quo menſe regum primus Oſrhoes principatum inierit, in quo veluti cardine ceterorum tempora regum verſantur. Attamen ſtatuendum aliquid fuit, tamquam certum: neque poteſt noſter error nimis eſſe magnus. Illorum regum numi aenei plerique, quos ipſe vidi, non admodum rudes ab arte fuere, certe luculentiores et Parthicis et plerisque Edeſſae vrbis liberae. Malui autem in tabulis ſic exſtare, vt quantum poterat fieri, naturam ipſam et picturae eminentiam vmbrae beneficio exprimerem, quam vt extremis lineamentis eſſent deſcripti. Neque me abſterruere eruditorum quorundam de Medicharbi Comitis ſimillimo inſtituto iudicia. Satius eſt, mea opinione, in numis aliquid obſcurius, ſicuti eſt, ponere, quam, quod non ſit, comminiſci. Ab hac antiquariorum elegantia infinita eorum in tabulis reperiuntur, quae cum ficta ſint ad ex-

plen-

plendas numorum quaſi lituras, tum multimodis nobis officiunt, vt tantus ab eorum induſtria fructus et tam multiplex ad nos non perueniat, quantus ipſis in numis ſitus eſt. Ita nimirum de numis ſentio, vt multi excellenti ingenio viri, veſtra in Italia de inſcriptionibus, nihil vt mutetur, addatur nihil, eadem vel deformitas vel elegantia ſpectetur, veluti vera in pictura. Ceteros numos, quos ex antiquariis produxi, ita, vt erant, ſuis in lineamentis reliqui. Edeſſeni a colonorum Graecorum frequentia eorum linguae ſeſe adſuefecerant: eo mirum non eſt, quod numi omnes Graecis titulis inſcripti exſtant. In actis autem et tabulis publicis Syriacae linguae locum eſſe datum, tuis ex monumentis intelligo. Et cum reges fere aut Parthi fuere, aut Syri, aut Arabes, e Graecis vero nullus, haud opinor publicae auctoritatis conſilio numos Graecis titulis ſignatos: totum enim hoc monetariis fuiſſe permiſſum. Graecos monetarios habuiſſe videntur, quod tum monetae ſignandae ratio atque ars omnis nondum eſſet vulgata ad barbaros. Venit mihi in mentem Sopatri factum, quod Coſmas Indicopleuſtes memoriae proditum reliquit. Is, vt apud Sildiuam, veterem Taprobanam naue Adulitana appulit, ad regem eius inſulae deductus, cum legato regis Perſarum, qui tum forte aderat, de Imperatoris Romani magnitudine contendit. Et ille quidem in regis Perſarum laude multum ſe iactabat, cum Sopater ad regem Taprobanenſem conuerſus, non opus eſſe multis verbis, oſtendit, vtrumque regem ſua cum maieſtate et opibus et veluti ingenio p. re-

ſentem ſpectari poſſe. Simul numum protulit aureum ſeu Flauii Anaſtaſii, ſeu Zenonis Iſaurici, illis enim fere temporibus fuit, et miliareſium Perſicum ex argento factum. Hic ille rex, vtroque numo viſo, in Romano et auri et artis praeſtantia tactus, Romanos et magnificos eſſe, et potentia ingenioque longe antecellere iudicauit. Tantum potuit in barbari regis animo ſignati numi elegantia, quam ne tum quidem adhuc Perſae erant conſecuti. Mirum, quod nondum aliquis numus argenteus in Edeſſenis eſt viſus, vt in Parthicis exſtant nonnulli, nedum aureus. Aurum flandi cudendique poteſtatem Imperatorem Romanum nulli, ne regum quidem regi feciſſe, niſi memoria me fallit, hic Cosmas Aegyptius aliquo in loco declarauit. Quid iuris Romano in Perſarum regem fuerit, non video: aurum in Perſia iſtis temporibus non fuiſſe ſignatum, concedo. Nullae enim tum quidem fuerunt auri fodinae, quae non in Romanorum poteſtate eſſent, velut illae Pannoniae et Thracicae, aut, ſi qua in Aegypto reliquaue in Libya durb copia fuit: Arabicae Indicaeque neglectae fuiſſe videntur, vlterior oriens non admodum patuiſſe mercaturae. Nam in periplo maris Erythraei ſub Marco et L. Vero Antoninis inuenio, inter merces Romanas in India fuiſſe denarios aureos, qui cum quaeſtu venirent. Quare multo inter dicto Imperatorum Romanorum Perſae circumſcripti ſunt, ſed a facultate auri flandi cudendi his temporibus excluſi fuere per inopiam. Eadem cauſſa in Aſiaticis vrbibus Romanae ditionis aureos ſignandi numos poteſtas non fecit, et ne argenteos quidem, ex quo tempore fodinae argenti omnes aerarii Romani fuerunt. Aes ſolum re-

relictum ciuitatium monetis. Argentum ſignatum in Meſopotamiam, cum ex Romanis prouinciis, tum ex Perſia commeaſſe videtur. Igitur non modicae maieſtatis oſtentatio fuit in Palmyrenis, cum Vaballathus et Zenobia non argenteos modo numos, ſed etiam aureos, quorum vnum eximium litteris Palmyrenis vidi, cudendos curarunt, credo hos ex Romanis, illos ex Perſicis conflatos. Reges ducesque Franci in Syria tum Byzantiis ſunt vſi, tum denariis Arabicis Perſicisque, quod quidem ex multorum teſtimonio conſtat. Monetam tamen argenteam litteris Arabicis eosdem cudiſſe opinor, quod numos aliquot litteris vetuſtate euaneſcentibus vidi, in quibus Conradi nomen erat. Si quis orientalium rem numariam tractandam ſuſcipiet, tum haec verius indagari atque curatius explicari poterunt. Ceterum ipſo in libro, Aſſemane praeſtantiſſime, ſic me inuenies egiſſe, vt nullius eruditi viri laudibus atque exiſtimationi officerem. Si in vno antiquario, cuius ſummae eruditioni faueo, ingenio nouarum rerum cupido ſuccenſeo, aliquid inclementius ſtatui, vides, quam viam munitarit, quo iter adſecter, vt incoepti audacia et non modo indignitate rei, ſed etiam magnitudine, ſolito magis commoueamur. Haec Archontiana officina, nuper ab illo ſolerti viro exaedificata, etiam ab tuis iſtis monumentis Syriacis Arabicisque a fundamentis disiicitur. Quemadmodum enim tot praeſertim ſcriptores, tam ampla volumina ab Archontii Seuiri domeſticis copiolis excudi potuere? qua via in orientem iſtis praeſertim temporibus dispe gi? Velim, ſi v[illegible]et, ipſe mihi diceret huius officinae et architectus et neocorus. Tamen iſta cum his Romanis Graecisque conueniunt, vt

ab

ab eodem ſonte, rerum inquam vera memoria et incorrupta, ducta ſint omnia. Et exſtabunt eius generis tuo beneficio plura, in quibus quam vellem, vt aliquando Dionyſius Telmarienſis integer prodiret, vt ex eo Euſebianis ſubueniri poſſet. His rebus de erudito orbe et meritus es praeclare et ita porro mereberis, vt cum ampliſſimum et ornatiſſimum locum conſecutus es, tamen ſumma doctrina et virtute perfeciſſe videaris, vt, quanto honore ex illa dignitate adficiaris, non minora dignitati ipſi ornamenta ex tua laude tribuas. Vale. Petropoli pridie Id. Nouembr. clɔ lɔ cc xxxiii.

HISTORIAE OSRHOENAE ET EDESSENAE

E NVMIS ILLVSTRATAE

LIBER PRIMVS

De ſitu origine et incrementis Edesſae vrbis et de Osrhoeno regno inſtituto.



EDeſſa in ſeptemtrionali Meſopotamiae tractu haud longe ab Euphrate ſita fuit. Ita enim explico Iſaacum Edeſſenum epiſcopum, in praefatione libri de ſeceſſu ſuo in montes Edeſſenos, cum ait: مين اوبرهوي مدينتا ذبيت نهرين هي ديتبا بريشن مصغت نهروتا دفرت ودقلت نهروتا روربا *ex Edeſsa vrbe Meſopotamiae, quae ſita eſt in ſummo medio, inter magna flumina Euphratem et Tigrim,* vt interpretatus eſt Aſſemanus. (1) Sententia obſcura eſt, niſi ſi quis ſciat, extrema verba ſic dilucidius poſſe reddi: *in ſumma parte, ſeu in extremis ad ſeptemtrionem regionibus Meſopotamiae.* Nam مصغت نهروتا nihil quidquam aliud ſignificat, quam αὐτὸ τοῦτο, τὴν

A Μέ-

(1) In Bibliotheca orientali t. 1. f. 462.

Μέσην ποταμοῖν. Nimirum δὶς ταυτὸν ὁ χρηστὸς Ισαάκιος. Strabo (2) a traiectu Euphratis Edeſſam ponit, ſchoenis quatuor. Schoenos puta Babylonios et Perſicos eos, quorum ſinguli quadraginta ſtadia Graeca efficiebant, (3) quatuor autem, ſtadia admodum centum et ſexaginta, ſiue M. P. XX. Romanorum pedibus ſecundum Strabonem exactis. (4) Fulcherius Carnotenſis de geſtis Francorum, (5) trans Euphratem viginti fere millibus et Tauernirus (6) vnius itinere diei a fluuio Edeſſam collocant. Neuter longius abit ab iſtis ſtadiis Graecis aut paſſibus Romanis. Herodotus enim in Terpſichore, vnius diei iter, vt in Meſopotamia Perſicisque prouinciis omnibus tunc erat, centum et quinquaginta ſtadiis definiuit: et militis Romani iter diurnum fuit M. P. XX. nonnullis temporibus etiam M. P. XXVI. ſeu ſtadia CCX. Cum autem Strabo contendit, Edeſſam Bambycen quoque et Hierapolin dictam fuiſſe, in eo fallitur, et Hierapolin Cyrrheſticam, quae etiam nunc Arabibus منبج et مبنج *Mambugj*, perperam confundit cum Edeſſa, a quo errore Plinius (7) ſcite cauit. Sitam fuiſſe vrbem in accliuitate montis, non modo ex Iſaaco Edeſſeno intelligo, ſed etiam ex numis, in quibus ſimulacrum vrbis in rupe ſedens pede calcat fluuium. Is fluuius eſt Scirtus, quem Procopius Caeſarienſis (8) ſcribit, minime ſpatioſo alueo, aqua e mul-

(2) p. 863. ed. Henr. Petri (3) Strabo f. 604. (4) p. 374. (5) c. 6. (6) p. 140. Procopius de B. Vandalico p. 177. ed. Paris. (7) l. V. c. 23. 24. Hunc errorem Strabonis iam notauit Th. Hyde in Itineribus mundi p. 42. V. Golius ad Alfraganum p. 260. et Aſſemanus in notitia Epiſcopatuum Iacobitarum (8) de aedificiis Juſtiniani l. II. c. 7.

e multis regionibus collecta, per mediam fere vrbem atque sub moenibus ipsis in arcum fastigiatis subire, nonnumquam largis imbribus intumescere, deiicere moenia et vrbi exitium minitari.

II. Vrbem a Nimrodo esse conditam, scriptores quidam litterarum monumentis consignatum reliquere: qui cum antiquam rerum memoriam, veluti picturam euanescentem vetustate a maioribus accepissent, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, reuocare non sunt ausi, sed formam quoque ipsam et rerum lineamenta per summam seu fraudem seu imperitiam confuderunt. Et illi quidem, si hac vna in re aut simili alia optimo cuique offudissent tenebras, bene cum historia ageretur, nunc vbi caligine inuoluerunt tantum non omnia, redarguendus est nobis illorum quiuis etiam leuis error. Gobelinus Persona: (9) *Nemroth aedificauit Edissam ciuitatem Armeniae.* Isidorus Hispalensis in Originibus veterem opinionem refert his verbis: *Edissam Mesopotamiae condidit Nemrot filius Chus, postquam de Babylone migrauit; in qua et regnauit, quae ante Iare cognominata est.* *Iare* est *Iarech* seu *Arech*, de qua in Genesi, (1) *Nimrodum in Sinear condidisse Babelem*, *Arech* seu *Erech*, *Accad et Chalne.* Illam *Arech* Syri interpretantur Edessam, vt non modo Gregorius Malatiensis, (2) sed etiam S. Ephrem in Genesin, (3) cum ait ارك ديتبه ادسا *Erech* seu *Arech*, seu Ορεχ, vt S. Theophilus ad Auto-

(9) Cosmodromii p. 76. (10) l. XV. 1. (1) c. X, 10. (2) in histori-dynastiarum p. 18. (3) apud Assemanum t. 1. p. 26.

lycum, (4) his enim modis Syri enuntiant, *quae eſt Edeſſa.* Idcirco Edeſſeni ſe اركبا *Orchoienſes* ſeu *Arachenſes* vocant. Sed Arecca illa in Geneſi, erat Babyloniae ſeu Aſſyriae vrbs, quae regio ex eo tempore vetus cognomentum عراق *Irak* ſeu *Erak* retinet. (5) Ea in regione *Vr* oppidum fuit, in quo natum eſſe Abrahamum e Geneſi perſpicue conſtat. Eupolemius in hiſtoria Iudaeorum, (6) Abrahamum Camarinae in Babylonia natum ſcribit, eam autem aliis Ουζιην vocari, quod terminationem Chaldaicam exprimit, tamquam quae اورهبا *Vrhi* dicta fuerit. Ioſephus, (7) Οὖζην χαλδαίων vocat, atque in ea vrbe ad ſuam vsque aetatem ſepulcrum Abrahami fuiſſe oſtentatum auctor eſt. Claudius Ptolemaeus Οϱχόην nuncupat, terminatione Aramaea اورهى *Vrhoi, ignis, lux, ſol eſt.* Hinc Strabonis (8) Οϱχηνοὶ, ſecta Chaldaica a Borſippenis ceterisque diuerſa. Non erat autem illa vrbs cum *Vrhoi*, altera vrbe, Edeſſa inquam, ideo confundenda, quia vetus Edeſſae nomen eſt *Vrhoi.* Tanto enim interuallo duo haec oppida ſeiuncta ſunt, quanta fere totius Meſopotamiae longitudo eſt ab auſtro in boream porrecta. Equidem non repugnauero, ſi quis contendat, coloniam ſequiorum temporum ex Vrhoi Chaldaeorum deductam eſſe ad Euphratem atque eius argumentum rei ex ipſo nomine duci. Tres enim Syriacae linguae dialecti fuerunt,

(4) p. 207. ed. Volf. Raphael Volaterranus in commentariis vrbanis p. 126. 1. ed. Baſil. *Edeſſam Hebraei Harae vocant.* (5) Vide quae de *Irae* diſputat Th. Hyde in Itineri ius mundi p. 65. (6) apud Euſebium de euangelica praeparatione p. 418. (7) Antiquit. Iudaic. l. I. c. 7. (8) p. 855

runt, vt Gregorius Malatienſis nos docet, (9) Aramaea elegantiſſima, quae Edeſſae, Carrhis etin Meſopotamia viguit, altera Palaeſtinae, et Damaſci Libanique incolarum, tertia inquinatiſſima Chaldaeorum Nabataeorum, montanorum Aſſyriae et paganorum in Arech. Iam Chaldaei quidem dicebant ignem etiam אור *Vr*: at Syri Aramaei, non niſi נורא *Nuro*. Cum igitur Edeſſae nomen Chaldaicum eſt, terminatione tantummodo Aramaea, haud abſurde a Chaldaeis conditam appellatamque vrbem credide-rim. Et quemadmodum in Vre Chaldaeorum ignis atque lucis praecipuus cultus fuit, ita in Vre Meſopotamiae, ſolis, in quo, vt Chaldaei et Syri iudicarunt, lucis et ignis rerumque omnium origo et divinitatis quaſi apex. Quocirca Iulianus Imperator in ſolem: (10) οἱ τὴν Ἐδεσσαν οἰκοῦντες, inquit, ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίῳ χωρίον, *Edeſſam, vrbem ab vltima memoria ſoli dicatam incolentes*. Aut haec vera eſt opinio de origine vrbis, aut nulla accommodatior ad credendum expediri poteſt. Nam quod Arabes habent, conditorem vrbis fuiſſe الرها بن الروم بن اليفن بن سم بن نوح *Roham ben Rum, ben Iaphan, ben Sem, ben Nuch* ſeu Noae, aut, vt eſt apud Iacuthum Hamathaeum in Theſauro geographico الرها بن البلندى بن مالك بن دعر *Roham ben Belendi, ben Malik, ben Dſoar*, aut vt Gregorius Malatienſis aſſerit, (1) minimam eam eſſe ex centum et octoginta vrbibus, quas Hermes Trismegiſtus condidit, haec quidem,

(9) p. 17. (10) p. 150. (1) p. 10.

vt dicam quod res eſt, noſtro ſtomacho non bene ſunt cocta, et praeterea inſulſa. Edeſſeni Abrahamum a Carrhis profectum apud ſe diuertiſſe gloriantur, vt teſtis eſt Abu Mohammed Muſtapha in vita Abrahami. Aedem adhuc habent deo conſecratam Abrahami nomine, ſub qua fons erumpens in alueum piſces cicures Abrahami dictos nutrit. Hoc enimuero potius profanam veteris Syriae ſuperſtitionem olet. Nam Lucianus narrat, (2) Hierapoli ad aedem deae Syriae non longo ſpatio interpoſito, lacum fuiſſe, in quo piſces alerentur multi et in iis aliqui inſigniori magnitudine, qui nomina habuerint ſua vocatique proceſſerint. Et eo multo antiquior Xenophon in Cyri minoris expeditione ait, (3) Chalum fluuium, qui eſt Singas Claudii Ptolemaei, haud longe ab Hierapoli, fuiſſe πλήθη ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον καὶ ἀδικεῖν οὐκ ἐῶν, *plenum piſcibus magnis et cicuribus, quos Syri deos cenſebant et violari non patiebantur.* Hoc quemadmodum ad deae cultum et caeremonias pertinuerit, ſi qui ſcire volent, Samoſatenſis efficiet ſcurra, vt intelligant. Similiter paſtoritium tentorium Iacobi Patriarchae Edeſſeni oſtentarunt. Auctor eſt Iulius Africanus in Excerptis Euſebianis, (4) ἡ ποιμενικὴ σκηνὴ τοῦ Ιακὼβ ἐν Εδέσσῃ σῳζομένη, κατὰ τοὺς χρόνους Αντωνινου βασιλέως Ρώμης θειοφλεγὴς κεραυνῷ, *paſtoritium Iacobi tabernaculum Edeſſae conſeruatum circiter tempora Antonini Imperatoris Romani a caelo tactum conflagrauit.* Georgius

(2) de dea Syria p. 679. (3) l. I. c. IV. 9. (4) p. 22.

gius Syncellus ſic ait habere Africanum, ἕως τῶν χρόνων αὐτοῦ Αντωνίνου ἱστορήσαντα. Ex quo conſequitur, loqui eum de Elagabalo. Nam vt e Photio conſtat, Africanus deſiit annalium contextum Grato Sabiniano, Claudio Seleuco Coss. cum extremo anno Elagabali. Verum etiam ſic de tentorio Iacobi credat Iudaeus Apella : eſt *ènim totum iſthuc Synagogae Edeſſenae a Seleuco conſtitutae commentum.*

III. Vroienſes eundem reipublicae ſtatum easdemque viciſſitudines ſubierunt, quas Meſopotamia omnis. Aſſyrii et Chaldaei et Perſae tractum illum tenuerunt, quorum rebus quaſi nox quaedam offuſa eſt, quae etiam Vroienſium priſcae memoriae lucem eripuit. Cum ab Alexandro M. Meſopotamia eſt occupata, Vroienſes quoque ſubacti iugum acceperunt. Poſt mortem Alexandri, Meſopotamia obuenit Arceſilao, (5) et in altera diuiſione ad Triparadiſum Amphimacho Arrhidaei regis fratri : (6) poſt regem autem interfectum Blitori, nec ita multo poſt, (7) Seleuco exacto ex Babylonia, Blitore autem ob amicitiam fidemque in Seleucum ex Meſopotamia pulſo, intercepta eſt ab opibus Antigoni, eoque victo, Seleuci prouincia facta. Seleucus Nicator multas in Meſopotamia Syriaque vrbes condidit, quarum in numero Edeſſam Euſebius Hieronymi recenſet his verbis : (8) *Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apâmiam, Edeſſam, Beroeam et Pellam vrbes condidit, quarum Antiochiam* XII. *anno regni exſtruxit.* Sic et-

(5) Iuſtinus l. XIII. 4. (6) Arrianus apud Photium cod. XCII (7) Appianus p. 195. (8) p. 139. ed. Amſtel.

etiam Marianus Scotus. An ita Euſebius ipſe ſcripſerit, dubitari poteſt, ſi Excerpta Euſebii Graeca inſpiciamus, in quibus Seleucus Laodiceamquidem condidiſſe, at Edeſſam ceterasque vrbes reſtauraſſe dicitur: (9) ἢ Λαοδίκειαν ἔκτισε ἢ Σελεύκειαν. Ἀπάμειαν, Εδεσσαν, Βέρροιαν, Πέλλαν, Αντιγονίαν ἐπέκτισεν ιβ. ἴτα τῆς βασιλείας αὐτῦ, ἣν Αντιόχειαν ὠνόμασεν: ita enim Scaliger, comparatis inter ſeſe Hieronymo, Cedreno, et Georgio Syncello, diſſentientes conciliauit, vt modo huic, modo iſti, modo Stridonienſi illi plus aliquantum concederet. Mihi Euſebius plane videtur eum in modum ſcripſiſſe, vt eſt apud Cedrenum: (10) Σέλευκος Λαοδίκειαν ἔκτισε, Σελεύκειαν, Απάμειαν, Εδέσσαν, Βέρροιαν ἢ Πέλλαν. Nam ita omnes eas vrbes ſimili fato vſas, et cum antea exſtiterunt, reparatas eſſe a Seleuco ex vero tradit Euſebius. At ſi Laodiceam, vt eſt in Excerptis Scaligeranis, ſolam ante Seleucum fuiſſe nullam, ceteras reparatas dumtaxat fuiſſe cenſemus, is quidem error eſt. Nam etiam Laodicea ante Seleucum fuit, Ράμιθα et poſtea Λευκὴ ἀκτὴ nuncupata, teſte Philone Biblio apud Stephanum Byzantium. Sin illud ἐπέκτισεν, (id autem Gregorius Monachus tantum de Antigonia habet, ex Georgio adſciuit Scaliger) eſſamus, iam nulli in altera voce ſcopuli metuendi ſint, quae quamcumque aedificationem et exornationem vrbium ſignificare poteſt. Et ſic Iſodorus Hiſpalenſis: *Ediſſam vrbem Meſopotamiae condidit*

(9) p. 179. (10) p. 166.

didit Nembroth : et poſt paullo de Seleuco : *ipſe quoque Laodiciam et Seleuciam , ipſe Apamiam et Ediſſam vrbem conſtruxit.* Ex Hieronymo Hermannus Contractus: *Seleucus Seleuciam, Laodiceam, Antiochiam, Apameam , Ediſſam , Berrhoeam et Pellam vrbes condidit.* Faſciculus temporum , ſed ſuperſtite adhuc Alexandro M. *Antiochia, Edeſſa, Seleucia ciuitates conduntur.* Iam ante Macedonum expeditionem inter Ourhoënſes Graeci conſediſſe videntur. Gordyn Triptolemi filium in Meſopotamia Gordyaenam Graecis coloniis repleuiſſe Strabo auctor eſt. (1) At enim neque Gordiene , nec Gordiaeus mons proxime Niſibin, a fabuloſo Gordy nomen habet. Gens enim antiqua كردى وجردى *Curdi et Gjurdi*, ad eum montem illisque in regionibus ſiti , nihil neceſſitudinis habuere cum Graecis: a Chaldaeis videlicet orti. Itaque Strabonem fabulae fefellerunt. At cum Strabo eodem in loco tradit, Eretrienſes domo abreptos, in Meſopotamia collocatos fuiſſe a Perſis, vera ſecutus eſt. Nam et Herodotus in Erato ſcribit , Eretrienſes in ſeruitutem eſſe ductos Darii iuſſu. *Multitudo deinde Graecorum hominum*, praeſertim ex Ionia , tum mercatus , tum vero etiam alterius mercenariae rei quaeſtusque cauſſa , in Perſicis prouinciis vltra Euphraten omni tempore non exigua verſata eſt. Seleucus Graecos, qui in Meſopotamia erant et Macedonas ex Alexandri Antigonique exercitibus allexit , vt Edeſſae conſiderent, ἢ ἐν ταῖς νέαις πόλεσι Ιυδαίυς συνῴκισεν Ελλησιν, vt ait Cedrenus, (2) *in nouis vrbibus Iudaeos quoque Graecis colonis permiſcuit.*

(1) p. 863. (2) p. 166.

Ammianus Marcellinus: (3) *abuſus Seleucus multitudine hominum, quam tranquillis in rebus diutius rexit, ex agreſtibus habitaculis vrbes conſtruxit, multis opibus firmas et viribus: quarum ad praeſens pleraeque, licet Graecis nominibus appellentur, primogenia tamen nomina non amittunt, quae eis Aſſyria lingua inſtitutores veteres indiderunt.* Similiter de Antiochia ad Mygdonium ſeu Niſibi, Iulianus Caeſar. Appianus Alexandrinus (5) auctor eſt, Seleucum vrbi *Vrhoi* nomen Macedonicum Edeſſae impoſuiſſe, honoris Alexandri cauſſa. Hoc tamen niti teſtimonio et magnopere confidere non audeo, iuſta enim quaedam et probabilis ſuſpicio me tenet, Seleucum vrbi nomen dediſſe Antiochiae, inter ſedecim vrbes, quas Appiano teſte, patris nomine exornauit. Exſtat numus Antiochi IV. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ. Non enim illum numum Ioannes Fideualens. ad Callirhoen in Palaeſtina iuxta Iordanem iure meritoque retulit, quae Antiochia dicta non fuit, quod quidem aliquo in monumento teſtatum ſit. Ad Edeſſam vtique pertinet, vt Ioannes Harduinus ad Plinium et in antiquis vrbium populorumque numis quam veriſſime iudicauit. Plinius: (6) *Arabia Mesorum habet oppida, Edeſſam, quae quondam Antiochia dicebatur, Callirhoen a fonte nominatam, Carrhas clade Craſſi nobiles.* Ne quis ab Edeſſa diuerſam Callirhoën prodi putet. Illa enim ipſa, ſeu Antiochia Callirhoe, ſeu, vt Stephanus Byzantius ha-

(3) XIV. c. 8. (4) Orat. II. f. 62. ed. Spanh. (5) p. 201. (6) l. V. c. 24.

habet, Αντιόχια ἐπὶ Καλλιῤῥόης, ſeu πρὸς Καλλιῤῥόην, vt eſt in numo, vocata fuit. Ioannes Malela (7) Αντιόχειαν Μιξοβάρβαρον appellatam fuiſſe tradit: niſi ſi quis error irrepſit apud Malelam, pro Αντιόχειαν Μισοβάρβαρον. Sic apud Platonem in Menexeno, (8) Athenienſium vrbs μισοβάρβαρος eſt, διὰ τὸ ἀλικρινῶς εἶναι ἕλληνες καὶ ἀμιγεῖς βαρβάρων, *neque enim*, inquit, *Pelopes, aut Cadmi, aut Aegypti, aut Danai, qui a barbaris profecti, nunc in Graecis cenſentur*, inter nos agunt, ἀλλ' αὐτοὶ ἕλληνες, καὶ μιξοβάρβαροι οἰκοῦμεν. Quoniam autem Graeci apud vrbem Edeſſam ab colluuie barbarorum, (in quibus et Iudaei cenſebantur et omne Syriacum nomen) ciuitatem eandem conſtituentium liberi non fuerunt, idcirco Μιξοβάρβαρος dictos puto ab Antiochenis ad Daphnen, qui ferre non poterant, quod Vrhoienſes glorioſum ſuae vrbis nomen gererent. Et Iohannes Chryſoſtomus, (9) πόλιν ἀγροικοτέραν, *vrbem eam paullo agreſtiorem fuiſſe* haud diffitetur. Iam Ioannes ille Malela Antiochenus fuit, qui ciuium ſuorum in Vrhoenſes ſeu Antiochenos ad Callirhoen ſcomma ad nos transmiſit. Antiochenorum autem ad Daphnen dicacitas ſatis nota eſt, quam Iulianus in ſe expertus, acriter perſtrinxit in Miſopogone, (10) et Procopius in Perſicis, (1) vrbi perniciem acceleraſſe, cum a Chosroe obſideretur, non ſine indignatione teſtatur.

(7) P. (8) p. 369. ed. H. Petri (9) t. v, Oratione LXV. p. 478. (10) Adi et Zoſimum l. III. c. 11. (1) p. 105.

Καλλιρόη fluuius ad vrbem, ab ܪܗܐ *Roha* et Graeca πρόθεσις κάλλος eſt dictus. Arabibus autem *Roha*, eſt *alueus in conualli aquam complexus et omnis omnino riuus*. Itaque cum in vicinis Vrhoenſis ditionis agris Arabes colerent, mirum non eſt, ſi fluuio huic hoc nominis ab iis eſt inditum. Solemne enim priſcis populis fuit, vt fluuios nullo peculiari nomine, tantummodo ſua quisque lingua *fluuios* dicerent. Sic *Roha* Arabibus vetuſtis dictus eſt fluuius, qui et الخابور *Alchabor* ſatis ſpatioſo interuallo ſitus ab Edeſſa. Hoc nomen non tantum, vt nunc Arabibus, ita olim Claudio Ptolemaeo notum fuit, ſed etiam Ezechieli prophetae: at Xenophonti, (2) qui ܪܗܐ *Roham*, ſeu ܐܪܗܐ *Erroha*, hoc eſt, *fluuium* ab accolis dici audiuerat, viſum fuit, *Araxem* poſſe appellari. Mirum enim eſt, quantum Graeci ſibi indulſerint in populorum, vrbium, fluuiorum nominibus barbaris efferendis. Idcirco quoque cum Arabicum ܪܗܐ ad Graecum accederet propius et ſono et ſignificatione, κατ' εὐφημισμὸν Macedones dixere Καλλιρόην. Ex eo manet adhuc nomen ipſius vrbis ܪܗܐ *Roha*, apud Arabas, quod apud Haythonum Armenum (3) *Rohais*, apud Fulcherium Carnotenſem (4) *Roais* effertur. Sic et Eugenius III. Pontifex Romanus: (5) *Edeſſa ciuitas, quae ab noſtra lingua Rohais dicitur*. Apud Annaliſtam Saxonem (6) *Rohas*, ſic etiam apud Albertum Aquenſem: (7) apud Villermum Tyrium (8) et Oliuerium Scholaſticum in hiſtoria regum terrae ſanctae

(2) Κύρ. Ἀναβ. l. I. c. 4. (3) p. 12. 28. (4) p. 389. (5) Concilio-rum Harduini l. VI. parte II. 1241. D. 1293. A. (6) p. 484, 586. ed. Eccardi (7) p. 264. (8) p. 682.

ſanctae (9) *Rhages* et *Rages*, in notitia eccleſiarum antiqua *Roaes*, et apud Albericum monachum Trium Fontium (*) *Rohaſya*. Iacobus de Vitriaco (**) *Roaſe* dixit. Econtrario in notitia patriarchatus Antiocheni poſt Villermum Tyrium a Bongarſio edita, Syriacum nomen *Vrhoi* corruptum eſt: *Verchi* enim ſcribitur. Fluuius autem hic duo praeterea habuit nomina, alterum Syriacum, alterum Graecum. In Edeſſenis actis, quae in chronico Edeſſeno conſeruata ſunt, fluuius (10) vocatur ديصن *Daizon, ſaltator*, ob frequentes eluuiones, a quo بر ديصن *Bar daizon*, Bardeſanes nomen accepit, quem Gregorius Abulpharagius (1) ابن ديصان *Ibn Deizan* appellat, et addit لانه ولد على نهر ديصان فوق مدينة الرها *quoniam natus eſt ad fluuium Deizan prope vrbem Roha*. At Macedones Scirti nomen impoſuere fluuio et vrbi ipſi nomen Edeſſae, (quod Syri tamen raro vſurpant) quo conſolarentur honeſtum exilium, vt Helenus ille Troianus, cum in agro Epirotico condidit

paruam Troiam, ſimulataque magnis
Pergama, et arentem Xanti cognomine riuum
et Scaeae limina portae.

Erat autem, quod Stephanus Byzantius quoque annotat, ſic fere ſita Edeſſa Meſopotamiae, vt illa Macedoniae. In tabulis Georgii Chryſococcae et in Sophiani Graecia Βόδενα, vetuſtis Εδεσσα παρὰ τὸ ἔδειν. Haec eſt Edeſſa Macedoniae, celebrata in primis Ioanni Cantacuzeno. Sicuti hic Erigonus, ita iſthic Scirtus ad ſummum diſcrimen vsque ripis excedebant et vtrique

(9) p. 1372. (*) p. 232. (**) p. 1068. (10) p. 390. (1) p. 125.

vrbi in colle accliui ſitae periculum pariebant. Et Scirtus, amnis minime ſpatioſus, ſaepe, vt infra narrabo, ripis exceſſit cum ſtrage vrbis, quam ob cauſſam a Syris دیصن *Daizon*, *Saltator* vocatus eſt, Graecis Σκιρτὸς, παρὰ τὸ σκιρτήσασθαι, quod et ipſum eſt, *Saltator*. Ioannes Fideualens alicubi (2) fluuium ad Edeſſam Chaboram citauit, quem Chaboram etiam الرهـا ab Arabibus atque inde a Xenophonte *Araxem* vocari, ſupra dixi, ſane longius ab vrbe Edeſſa ſitum. Rectius Vaillantius alio in loco (3) *Scirtum* vocat. De hoc flumine infra commodius dicemus (*)

IV. Edeſſeni a Seleuco Nicatore aucti, tempora in accepti memoriam beneficii computarunt a regno eius confirmato. Euſebius Hieronymi Olympiadis CXVII. 1. *ab hoc loco Edeſſeni ſua tempora computant*: quo loco Henricus Noriſius vtitur (4) vt demonſtret, Edeſſenam, eam ipſam eſſe epocham, quam Seleucideam vocamus, Antiochena autem eccleſia orientalesque omnes Alexandri epocham appellarunt veteri errore, incerti adhuc, an a victoria de Perſis ad Gaugamala, an a morte Alexandri caput epochae exordiatur. (5) Mihi vero locus Euſebii ſuſpectus eſt, quamquam etiam apud Georgium Syncellum (6) legimus ad annum duodecimum Seleuci: Αἰδεσινοὶ (*Edeſſeni*) τὰς χρόνους ἀριθμοῦσι τοῦ Σελεύκου. Vereor vt ita Euſebius ſcripſerit. Non abſur-

(2) In Numis coloniarum t. II. p. 34. 110. (3) p. 80. (*) infra l. IV. c. 2. (4) in epochis p. 113. (5) Conf. Chronicon orientale Abrahami Echellenſis p. 25. 28. (6) p. 274.

ſurde excerpta Graeca Scaligeri, (7) ἐντεῦθεν τὴν Ἑλλήνων βασιλέαν ἡ Μακκαβαίων ἀρχὴ καταριθμεῖσθαι ἄρχεται. Et Faſti Siculi ad Olympiadis CXVII. 3. Rullo et Rutilio Coss. (hi conſules, Q. Fabius Maximus Rullianus, C. Marcius Rutilus magiſtratum iniuerunt Sextili menſe anni Varroniani CCCCXLIV ſeu Olympiadis CXVII. 2) in eandem ſententiam ἀπὸ τούτων τῶν ὑπάτων ψηφίζονται τὰ ἔτη τῶν Συρομακεδόνων. Hic igitur in Euſebio Hieronymus pro ΕΛΑΗΝΩΝ poterat ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ legere. Nam Euſebius epocham Seleucidarum toto celebratam oriente non videtur omiſiſſe, atque eius loco Edeſſenam commemoraſſe, cum vnius vrbis, tum a Seleucidea non diuerſam. Alium adfert locum Noriſius, in quo Pamphilius ille (8) annum Edeſſenum quingenteſimum octogeſimum octauum comparat cum anno ſecundo Probi et Olympiadis CCLXIV. 1. Erat autem is ipſe numerus annorum in epocha Seleucidarum, vt Noriſius demonſtrauit. Nulla igitur peculiari epocha vſi ſunt Edeſſeni. Ioannes Harduinus ex hoc Euſebii loco errorem Scaligeri deprehendiſſe ſibi eſt viſus, (9) (nam is in animaduerſionibus Euſebianis et in emendatione temporum, (10) epocham Seleucidarum cum Edeſſena congruere dixerat) et caput epochae Edeſſenae biennio poſt initium Seleucideae, Olympiadis CXVII. 3. anno, poni oportere contendit. Sed is Harduini error adeo manifeſtus eſt, vt cum Cardinalis doctiſſimus eum indicas-

(7) p. 178. (8) p. 177. (9) in Numis vrbium et populorum p. 145. ed. Pariſinae. (10) Animad. Euſeb. p. 128. Emend. temp. p. 493.

caſſet, Harduinus totam illam cenſuram Scaligeri in editione Amſtelaedamenſi expungeret. Hactenus igitur recte Ioſephus Scaliger, niſi quod addit, Edeſſenos tempora ſua numerare a Ianuario Iuliano, tribus menſibus poſt initium anni Seleucidarum, ſeu poſt Kal. Octobres. Quem enim ex omni antiquitate citare poteſt opinionis ſuae auctorem? aut quae ratio ex calculo aliquo ducta cogitationi eius hanc ſententiam ſubiecit? Nempe conuictus eſt ipſa Syrorum conſuetudine et perpetuo inſtituto auſpicandi annum ab autumnitate. Ne autem quaerendi, quod verum ſit, laborem ſubterfugere velle videar, id agam, quo per ſe opus non eſt, et efficiam exemplis, initium anni Edeſſeni cum anno Antiocheno aut Caeſarienſi Seleucidarum prorſus congruere, et vt iſthic Hyperberetaeus cum Kal. Octobribus coepit, ita Edeſſenos annum ſuum et primum menſem تشرين *Teſchrin priorem* ab ipſis Kal. Octobribus inchoaſſe. Chronicon Edeſſenum tradit Iuſtinianum Caeſarem eſſe renunciatum A. 838. *primo Niſan*: e noſtris ſcriptoribus item conſtat A. C. 527. *Kalendis Aprilibus* fuiſſe dictum Caeſarem. Similiter in Chronico Edeſſeno dicitur Theodoſius M. obiiſſe A. 706. *decimo ſeptimo Canunis poſterioris* et ſepultus *octauo Teſchrin ſecundi*: noſtri ſcriptores Graeci A. C. 395. 17. *Ian.* deceſſiſſe referunt: compoſitum *octauo Nouembris* Socrates tradit. Anaſtaſium Dicorum occidiſſe A. 829. *nono Tamuſi* Chronicon Edeſſenum prodidit: Grae-

Graeci ſcriptores A. C. 518. alii 8. alii 10. Iulii extremum Anaſtaſii diem ponunt, in medio conſiſtente Chronici Edeſſeni auctore. Quis tot in exemplis adhuc dubitet, *Teſchrin priorem* Edeſſenorum in Kal. Octobribus tamquam in cardine verſari, ceteros deinde menſes aequalibus ſpatiis cum Iulianis fuiſſe exactos, exemplo Antiochenorum et Caeſarienſium. Vide hic menſes Edeſſenos.

تشرين قدم	*Teſchrin prior*	a Kal. Octobribus
تشرين اخرى	*Teſchrin poſterior*	Nouembr.
كنون قدم	*Conun prior*	Decembrib.
كنون اخرى	*Conun poſterior*	Ianuariis
شبط	*Schvot*	Februariis
ادر	*Odor*	Martiis
نيسن	*Niſon*	Aprilibus
ايار	*Ior*	Maiis
حزيران	*Chſiron*	Iuniis
تموز	*Tomus*	Iuliis
اب	*Ov* (*Ab*)	Auguſtis
ايلول	*Ilul*	Septemb.

Chronicon Edeſſenum (1) refert A. Edeſſeno 850. in-

(1) p. 416.

indictione ſecunda, ſignum in caelo apparuiſſe in ſpeciem haſtae, *die quinto Teſchrin prioris*, eodem anno bellum Perſicum exortum menſe *Ior*: vtrumque item anno XIII. Iuſtiniani adſcribit. Hoc nobis negotium faceſſere poteſt, ſi Edeſſeni iſto quinto Octobris annum ſuum 850 adhuc egerunt. Nam A. C. 538. is annus 850 iniit a Kal. Octobribus, ex noſtra ſententia: indictio ſecunda coepit a Kal. Septembribus A. C. 539. A. 850 Edeſſeno vergente: annus XIII. Iuſtiniani A. C. 539. a Kal. Aprilibus. Et bellum Perſicum tamen geſtum eſt A. C. 540. Procopius Caeſarienſis (2) tradit, Choſroen exacto cum hyeme decimo tertio anno Iuſtiniani, primo vere expeditionem ſuſcepiſſe, non ita multo ante vero cometen eſſe viſum, quem alii cum gladio comparantes ξιφιαν, alii a barbae forma πωγωνιαν nuncuparint. (3) Sed manifeſtus error hoc loco chronici Edeſſeni irrepſit. Nam pro anno Edeſſeno 850. quo et cometes apparuit et bellum Perſicum exortum eſt, ſcribi debuit 851. qui annus iniit A. C. 539. Kal. Octobribus, ita vt maxima eius pars anni procederet A. C. 540. Neque ignorauit hunc verum annum Chronici auctor, qui paullo ante dixerat, pacem a Ruffino Patritio conflatam vsque ad A. 851. ſeruatam fuiſſe. Iam de indictione ſecunda recte habet, cuius pars cum extremo menſe A. 850. quod reliquum fuit, cum anno 851. coincidit. Etiam XIII. annus Iuſtiniani adhuc procedebat A. 851. cum come-

(2) de B. P. p. 97. (3) Procopius de B. P. p. 95.

metes V. Octobris eſt viſus, deſierat autem A. C. 540. anno Edeſſeno 851 menſe Maio, cum Perſae Romanas prouincias adorti ſunt. Credidi initio hunc ſcrupulum ita poſſe eximi. Iuſtinianus Kal. Aprilibus a Iuſtino Imp. collega adſcitus eſt, quatuor poſt menſes ſeu Kal. Auguſti defunctus eſt Iuſtinus. Non hoc ignorauit auctor Chronici, qui ſic ſcripſit: *A. 838. primo Niſan Iaſtinianus Caeſar creatus fuit et decimo menſis Ab eiusdem anni obiit Iuſtinus, imperauitque ſolus Iuſtinianus.* Iam, inquam, menſe Maio recte Procopius annum XIV. Iuſtiniani prodidit, inde vsque a Kal. Aprilibus A. C. 540. cum annos Imperatoris numeraret ab A. C. 527. quo Iuſtinianus collega Iuſtini renunciatus eſt Kal. Aprilibus: at, ſi auctor chronici ab A. C. 527. ſuo 838. et quidem a decimo menſis *Ab* ſeu Auguſti, quo ſolus imperare coeperit, annos imperatoris numerauit, tum vero ſane A. C. 540. Edeſſeno 851. menſe Maio XIII. annus Iuſtiniani adhuc agebatur. Sic inquam *initio credidi*: poſt vbi errorem in anno Edeſſeno 850. *deprehendi*, coepi argutae *huic* conciliationi, vt mihi viſa eſt, diffidere, metuo enim ne hic quoque error ſit. Praeterea noſtri Kal. Auguſti deceſſiſſe Iuſtinum referunt, auctor chronici *V. Ab.* Hic vero nolim ſcrupulum tibi iniicias, tamquam *V. Ab* cum Kal. Auguſti conferendus ſit. Immo iterum manifeſtus error. Denique obſeruari velim, ſic annos ſuos egiſſe Edeſſenos, aliquanto tempore poſtquam Iulianus annus conſtitutus eſt: ſine dubio, poſtquam colonia Romana eſt facta Edeſſa. At ſu-

perioribus temporibus a Septembri annus eorum inchoauit, more Syrorum reliquorum. Nullo teſtimonio de Edeſſenis proprie hoc comperi, niſi ſi cui hoc ſufficiet quod dicam. Ammianus Marcellinus(4) ſcribit: *Batnae municipium, vbi annua ſolemnitate prope Septembris initium menſis ad nundinas magna conuenit multitudo.* Nundinae puto ante celebratas ipſo anni initio, poſt autem, vbi anni exordium aliud conſtitutum eſt, tamen eodem tempore fixas haeſiſſe. A Batnis concludo quoque de Edeſſa.

V. Ne quis vero ex congruentia EdeſſenaeSeleucidaeaeque epochae argumentum ducat, Edeſſam a Seleuco Olympiadis CXVII. 1. (a quo tempore caput vtriusque epochae aſſurgit) inſtauratam eſſe, atque idcirco ab eo primum anno beneuolentiae et meriti illius cauſſa Edeſſenos ciues nouam annorum recenſionem peregiſſe. Videntur tamen inter primos fuiſſe Edeſſeni, qui a Babyloniis Seleuco deuotis periodum illam receperint. Nam ad Olympiadis CXVII. 1. victus eſt Antigonus et regno Babylonico ſub poteſtatem Seleuci armis redacto, periodus, quam Calippus Cyzicenus annis iam ante nouemdecim, emendata octaeteride Metonica deſcripſerat, initium cepit iis in regionibus, quae victori ceſſerant. Pulſus autem eſt Antigonus toto agro, qui intra Euphratem continetur. Id vero non eſt obſcurum. Nam, praeterquam quod ſatis conſtat, Seleucum ſimul

(4) l. XIV. 9.

ſimul cum Babylone, tota Meſopotamia potitum, a Demetrio Antigoni filio poſſeſſione regionum intra Euphratem pelli non potuiſſe, vt Appianus nos docet, praeterea quoque proditum eſt, quod, cum Olympiadis CXIX. 4. Antigonus ad Ipſum a Seleuco, Ptolemaeo Aegypti et Lyſimacho Thraciae regibus deuictus cecidit, reges foederati regnum inter ſeſe ita diuiſerint, vt Seleucus etiam cis Euphratem Syriam vsque ad mare et Phrygiam obtineret, teſte Appiano. (5) Subiungit quidem Appianus, Seleucum, cum nullam occaſionem praetermitteret augendi imperii, acquiſiuiſſe praeterea Meſopotamiam Armeniam ceterasque, quas recenſet ordine prouincias, vsque ad Indum fluuium: verum eodem in loco ſcribit, haec accidiſſe, partem incolumi Antigono, partem eo exſtincto. Et Antiochus Epiphanes Seleuci adnepos apud Polybium (6) inſtrumentum foederis in diſceptationem profert, ex quo Syria tota conceſſa fuit Seleuco. Fuit igitur ante id bellum ſine controuerſia Meſopotamia in poteſtate Seleuci, vt Euphrates eius regnum terminaret ab occidente. Duodecim anni interceſſerant inter Babylonicum regnum a Seleuco aſſertum et Syriam occupatam. Intra eos annos Edeſſa a Seleuco eſt aucta et Antiochia cognominata, cum nondum exſtaret Antiochia ad Orontem, quae poſtea ſplendore ſuo obfuſcauit Antiochiam ad Callirhoen. Et poterat, quoniam id incertum eſt, Edeſſa extremo

(5) p. 197. (6) p. 1260.

aliquo temporis illius anno reſtaurari, nihilo minus tamen inter primos, etiam ſine aliquo Seleuci merito, adulatione potentiae eius, recipere illam periodum potuere Edeſſeni cum reliquae Meſopotamiae ciuibus. Eodem temporis inſtituto Edeſſeni vſi ſunt poſtea, vt ex eorum chronico apparet: neque adhuc illis in regionibus abolita eſt epocha Seleucidea. Henricus Noriſius (7) miratur, nullum in tot Edeſſenae vrbis numis exſtare, in quo epocha haec ſignata ſit. Ego vero mihi viſus ſum, vnum cum anno ΓΚΥ ab Ezechiele Spanhemio inter Parthicos relatum, iure meritoque Edeſſenis vindicare, de quo infra dicendi poteſtas dabitur.

VI. Praeter hanc epocham et chriſtiana religio annos mundi annosque Abrahae, et Mahumetana ſuperſtitio Hegirae epocham Edeſſae inuexit. Seleucidarum tamen epocha neque ab annis mundi, neque ab annis Abrahae loco mota et pulſa eſt. Publico conſeruata eſt vſu, dum epochas alias pii et eruditi viri, e chriſtianis Edeſſenis in ſcriptis conſectarentur. Nec mirum adeo, ſi qui annos mundi ſecundum Alexandrinos numerarunt, alii ſecundum Antiochenos aut Conſtantinopolitanos, quidam etiam peculiares rationes iniuerunt, in quibus Iacobus et Theophilus Rohenſes ſeu Edeſſeni fuerunt. Iacobus in agro Antiocheno natus, Graecam linguam in Meſopotamiae vrbibus prope exſtinctam reſtituit, cum ei

(7) p. 113.

ei in Monaſterio Aphthonii et Alexandriae operam nauaſſet. Edeſſenae vrbis Epiſcopus fuit : ſed cum ſuorum mores ferre non poſſet , eiectus vrbe in monaſteriis quibusdam Graecas litteras docuit. Reuocatus in vrbem ad pontificatum, quatuor poſt menſibus in occidentales regiones profectus quaeſitum libros Graecos , quorum incredibili ſtudio ardebat, diem obiit, anno Seleucidarum 1019. A. C. 707. (8) Theophilus autem Edeſſae natus eſt ſub idem fere tempus et A. C. 785. deceſſit. (9) Vtriusque hiſtorias Gregorius Malatienſis in chronico Syriaco et in hiſtoria dynaſtiarum Arabica cum eximia laude citauit. Eodem teſte Gregorio (10) Iacobus Rohenſis ab Adamo ad Seleucum annos 5149. Theophilus autem 5197. annos numerarunt. Ex eo non eſt obſcurum, reliquum tempus eos annis Seleucideis ſignaſſe : ſed operae pretium fuerit, ſi quis me docere velit, quem in modum annis Seleucideis vſi ſuerint. Si Gregorium audimus , ab Adamo ad Chriſtum paſſum ſecundum Iacobum anni ſunt 5550. Chriſtus ex Andronici (1) et Gregorii Malatienſis (2) ſententia , anno Seleucidarum 342. in crucem actus eſt, et ab ea opinione non poterunt multum diſcedere orientales reliqui, qui anno Seleucidarum 309. Chriſtum natum , vno quaſi ore et communi voce teſtantur. At ex Iacobi Rohenſis rationibus ſequitur , Chriſtum paſſum eſſe anno Seleucidarum 461.

Quae

(8) Gregorius Abalpharagius in chronico Syriaco apud Aſſemannum T. II. p. 335. V. t. I. p. 476. (9) ib. t. I. p. 521. (10) ib. t. II. p. 314. in hiſtoria dynaſticarum p. 98. (1) Aſſemanus t. II. f. 315. (2) in hiſtoria dynaſt. p. 112.

Quae ſane ingens eſt perturbatio temporis. Bene igitur habet, quod tam confuſae rationes Edeſſenam hiſtoriam non inquinarunt. Alii, in quibus eſt Dionyſius Telmarienſis Iacobitarum patriarcha, annos Edeſſenos Seleucidarum compararunt cum annis Abrahae, vt hos recte conſtituere nos oporteat, ſi quid in reliqua hiſtoria huius vrbis efficiendum eſt. Euſebius eam annorum Abrahae epocham primus adhibuit, ductam a natiuitate patriarchae, ita vt a Kalendis Octobribus, cum Antiochenis et Caeſarienſibus annis, anni Abrahae inirent. Non opus eſt, vt quaeramus hoc loco, quam accurate Euſebius rationes ſuas duxerit, noſtra enim tantummodo intereſt, vt ſciamus, cum quibus annis notiorum temporum tam Euſebius, quam qui eum ſequuntur Syri, annos Abrahae componi patiantur. Euſebius Hieronymi ſic habet: *colliguntur omnes ab Abraham vsque ad natiuitatem Chriſti anni, duo millia quindecim.* In Euſebio Pontaci cum eodem anno Abrahae 2015. primus annus Chriſti comparatur. At Ioſephus Scaliger annum 2016. et annum primum Chriſti coniungit: voluit enim etiam hoc loco nobis dare Euſebium, qualis ante tot corruptelas fuit. Vide autem quid ab Antonio Pagio acutiſſimi pariter et mitiſſimi ingenii viro, hac in cauſſa obiiciatur Scaligero. Euſebius anno Abrahae 2319. adſignat euerſionem eccleſiarum ſub Diocletiano: idem ille in hiſtoria eccleſiaſtica, extremo libro ſeptimo, a Seruatoris aduentu vsque ad euerſionem eccleſiarum, annos trecentos quinque fluxiſſe ſcribit. Igitur cum anno Abrahae

2319.

2319. annum Chriſti 305. vt eſt ſecundum Pontaci editionem, non annum 304. vt Scaliger habet, comparauit. Iam per ſe conſequitur, annum Abrahae 2015. et primum annum Chriſti Euſebianum et annum 310. Seleucidarum incepiſſe ſub auctumnum, in anno periodi Iulianae 4711. ſeu anno Iuliano 43. qui ambo a Calendis Ianuariis proceſſerant. Ex eo cognoſcas, differentiam annorum Chriſti ſecundum Euſebium et iuxta Dionyſium Paruum. Nam Dionyſiani anni hae ſunt notae, vt incipiant a Kal. Ianuariis ſimul cum anno periodi Iulianae 4714. et anno Iuliano 46. cum a ſuperioris anni auctumno adhuc procederet annus Seleucidarum 312. Sin rem meo magis arbitratu, quam ex auctoritate ſiue Scaligeri, ſiue Pagii conſidero, differentia illa euaneſcit. Dionyſius Telmarienſis Iacobitarum patriarcha in chronico Syriaco Euſebium ſecutus, diſerte pronunciat, Chriſtum eſſe natum anno Abrahae 2016. Id quibus ex cauſſis dicat, oſtendam. Gregorius Barhebraeus (8) ſecundum Euſebium ait, ab Adamo ad Seleucum numerari annos 4889. Totidem conficiuntur ſecundum Dionyſium Telmarienſem. (9) Nam ab Adamo ei ſunt ad diluuium anni 2242. inde ad Abrahamum 942. ab eo ad Alexandrum anni 1680. ad mortem Macedonis, anni duodecim et menſes ſex, adde his annos vndecim et aliquot menſes vsque ad Seleucum confirmatum, ita exibit a Kal. Octobri-

(8) Apud Aſſemannum t. II. p. 314. (9) ib. f. 101.

bus annus primus Seleucidarum et annus mundi 4889. Si ſubtrahas annos ab Adamo vsque ad Abrahamum, erit annus Abrahae 1705. qui comparetur cum anno primo Seleucidarum, plane vt in Euſebio Hieronymi. Qui ſic accurate Euſebium ſequitur, is non ex alterius, quam Euſebii ratiocinio annum Seleucidarum 312 cum anno Abrahae 2016. coniunxiſſe videtur. Nunc autem iuxta Euſebium Scaligerianum is annus Abrahae coniungitur cum anno Seleucidarum 311. et tamen reuera anni 312. annumerantur. Secundum Pagium annus 2015. conuenit cum anno Seleucideo 310. et tamen in Pontaci editione recenſentur anni 311. Primum igitur ex his colligo, aliquid vitii latere in annis Chriſti 305. quos Euſebius in hiſtoria eccleſiaſtica poſuit, latere aliquid erroris in Pontaci et Scaligeri editionibus: immo vero Euſebius ipſe rationes ſuas turbaſſe videtur. Apparet ex eo etiam, quid-id ſit, quod anni Chriſti in Euſebio Scaligeri tam ſaepe congruunt cum annis Dionyſii Exigui. Optandum igitur, vt aliquando Dionyſii Telmarienſis chronicon Syriacum in lucem exeat, vt ex eo Euſebius reſtitui nobis poſſit. Quod, opinor, non minori fiet cum fructu, quam cum Marianum Scotum aut Hermannum Contractum, ſincerioribus vſos exemplaribus Euſebii, in ſubſidium vocamus. Vt denique ex hac fluctuatione portum teneamus et id, quod in quaeſtione poſitum eſt, confirmemus, dicimus Dionyſium Telmarienſem nomine quidem Chriſtum natum prodere anno Seleucidarum 309 (quae omnium orientalium per-

uetuſta eſt opinio) reuera autem annum 312. cum primo anno Chriſti et anno Abrahae 2016. comparare atque ſecundum id nos recte ratiocinia inſtituere de annis Abrahae. Inſpiciemus eius verba de Osrhoeni regniorigine atque interitu. *Anno Abrahae* 1880. inquit, *regnare coepit Edeſſae rex primus Orrhoes, inchoauitque regnum Olympiade* 161. *deſiit Olympiade* 249. Poſtea ad annum Abrahae 2233. *hic deſiit regnum Edeſſenum, quod annos* 352. *durauerat.* Secundum noſtrum calculum Olympiadis 249. 1. annus ſub ſolſtitium aeſtiuum, annus autem Abrahae 2233. ſub auctumnum in anno periodi Iulianae 4830. ſeu anno Chriſti Dionyſiano 217. inceperunt. Antoninus Caracalla occiſus eſt eo anno Chriſti VIII. Maii et in vinculis tenuit Abgarum ab eo tempore, cum Edeſſam eſſet ingreſſus hibernatum. Sequitur, recte annum Abrahae 2233 cum Olympiadis 249. primo anno conferri, tamquam vltimum regni Edeſſeni terminum, ſed minimum nouem menſibus ante, regem Abgarum poteſtate fuiſſe exutum. Iam, ſi annos 352. retro numeres, a quarto admodum menſe anni 2232. incides in quartum menſem anni 1880. qui comparandus erat Dionyſio cum Olympiadis 160. 4. At Dionyſius ait, illum annum fuiſſe Olympiadem 161. Nempe ex Euſebii, quem ſequebatur, ratiocinio, qui Olympiades veras ita anteuertit, vt eas ab Octobri antecedente inciperet. Et ſequitur ex eo, Dionyſium annum Abrahae 2233. et Olympiadis 249. 2. ab Octobri anno Chriſti 217. inchoaſſe. Sic omnia bene cohaerent, quod aliter e-

ueniret, niſi noſtrae rationes valerent. Sed plus confirmabuntur in progreſſu operis. Chronicon Edeſſenum ait: (10) *anno* 180. *incepere reges, qui fuere Edeſſae.* Haec eſt differentia annorum quatuor et amplius. Orta ex eo videtur, quod ſub eius finem anni Abdo bar Mazur regnare coepit. Iam vt apud Romanos alii alio a cardine Imperatorum Caeſarum annos numerant, ſeu a C. Iulio Caeſare, ſeu ab Octauiano, ita non eſt mirum, ſi ab altero rege, qui primus regnum Edeſſenum ab Orrhoe inſtitutum confirmauit, Chronicon incipit, tamquam ab altero parente illius reipublicae. Dixi Euſebium annos Abrahae more Antiochenorum et Caeſarienſium ordiri a Kal. Octobribus, quae tum ratio obtinebat. Sic ſine dubio etiam Dionyſius. At cum idem annos Edeſſenos ante Chriſtum natum annis Abrahae enunciat, ſequitur illorum initium, vt tum fuiſſe ſupra monui, eſſe ducendum ab initio Septembris Iuliani.

VII. De his quaedam commodius poſtea perſequemur, nunc enim, quae facies Edeſſenae vrbis ſub Seleucidis fuerit, quae condendi regni occaſio, qui motus, et quae ſunt ex eo genere alia, explicanda erunt. Eſt autem Edeſſa ſub Seleucidarum imperio vsque ad extremos eius regni caſus eadem fortuna vſa, quae totius Meſopotamiae fuit. Et erat ab Seleuco Nicatore vsque ad Antiochum Magnum a M. Acilio Cos. victum ad Thermopylas, magnum

(10) p. 388.

gnum Syriaci imperii robur, opes incredibiles. Ab illo autem tempore acciſae vires, amiſſa Aſia, tributum imperatum. Seleucus Philopator obſequendo Romanis quieſcendoque vires profligatas refecit, quibus Antiochus Epiphanes inter Macedonici belli tumultus et Ptolemaei Philometoris immaturam aetatem Aegypto incubuit. At debellato Perſe, vnius Popilii Laenatis ſeuerus vultus et imperioſum mandatum, a tanta ſpe ad deſperationem tuendi regni ſui deiecit Antiochum. Ab eo tempore labi in dies Syrorum res et inteſtinis bellis parricidiisque et Romanorum Parthorumque praeualida potentia. Sub Antiocho hoc Edeſſa numo cuſo memoriam vrbis ſuae inſigniuit, quem numum Ioannes Valens in Syriae regum numis produxit. Cur ciues Edeſſeni ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ dicantur in numo, id ſupra a me explicatum eſt. Videtur autem numus cuſus, cum Antiochus anno Seleucidarum CXLVI. expeditionem in Armeniam et Perſiam faceret, in quo bello Artaxiam regem praelio ſuperatum cepit. (1) Ab Antiochia enim videtur Edeſſam petiiſſe, qua commodisſimum iter erat proficiſcentibus in Armeniam et Perſiam. Et in Armeniam quidem per ſuperiores Meſopotamiae regiones erat iter: in Perſiam autem ab Edeſſa duae erant viae. Vna Tigri ſecundo Niſibin et in Adiabenicas terras, altera Euphrate ſecundo ducebat Circeſium et in Aſſyriam, vt in Iuliani Paraba-

(1) Appianus p. 187. ed. Tollii.

rabatae itinere apud Zosimum intelligitur. Itaque Edessenus populus hunc numum praesenti numini Antiochi Epiphanis consecrauit. Postquam rex in Elymaeis seditione populari exagitatus, Tabis in Parataceni montibus haud procul a Babylone decesserat, Lysias, qui cum Antiocho Eupatore puero Antiochiae relictus fuerat, tertio post anno, Demetrii Soteris (is Seleuci Philopatoris, qui ante Epiphanem regnauit filius, Antiochi magni nepos fuit) aduentu et defectione vrbium exercituumque, tutela exutus, cum puero rege trucidatur. Demetrius duodecim annis in regno exactis, et Romanis, a quibus obses profugerat, et Ariarathi Cappadoci, ob auxilium Oropherni missum, Attaloque, qui Ariarathis sororem in matrimonio habebat, et Ptolemaeo Philometori inuisus, quem Cypri possessione per Archiae praefecti proditionem euertere instituerat, suis quoque ciuibus grauis ob intemperantiam, coniuratione omnium circumuentus in praelio cecidit. Subornatus erat Demetrio aemulus Alexander Balas, qui se Epiphanis filium ferebat, ducta in matrimonium Cleopatra Ptolemaei Philometoris sorore. Is cum omnia Ammonio permitteret, alienae crudelitatis inuidia atque propria turpitudine insidiisque soceri fractus victusque ad Oenoparam, ex fuga supplex Arabum regi Zabdieli (אל שבח *Schaphtillahi*, *dei laus*, qua caussa Διοκλέα eum Diodorus Siculus appellat) ab eodem perfide obtruncatur. Sic Demetrius Nicator cum Cleopatrae matrimonio paternum regnum precario munere Ptolemaei regis obtinuit. Quoniam apud Deme-

metrium hunc is erat Lasthènes Cretensium auxiliariorum dux, qui apud Antiochum Balam Ammonius fuerat, Antiochenis tumultuantibus, exercituque Syriaco partim dimisso, partim offenso et alienato, Diodotus Tryphon Antiochum, Balae et Cleopatrae filium, Θεὸν cognominatum, ab Elmalchuele Arabe (الملك الله *Almelik illah*) apud quem nutriebatur, deduxit in Syriam. Demetrius praelio victus in Mesopotamiae regionibus et Babylone vires reparabat, Tryphon cum puero in Cilicia. Interea Parthi, qui, cum Seleucus Callinicus Nicatoris pronepos a Ptolemaeo Euergete et Antiocho Hierace fratre Gallisque et domesticis tumultibus distineretur, caput extulerant, post firmatam potentiam, Mesopotamiae insidiabantur, et, si fortuna permitteret, etiam Syriae atque Asiae. Nam Mithridates Parthus, bellum vertit in Medos et Hyrcanos, populosque ad Caucasum montem. (2) Denique et Elymaeis (3) et Demetrii duce superatis, Babylonem invasit. (4) Hoc discrimine consternati Mesopotamienses et quotquot e superioribus satrapiis duro Parthorum imperio se liberari cupiebant, Demetrium regem ad opem ferendam excitabant. Ille aliquot praeliis victor denique per pacis simulationem ex insidiis petitus, amisso exercitu, in hostium manus peruenit, (5) et in liberali custodia apud Hyrcanos, seu filiam Mithridatis, vt Iustinus habet, seu sororem Rhodogunam, vt Appianus, in matrimonium accepit. Interea Try-

(2) Diodorus Siculus in Excerptis Valesianis p. 358. (3) Iustinus l. XLI. 6. (4) Orosius l. V. c. 4. (5) 1. Macc. XIV. 1 Iosephus l. XIII c. 9. Iustinus XXXVI. 1. XXXVIII. 9.

Tryphon occiſo puero regio, cui tutor datus fuerat, ipſe pro rege ſe gerebat, Cleopotra autem regina Seleuciae deſtituta, Antiochum Sideten Demetrii fratrem ad nuptias et ſpem regni euocabat. Is, vt erat impiger et domi bellique probabilis, non modo Tryphonem tertio anno poſt captum a Parthis Demetrium regno ſpoliauit, ſed etiam vrbes, quae defecerant, partem armis, partem virtutis fama et beneuolentia recuperauit. Inter has turbas Parthi orientalia et ſeptemtrionalia Meſopotamiae, Arabes occidentalia ad ſe trahebant. Et Parthi quidem facile firmabant potentiam ſuam defectione vrbium ad Demetrium, quem in Hyrcanis pro iuſto domino et rege Syris oſtentabant. (6) Demetrius anno Seleucidarum CLXXI. bellum mouerat Parthis et Antiochus Sidetes ante annum CLXXIV in Syriam venit et poſt tertio anno Tryphonem auxiliis omnibus ſpoliatum, Apamea capta, occidit: ſub verem autem anno quarto, Seleucidarum CLXXVII. aduerſus Ioannem pontificem duxit totaque aeſtate obſedit Hieroſolyma,

VIII. Inter has turbas oriente diſtracto, dum Antiochus cum Tryphone, mox inferior, mox aequatis viribus bellum gerit, dum ſuperato eo Hieroſolymitanum perſequitur, dum Parthi in Meſopotamia rerum domini continere in obſequio deuictos aut dedititios, non vi magis quam beneuolentia ſtudent,

(6) Appianus p. 189.

dent, exorta eſt opportunitas Osrhoi Edeſſeni regni condendi. Ante Osrhoem vero eiusmodi Edeſſenae rei publicae facies fuiſſe videtur quae Seleucenſium etiam inter Parthos fuit. *Trecenti*, inquit Tacitus, (7) *opibus aut ſapientia delecti, vt ſenatus : ſua populo vis : et quoties concordes agunt, ſpernitur Parthus, vbi diſſenſere, dum ſibi quisque contra aemulos ſubſidium vocant, accitus in partem, aduerſum omnes valeſcit : id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex ſuo vſu: nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior eſt.* Idem accidiſſe videtur apud Edeſſenos, opprimentibus populi libertatem Parthis et vnius potentiae fauentibus. Et Arabes quidem tum vi tum pactionibus foederis et amicitiae, in partes trahebant Meſopotamiam, ſuperiores tamen prouinciae magis obnoxiae erant Parthis. De Edeſſenis Theodoretus Cyrenenſis in Aſcetica hiſtoria auctor eſt. (8) Scribit enim, quae Oſrhoene tum erat, eam antea Parthyaeam fuiſſe dictam: quod ſibi tempus arroget aliud nullum, niſi hoc, de quo ſermo eſt nobis. Et confirmat me egregie Procopius Caeſarienſis in Perſicis, (9) Οσροήνη Οσρόου ἐπώνυμός ἐστιν, ἀνδρὸς ἐνταῦθα βεβασιλευκότος ἐν ταῖς ἄνω χρόνοις, ἡνίκα Πέρσαις οἱ τάυτη ἄνθρωποι ἔνσπονδοι ἦσαν. *Oſrhoene Oſrhois cognomine dicta, a viro qui ibi regnauit ſuperioribus temporibus, cum hominibus qui iſthic colebant, in foedere eſſent Perſarum.* Perſas

(7) Tacitus Annal. l. VI. 42. (8) p. 772. (9) p. 49. ed. Pariſ.

vocat, qui tunc quidem Parthi fuerunt. Suidas quoque Oſrhoen hunc Procopii habet: Οσροήνη ὄνομα πόλεως ἢ τόπυ. ᾗ Οσρόης ὄνομα κύριον. Iacobus Gronouius ad Ammianum Marcellinum, (10) Oſrhoen illum Procopii putat Choſrhoen aliquem eſſe, Parthorum regem, quia, quem Arrianus apud Suidam vocauit Choſroem, regem Parthorum ſub Traiano, eundem Pauſanias in Eliacis prioribus appellat Oſrhoen. Ille homo ſapiens qui Corinthi edidit hiſtoriam Parthicae ſub M. Antonino expeditionis, etiam hoc poſuit Luciano irridendum, (1) Οσρόης τὸν οἱ Ελληνες Οξυρόην ὀνυμέυσι. Verum, tantum eſt idem Oſrhoes qui Choſroes, quantum eſt idem qui Orthryades dux Parthicus, quem Seuerianus Celta legatus Traiani adortus, infeliciter pugnauit. (2) Choſroen Armeni dicunt Խոսրով *Chuëſruëv*, quod vetus Parthicum vocabulum fuiſſe non dubito, nam Haicana lingua nobis veterem Parthicam conſeruauit. Perſae, qui nunc ſunt, كسرى *Kesra* dicunt, ex quo Teixeira fecit *Keſere*, Arabes خسرو *Choſrau*: vtrumque videtur ex Graeco χοσρόης ab interpretibus traductum. At ارهي بر حبيا *Orrhoi bar Chevjo*, quod Syriacum nomen eius Oſrhois eſt, qui Edeſſenum regnum condidit, nihil Parthici habet. Vt Gronouius res Edeſſenas ad Parthos trahit, ita Noriſius Cardinalis ad Arabas. Nam in epochis Syromacedonum

(10) p. 300. (1) quomodo conſcribenda hiſtoria p. 615. (2) Lucianus in Pſeudomante p. 765.

num,(3) Dionem et Herodianum obiicit Procopio, ſub Alexandro Seuero Oſrhoenum nomen referentes, *cum* inquit, *nullus apud Edeſſam Oſrhoes quispiam ante trecentos fere annos ibidem regnaſſe inueniatur, ſed illius phylarchi nomen Abgari ſemper tulerint.* Ea mente cum eſſet aduerſus Procopium Noriſius, vir quanto ingenio, qua arte, quanta integritate, e coniectura ſua regni illius originem conſtituit eo in tempore, quo Antiochi Grypi filii Syriam ciuilibus diſcordiis lacerarunt. Aretam enim Arabem occupaſſe Coeleſyriam, Arabas autem alios duce Abgaro Edeſſam et vicina redegiſſe in poteſtatem. Hanc coniecturam alioqui probabilem, aduerſus Procopium parum proficere intelligo, idoneis auctoritatibus deſtitutam. Confirmata enim Procopii fides eſt Syriacis monumentis, quae poſt Noriſii fata Romae in lucem prodierunt, quibus, ſi viueret noſter ille chronologus, conceſſurus plane pro ſua aequitate fuerat. Qui Oſrhoem ſecuti ſunt reges, aut Parthica et Armenica, aut Arabica nomina geſſerunt. Arabes autem Scenitae eo etiam tempore partem auſtralis Meſopotamiae tenuere, cum contra Artaxerxem Mnemona Cyrus frater duxit. Nam is cum ad Thapſacum e Syria profectus Euphratem traiecisſet, iter faciebat per Arabiam, vt ad dexteram haberet fluuium, teſte Xenophonte. (4) Iam veterum plerique Edeſſenorum regulos inter Arabas recenſent. Plinius Edeſſam in Arabia Merorum collocat,

E 2

(3) p. 300. (4) ἐν τῇ τοῦ Κύρου ἀναβάσει l. I. c. V.

locat, (5) Appianus in Parthicis, (6) φύλαρχον Ἀράβων vocat, regem Edeſſenum, vt Tacitus (7) *regem Arabum* et Sex. Rufus (8) *phylarchum Saracenorum*: econtrario Stephanus Byzantius Συρίας πόλιν Edeſſam citat et eius vrbis principem, *regem Perſarum* Marius Maximus. *Quare*, inquit Noriſius, (9) *ea pars Meſopotamiae, quae a barbaris tenebatur, Plinii et Taciti, qui ſub Traiano viuebant, aetate, Arabia dicebatur.* A barbaris vero tenebatur Edeſſa? in qua Graecos fuiſſe iis temporibus, ſermonis Graeci vſus declarat in numis. Sin reges tantummodo fuiſſe barbaros Noriſius cenſet, verum id quidem, quantum ſuſpicari licet ex nominibus eorum, at plerique non Arabicum nomen gerunt, verum Parthicum et Armenicum. Ita *Gabaru*, *Paradaſcht*, *Abgar*, *Ajazet*, *Parnataſpates*, Parthica ſunt et Armenica: *Bakru*, quaſi بكر *Bacr* et *Val*, ſeu وال Arabica ſunt: *Abdo*, *Mazour*, *Pacor*, *Maanu*, *Sabru*, et Arabica et Syriaca eſſe poſſunt. Ex his colligo, Oſrhoen Heuiada, conditorem regni, Syrum fuiſſe, id enim nomen indicat: Abdum vero Maſuridem fuiſſe ſeu Arabem ſeu Syrum, incertos enim nos nomen reliquit: Paradaſten e Parthico aut Armenico genere, alios deinceps tum e Parthicis, tum ex Armenicis, Syriacis, Arabicis familiis, quae Edeſſae conſederunt, aut in vicino potentes fuere. Parthorum vtique amici fuere et foederati Edeſſeni, vt ſe ſub eius potentiae praeſidio tuerentur. Intererat au-

(5) l. V. c. 24. (6) p. 229. ed. Tollii (7) Annal. l. XII. c. 12. (8) c. XIV. (9) p. 106.

autem Parthorum, Edeſſenos regulos ad Euphratem, qua Syri reges et poſtea Romani transituri erant in Meſopotamiam, cum validis viribus opponi. Syrorum vero regum ſic adflictae res erant, vt ſiue non poſſent opprimere Edeſſenos ſiue tamquam parum metuendos negligerent. Edeſſeni denique aſtu non inutili ſaepenumero inter *Syros* aut Romanos aut Armenos *Parthosque*, pro ambigua *bellorum* fortuna, medios ſe tulerunt, ita, vt addictiores eſſent Parthis, donec res Romana magis in vicino, eos quoque magis traxit.

IX. Eſt igitur error ſcriptorum manifeſtus, cum eos Arabas aut Saracenos vocant, ob vicinitatem miſtosque eadem in vrbe Syris et Graecis Arabas: eſt et Marii Maximi error, qui Perſis, hoc eſt Parthis eosdem attribuit. Etiam in dignitate regum erratum eſt. Euſebius (1) Zonaras, (2) Gregorius P. R. (*) βασιλέας vocant: eo titulo vſos eſſe, ex numis atque aliis *monumentis* Edeſſenis plane cognoſcitur. Appianus *et incertus auctor rerum a Traiano geſtarum* phylarchos dixit. *Sic* apud Suidam in Φυλάρχης legimus: ὁ δυνάστης ξυμβάλλει Τραϊανῷ περὶ Ἀκβάρῳ τῆς ἦν Ὀσροήνης χώρας δυνάστης, ὅσπερ φυλάρχας ὀνομάζουσιν ἐκεῖνοι, ὅτι ἢ τὰ χωρία αὐτῶν φύλαι ὀνομάζονται. Vti Arabes in tribus diuiſi fuerint, vti ſuos ſingulae tribus phylarchas habuerint, vel exlo-

(1) Euſebius H. E. l. 1. c. 13. τάυτη τοι βασιλεὺς Ἄγβαρος τῶν ὑπὲρ Εὐφράτην ἐθνῶν ἐπισημότατα δυνασεύων (2) t. I. p. 613 (*) De imaginibus ad Leonem Iſauricum in Actis Synodi VII. p. 5. ed. Hard.

ſepho et Nonnoſo Photii notum eſſe poteſt, ne quid de chronico orientali Abrahami Echellenſis dicam, aut de iis, quae Eduardus Pocokius explicata dedit. Sic poteſt fieri, vt vrbes et pagi in regno Edeſſeno Φυλαὶ قبايل (vt Arabicae tribus) اعشر vel عمارات vel شبطا dicerentur, quaſi respublicae quaedam paruae. Nec tamen idcirco aut ſub Arabum poteſtate fuerunt, aut rex Edeſſenus debito maieſtatis titulo fraudandus fuit. Vtut enim aliquid traxerint ab Arabibus, ſua tamen alia inſtituta habuere Edeſſeni, maximam vtique partem Syri. Neque mirandum eſt, ſi regem Edeſſenum noſtri ſcriptores, pro ſuo quisque ingenio, aut vt Euſebius, τὸ παρχον, et τὸ πάρχην, vt Cedrenus, et tum Euſebius, tum Conſtantinus Porphyrogenneta in epiſtola Abgari ad Chriſtum aut δυνάςην vt Epiphanius, aut ἄρχοντα vt Dio Caſſius in excerptis, dixerunt, quamquam is ipſe Dio Abgarum etiam regem vocat. Regio tota, quae ſub hoc regno continebatur, Oſrhöene a noſtris ſcriptoribus nuncupatur Dionyſius Telmarienſis a nomine primi regis اورهى *Vrhoi* deductum putat اورهى *Vrhoi*. Sed an quius id vocabulum vrbis Edeſſenae eſt, tantummodo quod ſub regibus non modo vrbem, verum etiam agrum omnem, villas, oppida huic vrbi ſubiecta inſignierit, eamque Dionyſii quoque ſententiam fuiſſe veroſimile eſt. Graeci ex eo fecere Οροήνην, vt eſt apud Suidam, aut vt apud Dionem Caſſium Οὐρροήνην, inflexione perfacili, ex quo poſtea fecerunt Οσροήνην, vt ex *Orhoi* conditore regni *Oſrhöen*. Thomas Hyde (2) reiectis ceteris Ορροήνην veram lectionem putat, quamquam idem, qui eam habet, Suidas, Οσροήνην quoque

(2) In hiſtoria religionis veterum Perſarum p. 75.

que ſcripſit. Et ſic vero etiam Ammianus Marcellinus, qui illis in locis egit, Expoſitio totius orbis ab homine, vt mihi videtur, Antiocheno ſcripta, et a Dionyſio Gothofredo Graece interpolata, Eutropius, Sextus Rufus, Procopius, Notitia imperii orientalis, libellus prouinciarum Romanarum, notitia eccleſiarum, *Hieroclis Synecdemus* vt eſt e MS. emendatus a *Bandurio*, Acta denique concilii primi Orlitani, Chalcedonenſis, quintae ſynodi, ne dicam magno numero alios, in quibus ſunt, qui etiam *Oſdroënen* enunciant. (*) Hoc autem per Graecos homines ad ipſos Edeſſenos manauit, qui in chronico ازرينا *Oſrohinam* (3) poſuerunt. Quamquam denique mihi videntur Graeci, qui Ὀζρόηνην dixerunt, magis Arabicum nomen vrbis *Roha* et σὺν ἄρτεῳ προτακτικῷ الرها *Erroha* reſpexiſſe. Nec dubito quin Gregorius VIII. P. R. in epiſtola ad omnes Chriſti fideles A. C. 1186. nomen *Arroaſiae* ex illo Arabico factum vſurpauerit. (4) Potes enim etiam Arabice efferre *Arroha*, medio quodam inter primam et ſecundam vocalem ſono. Quam late Oſrhoenum regnum patuerit, nusquam proditum legi. Theodoretus Cyrenenſis (5) Osrhoenem ad occidentem Euphrate definit, ab oriente illa prouincia Romanum imperium diſterminat ab Aſſyria ſeu Adiabene Perſici regni: in Notitia autem eccleſiae, eſt Oſrhoënes me-

(*) Hieronymi locum ad Matth. X. *Abagarum regem Choſidenae* Valeſius ad Euſebium p. 21 emendat *Choſdroenae, uel quod idem eſt, Oſdroenae*. Immo iſthuc alterum nihili eſt. (3) p. 309. (4) Tom. VI. conciliorum Harduini, parte ſecunda p. 1891. *potuerunt autem iſta timeri iam pridem, quando Arroaſia et alia terra in poteſtatem tranſiit paganorum* (5) In hiſtoria aſcetica p. 772.

metropolis Edeſſa, vrbes epiſcopales eius Carrhae, Batnae, Callinicum, Birtha. Theodoretus praeterea nos docet, Oſrhoenem temporibus illis, frequenta tam vrbibus magnis et populoſis, ſuas quoque ſolitudines habuiſſe, in quibus Iulianus Sabbas τὴν ἀσκητικὴν καλύβην conſtruxit. Inuenimus quoque prouinciae illius vrbes, Circeſium, Himerium, Rheſainam. Sed haec amplitudo conuenit illi aetati, cum Romani ea, quae in Meſopotamia tenebant, in duas diuiderent prouincias, Meſopotamiam et Oſrhoenen. Nihil igitur hoc ad regni Edeſſeni tempora.

X. Eorum vero regum, qui Edeſſae fuerunt, memoria inſignita eſt et inſidiis in Craſſum comparatis et quibusdam aliis factis, maxime autem Abgari in dominum deumque noſtrum pietate. Numos quoque antiquarii produxerunt, ex quibus idcirco parum profecere ad hiſtoriam Osrhoenam illuſtrandam, quod ad eam rem monumentis aliis deſtituerentur. Hoc nobis exemplo eſſe debet, ne eam in cogitationem incidamus ab impenſa numariae eruditionis laude, vt hiſtoriam antiquam e numis ſolis reſtitui poſſe putemus, quamuis auctores interciderint omnes. Nam vbi numos comparamus cum iſtorum teſtimoniis, multa ad confirmandam illuſtrandamque veterem memoriam, quaedam etiam ad amplificandam obueniunt nobis, ita vero, vt potius inſignitiusue ſit ſcriptorum meritum, e quibus lucem accendimus numis, quam numorum, e quibus ſcriptores tenui ſane et ſubtili acceſſione locu-

cupletantur. Vt ingens ſit numorum copia, et, quotquot exſtitere vsquam, in vnius confluxerint ſinum, tamen omnis illa quaſi acies explicari non poſſet et ordinari, ſi duces iſti noſtri cecidiſſent. In vanum opera conſumitur hariolando, niſi ſi forte aliquis condere nouas fabulas cupiat, veluti vnus e populo lunari deſcripturus terreſtrium conditionem rerum, quas e longinquo contuetur tamquam puncta aut nebulas. Somnia haec ſunt iocularia, ſed pernicioſa ſupra modum vbi ita accidat, vt ille ἐνθουσιασμὸς latius ſerpat. Fortaſſis vir quidam longe nobis doctior plus aequo metuit, ne haec critica haereſis interitum adferat hiſtoriae: negari tamen non poteſt, defenſores reperiſſe Archontianam officinam et in animis quorundam gliſcere, vt diſſimulari econtrario indignatio a recte ſentientibus non debeat. Ab hac indignitate, quam mihi veritatis amor et quorundam intemperanter numis abutentium incredibilis ambitio expreſſit, ad laeta magis digredior atque tibi, gratiam quam debemus publice refero, Aſſemane doctiſſime, qui monumentis Edeſſenis euulgatis, ſignum ſuſtuliſti, vt hiſtoria regum Osrhoënorum in luce collocaretur. Tuam ego eruditionem, tuam omni in pagina integritatem et candidi imaginem pectoris et antiqui fidem exempli et iudicium acre et indefeſſum laborem admiror, vt me vix per tuam modeſtiam amoremque mutuum a praedicatione laudum tuarum ſuſtineam, quae profecto ſunt ampliſſimae. Tuum igitur illud eſt meritum quoque, quod Abgaros noſtros in numis, per-

petuae ſucceſſioni regum Osrhoenorum inſerere poſſumus ſuisque temporibus reſtituere. In quo cum a te nonnumquam diſſentio, liberaliter diſſentio, ac, quod certo ſcio, bona cum gratia tua. Dionyſius Telmarienſis duplices temporum notas in ſucceſſione regum conſignatas reliquit. Cum enim annos menſesque, quos quisque regnauit, et interregnorum ſpatia adſcripſit, tum vero etiam annis Abrahae eorum principatuum tempora inſignuit. Hanc alteram rationem ſecutus es, multa tamen ſunt in quibus Dionyſio non ſatis fidis. At ego vero cum cernerem, in paucis annos, qui cuiusque adſcribuntur regno, cum annis Abrahae a Dionyſio ſignatis conuenire, praeterea multa ſentirem ea ex cauſſa parum cohaerere, coepi annos tantum eos ſequi, quos quisque regnauerat, eaque ex re illum percepi fructum, vt omnia inter ſeſe colligata et veritati conſentanea fieri reperirem. Abgarum primum Dionyſius annos tres regnaſſe ſcribit, ab anno Abrahae 1985. et Abgarum Sumacam tamen anno Abrahae 1986. regem ponit. Ita in aliis plerisque turbatur. Pacorum dicit regnum cepiſſe eodem anno, cum Pacorus Parthus cum Bar Zaphrune Syriam inuaſit et Hyrcanum captiuum duxit. Id vero accidit A. C. 714. quo anno annus Abrahae 1977. coepit, circa quae tempora Pacorum Edeſſae rerum eſſe potitum, noſtrae nos rationes docent: at Dionyſius initia regni eius ponit in anno Abrahae 1975. Eundem Pacorum dicit regnaſſe annos quinque, attamen ſucceſſorem ei dat A. Abrahae

hae 1985. Nimirum Dionyſius ex tabulis Edeſſenis acceperat Oſrhoënum regum nomina, cum annorum, quibus quisque imperium tenuerat et interregnorum notatione, forte quosdam etiam cum annis Edeſſenis ſeu Seleucideis: haec ille vero imperitius annis Abrahae deſcripſit. Itaque animaduerti, accuratiſſime rem expediri, ſi Edeſſeni rationes tabularii ſequamur, illas autem Dionyſii confuſas et perturbatas faceſſere iubeamus. In progreſſu operis per ſe apparebit, poſſe nos laqueos, quibus ſe Dionyſius induit, ſummo cum decore effugere, et res Romanas ſic demum Edeſſenis monumentis concordare. Primum igitur tabulam chronologicam ponam ex mea ſententia, poſtea eam perpetua ratiocinatione confirmabo.

A. Per. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.		A. Sel.	A. Abr. K. Sept. ſ. Octob.	
4574	140	614	160	1	173		
4575	139	615		2	174		
4576	138	616		3	175		
4577	137	617		4	176	1880	I. ORHO IBAR CHEVIO regnauit annos V. a Septembri
4578	136	618	161	1	177	1881	
4579	235	619		2	178	1882	
4580	234	620		3	179	1883	

A. Per. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.		A. Sel.	A. Abr. a K. Sept. ſ. Octob.	
4581	133	621					
				4	180	1884	
4582	132	622	162	1	181	1885	II. ABDVS MAZOVRI F. regnauit annos VII.
4583	131	623		2	182	1886	
4584	130	624					Abdus ſe ſuaque dedidit Antiocho Sidete.
				3	183	1887	
4585	129	625					
				4	184	1888	
4586	128	626	163	1	185	1889	
4587	127	627		2	186	1890	
4588	126	628		3	187.	1891	
4589	125	629					
				4	188	1892	III. PARADASTES GABARI F. annos V.
4590	124	630	164	1	189	1893	
4591	123	631		2	190	1894	
4592	122	632		3	191	1895	
4593	121	633					
				4	192	1896	
4594	120	634	165	1	193	1897	IV. BACRVS PARADASTAE F. annos III.
4595	119	635		2	194	1898	
4596	118	636		3	195	1899	
4597	117	637					
				4	196	1900	V. BACRVS BACRI F. an. XX.

4598

A. Per. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.		A. Sel.	A. Abr. a K. Sept. f. Octob
4598	116	638	166	1	197	1901
4599	115	639		2	198	1902
4600	114	640		3	199	1903
4601	113	641		4	200	1904
4602	112	642	167	1	201	1905
4603	111	643		2	202	1906
4604	110	644		3	203	1907
4605	109	645		4	204	1908
4606	108	646	168	1	205	1909
4607	107	647		2	206	1910
4608	106	648		3	207	1911
4609	105	649		4	208	1912
4610	104	650	169	1	209	1913
4611	103	651		2	210	1014
4612	102	652		3	211	1915
4613	101	653		4	212	1916
4614	100	654	170	1	213	1917
4615	99	655		2	214	1918

MAANVS simul IV. menses. ABGARVS PHILCAS II. annos, IV. menses cum Bacro

4616

A. P. I.	Ante C. N	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr. a K. Sept. ſ. Octob	
4616	98	656				
			3	215	1919	
4617	97	657				
			4	216	1920	VI. ABGARVS PHICAS ſolus regnat annos XXIII, menſes V.
4618	96	658				
			171 1	217	1921	
4619	95	659				
			2	218	1922	
4620	94	660				
			3	219	1923	
4621	93	661				
			4	220	1924	
4622	92	662				
			172 1	221	1925	
4623	91	663				
			2	222	1926	
4624	90	664				L. Sulla ad Euphratem caſtra habet et legatos Parthorum accipit.
			3	223	1927	
4625	89	665				
			4	224	1928	
4626	88	666				
			173 1	225	1929	
4627	87	667				
			2	226	1930	
4628	86	668				
			3	227	1931	
4629	85	669				
			4	228	1932	
4630	84	670				
			174 1	229	1933	
4631	83	671				
			2	230	1934	
4632	82	672				
			3	231	1935	
4633	81	673				
			4	232	1936	
4634	80	674				
			175 1	233	1937	
4635	79	675				
			2	234	1938	

4636

P. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr. a K. Sept. f. Octob.	
4636	78	676				
			3	235	1939	
4637	77	677				
			4	236	1940	
4638	76	678				
			176 1	237	1941	
4639	75	679				
			2	238	1942	
4640	74	680				
			3	239	1943	VII. ABGARVS ABGARI F. a Februario Ann. XV.
4641	73	681				
			4	240	1944	
4642	72	682				
			177 1	241	1945	Abgarus pro Tigrane et Mithridate arma capit contra L. Lucullum.
4943	71	683				
			2	242	1946	
4644	70	684				
			3	243	1947	Abgarus a L. Lucullo oppressus.
4645	69	685				Abgarus L. Luculli fidei sese tradit.
			4	244	1948	
4646	68	686				
			178 1	245	1949	
4647	67	687				
			2	246	1950	
4648	66	688				
			3	247	1951	Abgarus ad Cn. Pompejum in castra venit, in fidem recipitur.
4649	65	689				
			4	248	1952	
4650	64	690				
			179 1	249	1953	
4651	63	691				
			2	250	1954	
4652	62	692				
			3	251	1955	
4653	61	693				
			4	252	956	
4654	60	694				
			180 1	253	1957	

A. P. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr	
4655	59	695				
			2	254	1958	
4656	58	696	-	-	-	Interregnum vnius annī.
			3	255	1959	
4657	57	697	-	-	-	VIII. MANVS DEVS a Febr. annos XVIII. menses V.
			4	256	1960	
4658	56	698	-	-	-	
			181 1	257	1961	
4659	55	699				
			2	258	1962	
4660	54	700	-	-	-	P. Licinius Crassus res in Mesopotamia gerit, Manum regem in fidem accipit.
			3	259	1963	
4661	53	701	-	-	-	
			4	260	1964	
4662	52	702				Manus Crassum ducit in insidias Parthicas et Romanos caedit.
			182 1	261	1965	
4663	51	703				
			2	262	1966	
4664	50	704				
			3	263	1967	
4665	49	705				
			4	264	1968	
4666	48	706				
			183 1	265	1969	
4667	47	707				
			2	266	1970	
4668	46	708				
			3	267	1971	
4669	45	709				
			4	268	1972	
4670	44	710				
			184 1	269	1973	
4671	43	711				
			2	270	1974	
4672	42	712				
			3	271	1975	

A. P. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr.	
4673	41	713				
			4	272	1976	
4674	40	714	-	-	-	Pacorus Orodis Parthorum regis filius cum Barzaphrune res gerit in Syria.
			185 1	273	1977	
4675	39	715	-	-	-	IX. PACORVS a Quinctili annos V.
			2	274	1978	
4676	38	716	-	-	-	Pacorus Orodis regis Parthorum fil. caeditur a Ventidio.
4677	37	717	3	275	1979	
			4	276	1980	
4678	36	718	186 1	277	1981	
4679	35	719				
			2	278	1982	
4680	34	720	-	-	-	X. ABGARVS a Quintili annos III.
			3	279	1983	
4681	33	721	4	280	1984	
4682	32	722	187 1	281	1985	
4683	31	723	-	-	-	XI. ABGARVS SVMACA a Quintili annos III.
			2	282	1986	
4684	30	724	3	283	1987	
4685	29	725				
			4	284	1988	
4686	28	726	-	-	-	XII. MANVS SAPHELVL a Quintili annos XXVIII, menses VII.
4687	27	727	188 1	285	1989	
4688	26	728	2	286	1990	
4689	25	729	3	287	1991	
			4	288	1992	
4690	24	730	189 1	289	1993	

A. P. I.	Ante C.N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr.
4691	23	731			
			2	290	1994
4692	22	732			
			3	291	1995
4693	21	733			
			4	292	1996
4694	20	734			
			190 1	293	1997
4695	19	735			
			2	294	1998
4696	18	736			
			3	295	1999
4697	17	737			
			4	296.	2000
4698	16	738			
			191 1	297	2001
4699	15	739			
			2	298	2002
4700	14	740			
			3	299	2003
4701	13	741			
			4	300	2004
4702	12	742			
			192 1	301	2005
4703	11	743			
			2	302	2006
4704	10	744			
			3	303	2007
4705	9	745			
			4	304	2008
4706	8	746			
			193 1	305	2009
4707	7	747			
			2	306	2010
4708	6	748			
			3	307	2011
4709	5	749			
			4	308	2012

4710

A. P. I.	Ante C. N	A. V C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr.	
4710	4	750				
4711	3	751	194 1	309	20.3	
4712	2	752	2	310	2014	
4713	1	753	3	311	2015	
	A. Chr. N		4	312	2016	
4714	1	754	195 1	313	2017	
4715	2	755	2	314	2018	XIII. MANVS MANI F. a Februario annos VI,
4716	3	756	3	315	2019	
4717	4	757	4	316	2020	
4718	5	758	196 1	317	2021	
4719	6	759	2	318	2022	
4720	7	760	3	319	2023	
4721	8	761	4	320	2024	XIV. ABGARVS VCHAMA a Februario annos XXXVII. menſem I.
4722	9	762	197 1	321	2025	
4723	10	763	2	322	2026	
4724	11	764	3	323	2027	
4725	12	765	4	324	2028	
4726	13	766	198 1	325	2029	
4727	14	767	2	326	2030	

A. P. I.	A. C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr.
4728	15	768			
			3	327	2031
4729	16	769			
			4	328	2032
4730	17	770			
			199 1	329	2033
4731	18	771			
			2	330	2034
4732	19	772			
			3	331	2035
4733	20	773			
			4	332	2036
4734	21	774			
			200 1	333	2037
4735	22	775			
			2	334	2038
4736	23	776			
			3	335	2039
4737	24	777.			
			4	336	2040
4738	25	778			
			201 1	337	2041
4739	26	779			
			2	338	2042
4740	27	780.			
			3	339	2043
4741	28	781			
			4	340	2044
4742	29	782			
			202 1	341	2045
4743	30	783			
			2	342	2046
4744	31	784			
			3	343	2047
4745	32	785			
			4	344	2048
4746	33	786			
			203 1	345	2049

4747

A. P. I.	A. C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr.	
4747	34	787	2	346	2050	
4748	35	788	3	347.	2051	
4749	36	789	4	348	2052	
4750	37	790	204 1	349	2053	
4751	38	791	2	350	2054	
4752	39	792	3	351	2055	
4753	40	793	4	352	2056	
4754	41	794	205 1	353	2057	
4755	42	795	2	354	2058	
4756	43	796	3	355	2059	
4757	44	797	4	356	2060	
4758	45	798	206 1	357	2061	XV. MANVS ABGARI F. a Martio, annos VII.
4759	46	799	2	358	2062	
4760	47	800	3	359	2063	
4761	48	801	4	360	2064	
3762	49	802	207 1	361	2065	
3763	50	803	2	362	2066	
4764	51	804	3	363	2067	
4765	52	805	4	364	2068	MANVS ABGARI F. Manifrater, a Martio annos XIV.

A. Per. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.		A. Sel.	A. Abr. a K. Sept. s. Octob.	
4766	53	806	208	1	365	2069	
4767	54	807		2	366	2070	
4768	55	808		3	367	2071	
4769	56	809		4	368	2072	
4770	57	810	209	1	369	2073	
4771	58	811		2	370	2074	
4772	59	812		3	371	2075	
4773	60	813		4	372	2076	
4774	61	814	210	1	373	2077	
4775	62	815		2	374	2078	
4776	63	816		3	375	2079	
4777	64	817		4	376	2080	
4778	65	818	211	1	377	2081	XVII. ABGARVS MANI F. a Mart. annos XX.
4779	66	819		2	378	2082	
4780	67	820		3	379	2083	
4781	68	821		4	380	2084	
4782	69	822	212	1	381	2085	
4783	70	823		2	382	2086	
4784	71	824		3	383	2087	

A. Per. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr. a K. Sept. f. Octob	
4785	72	825				
			4	384	2088	
4786	73	826	213 1	385	2089	
4787	74	827	2	386	2090	
4788	75	828	3	387	2091	
4789	76	829	4	388	2092	
4790	77	830	214 1	389	2093	
4791	78	831	2	390	2094	
4792	79	832	3	391	2095	
4793	80	833	4	392	2096	
4794	81	834	215 1	393	2097	
4795	82	835	2	394	2098	
4796	83	836	3	395	2099	
4797	84	837	4	396	2100	
4798	85	838	216 1	397	2101	XVIII. ABGARVS AIAZETHAE F. a Mart. annos VI. menſes IX.
4799	86	839	2	398	2102	
4800	87	840	3	399	2103	
4801	88	841	4	400	2104	
4802	89	842	217 1	401	2105	
4803	90	843	2	402	2106	

A. P. I.	Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr.	
4804	91	844				
			3	403	2107	
4805	92	845				
			4	404	2108	Interregnum duō-rum annorum a De-cembri.
4806	93	846	218 1	405	2109	
4807	94	847				
			2	406	2110	XIX. PARNA-TASPATES a Decembr. annos III menses X.
4808	95	848				
			3	407	2111	
4809	96	849				
			4	408	2112	
4810	97	850				
			219 1	409	2113	
4811	98	851				
			2	410	2114	XX. PARNATA-SPATES Iunior, ab Octob. mens. X.
4812	99	852	-	-	-	XXI. MANVS
			3	411	2115	AIAZETHAE
4813	100	853				F. ab Augusto
			4	412	2116	annos XVI. menses
4814	101	854				VIII.
			220 1	413	2117	
4815	102	855				
			2	414	2118	
4816	103	856				
			3	415	2119	
4817	104	857				
			4	416	2120	
4818	105	858				
			221 1	417	2121	
4819	106	859				
			2	418	2122	
4820	107	860				
			3	419	2123	
4821	108	861				
			4	420	2124	
4822	109	862				
			222 1	421	2125	

4823

A. P. I.	A. C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr. a K. Sept. f. Octob.	
4823	110	863				
			2	422	2126	
4824	111	864				
			3	423	2127	
4825	112	865				
			4	424	2128	
4826	113	866				
			223 1	425	2129	
4827	114	867				
			2	426	2130	
4828	115	868				
			3	427	2131	XXII. *MANVS*
4829	116	869	-	-	-	*MANI F. ab Aprili*
			4	428	2132	*Ann.* XXIII.
4830	117	870				
			224 1	429	2133	
4831	118	871				
			2	430	2134	
4832	119	872				
			3	431	2135	
4833	120	873				
			4	432	2136	
4834	121	874				
			225 1	433	2137	
4835	122	875				
			2	434	2138	
4836	123	876				
			3	435	2139	
4837	124	877				
			4	436	2140	
4838	125	878				
			226 1	437	2141	
4839	126	879				
			2	438	2142	
4840	127	880				
			3	439	2143	
4841	128	881				
			4	440	2144	
4842	129	882				
			227 1	441	2145	

A. P. I.	A. C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr. a K. Sept. ſ. Octob	
4843	130	883				
			2	442	2146	
4844	131	884				
			3	443	2147	
4845	132	885				
			4	444	2148	
4846	133	886				
			228 1	445	2149	
4847	134	887				
			2	446	2150	
4848	135	888				
			3	447	2151	
4849	136	889				
			4	448	2152	
4850	137	890				
			229 1	449	2153	
4851	138	891				
			2	450	2154	
4852	139	892	-	-	-	XXIII. VALES SAHRI F. ab Apr. annos II.
			3	451	2155	
4853	140	893				
			4	452	1256	
4854	141	894	-	-	-	XXIV. MANVS MANI F. reſtituitur et regnat annos XII.
			230 1	453	1257	
4855	142	895				
			2	454	1258	
4856	143	896				
			3	455	1259	
4857	144	897				
			4	456	1260	
4858	145	898				
			231 1	457	1261	
4859	146	899				
			2	458	1262	
4860	147	900				
			3	459	1263	
4861	148	901				
			4	460	1264	
4862	149	902				
			232 1	461	1265	

A. P. J.	A. C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr.	
4863	150	903				
			2	462	2166	
4864	151	904				
			3	463	2167	
4865	152	905				
			4	464	2168	
4866	153	906	-	-	-	XXV. ABGARVS
			233 1	465	2169	MANI F. ab Aprili
4867	154	907				annos XXXV.
			2	466	2170	
4868	155	908				
			3	467	2171	
4869	156	909				
			4	468	2172	
4870	157	910				
			234 1	469	2173	
4871	158	911				
			2	470	2174	
4872	159	912				
			3	471	2175	
4873	160	913				
			4	472	2176	
4874	161	914				
			235 1	473	2177	
4875	162	915				
			2	474	2178	
4876	163	916				
			3	475	2179	
4877	164	917				
			4	476	2180	
4878	165	918				
			236 1	477	2181	
4879	166	919				
			2	478	2182	
4880	167	920				
			3	479	2183	
4881	168	921				
			4	480	2184	
4882	169	922	237 1	481	2185	

4883

A. P. I.	A. C. N.	A. V. C.	Olymp.		A. Sel.	A. Abr.	
4883	170	923					
				2	482	2186	
4884	171	924					
				3	883	2187	
4885	172	925					
				4	484	2188	
4886	173	926					
			238	1	485	2189	
4887	174	927					
				2	486	2190	
4888	175	928					
				3	487	2191	
4889	176	929					
				4	488	2192	
4890	177	930					
			239	1	489	2193	
4891	178	931					
				2	490	2194	
4892	179	932					
				3	491	2195	
4893	180	933					
				4	492	2196	
4894	181	934					
			240	1	493	2197	
4895	182	935					
				2	494	2198	
4896	183	936					
				3	495	2199	
4897	184	937					
				4	496	2200	
4898	185	938					
			241	1	497	2201	
4899	186	939					
				2	498	2202	
4900	187	940					
				3	499	2203	XXVI. ABGARVS SEVERVS ab Aprili annum I. menſes VII.
4901	188	941					
				4	500	2204	
4902	189	942					
			242	1	501	2205	

A. P. I.	A. C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Abr.	
4903	190	943				
			2	502	2206	
4904	191	944				
			3	503	2207	
4905	192	945				
			4	504	2208	
4906	193	946	243 1	505	2209	
			2	506	2210	
4907	194	947				
			3	507	2211	
4908	195	948				
			4	508	2212	
4909	196	949	244 1	509	2213	
			2	510	2214	
4910	197	950				
			3	511	2215	
4911	198	951				XXVIII. ABGARVS. MANI F. postremus regum.
			4	512	2216	
4912	199	952				
			245 1	513	2217	
4913	200	953				
			2	514	2218	
4914	201	954				
			3	515	2219	
4915	202	955				
			4	516	2220	
4916	203	956				
			246 1	517	2221	
4917	204	957				
			2	518	2222	
4918	205	958				
			3	519	2223	
4919	206	959				
			4	520	2224	
4920	207	960				
			247 1	521	2225	
4921	208	961				
4922	209	962				

A. Per. I.	A. C. N.	A. V. C.	Olymp.		A. Scl.	A. Abr. K. Sept. f. Octob.
4923	210	963				
				2	522	2226
4924	211	964				
				3	523	2227
4925	212	965				
				4	524	2228
4926	213	966	284	1	525	2229
4927	214	967				
				2	526	2230
4928	215	968				
				3	527	2231
4929	216	969				
				4	528	2232
4930	217	970	249	1	529	2233
4931	218	971				
				2	530	2234
4932	219	972				
				3	531	2235
4933	220	973				
				4	532	2236
4934	221	974	250	1	533	2237
4935	222	975				
				2	534	2238
4936	223	976				
				3	535	2239
4537	224	977				
				4	536	2240

HI-

HISTORIAE OSRHOENAE ET EDESSENAE
E NVMIS ILLVSTRATAE
LIBER SECVNDVS

De successione regum Osrhoënorum usque ad Abgarum Nigrum

I. ܐܘܪܗܝ ܒܪ ܚܘܝܐ *Orhoi bar Chevjo*,

Osrhöes Heuiae filius, primus regum Osrhöenorum, de quo supra amplissime disputaui. Incepit igitur regnare A. Abrahae 1880. Edesseno autem, siue Seleucidarum 176. qui ab initio Septembris anni periodi Julianae 4577. procedunt. Antiochus Pius Sidetes in regnum vocatus a Cleopatra anno 175 ineunte, Diodotum Tryphonem, Apamia, in quam sese coniecerat ex clade, deficientibus exercitibus, vi capta, occidit. Ab eo tempore recipiendis in deditionem vrbibus, res suas firmauit Antiochus. Anno autem Seleucidarum 177. sub verem, Hierosolyma obsedit, et paullo ante hyemem, conditionibus recepit in potestatem. Nec magni quidquam ex eo tempore perpetrauit, quod Parthos metueret, et Demetrium, qui bis ex Hyrcania ad recuperandam Syriam profugerat, permisturus omnia tu-

tumultibus, nisi a Parthis fuisset retractus. Ita inter maiorum motuum curas Osrhöeni quieti, rem publicam ordinarunt.

II. ܥܒܕܐ ܒܪ ܡܙܘܪ *Abdo barMazour,*

Alterum nomen, *Abdo*, eiusmodi est, vt et Arabicum esse possit et Syriacum : *Seruium* interpretari licet. Ita Ὀβόδας rex Arabum apud Iosephum. (1) Apud Cornelium Tacitum (2) est *Abdus* eunuchus regis Parthorum, seu Syriaci seu Arabici generis et apud Theodoretum Cyrenensem Ἀβδᾶς episcopus Persarum. Etiam *Mazur* patris nomen et Arabicum et Syriacum esse potest, vt puto, a raritate capillorum. In genealogia Arabum (3) ab Abrahamo Ecchellensi memoratur *Massarus* Nazari filius et *Abadus* Nazari istius ex altera coniuge filius. Apud Herodotum tamen *Mazares* Medus etiam est. Dionysius Telmarienſis ab anno Abrahae 1884. eum regnasse tradit annos septem. Si Osrhöes medio anno 1880. imperium adeptus est, et annos quinque regnauit, sequitur, eum medio anno 1885. Seleucidarum 181. superstitem fuisse. Non enim est vero simile ab ipsis Kalendis Septembribus A. P. I. 4577. regnare coepisse. Igitur aut paullo ante annum 1880 regnum instituit Osrhöes, aut non omnino quinque regnauit annos. Sane vt alterutrum mihi per-

(1) Antiquit. Iud. l. XIII. 21. XVI. 11. (2) Annal. l. VI. 31. (3) In Supplemento chronici orientalis. p. 137.

perſuadeam, Chronicon Edeſſenum facit, quod A. Seleucidarum 180. hoc eſt Abrahae 1884. Edeſſenum regnum coepiſſe teſtatur: vt mihi videtur, ab auſpiciis huiusce Abdi. Nam frequens hoc eſt, vt diuerſa regnorum initia conſignentur a diuerſis regibus. Sed ponamus, anno Abrahae ineunte vtrumque eſſe auſpicatum: nihil enim magnopere accurationi noſtrae ea via decedit, et definiri res ita, vt dies nobis in calculo excidant nulli, per monumentorum inopiam non poteſt. Abdus initia regni non diu quieta habuit. Nam Antiochus Sidetes, vt Parthos perniciem ſibi molientes vi et armis coerceret, copiis in vnum coactis, anno Seleucidarum 182. mouit in Meſopotamiam. *Aduenienti*, vt ait Iuſtinus, (4) *multi orientales reges occurrere, tradentes ſe regnaque ſua cum execratione ſuperbiae Parthicae: nec mora congreſſioni fuit: Antiochus tribus praeliis victor, cum Babylonem occupaſſet, magnus haberi coepit: itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui, praeter patrios fines, fuit.* In eorum numero regum Abdum quoque fuiſſe neceſſe eſt: et tradidiſſe ſeſe ſub verem anni 182. Seleucidarum, Olympiadis CLXII. 2. Nam Antiochum e Syria expeditionem feciſſe per ſuperiores Euphratis regiones, in quibus Edeſſa fuit, et ipſa gerendi belli ratio poſtulat, ne ſi inferiora Meſopotamiae petiiſſet, excurſioni Parthorum Syriam a tergo omnem nudaret, et teſtimonio eſt praelium cum Indathe Par-

(4) L. XXXVIII. 10.

thorum duce commiſſum ad Lycum fluuium ſub Pentecoſten Iudaeorum. De tempore Nicolaus Damaſcenus auctor eſt. (5) Nam poſt Indathen victum, duos dies Antiochum quieuiſſe ſcribit, vt, qui cum Ioanne Hyrcano militabant Iudaei, ſabbatho et pentecoſtes, qui ſequebatur, primo die, feſtiuitati vacarent. Lycus autem fluuius in Hyrcania ab oriente in Tigrim incidit, vt ex eo intelligas, per ſuperiorem Meſopotamiam Antiochum petiiſſe Parthos et ſub verem Edeſſam redegiſſe in poteſtatem. Anno poſt, ſeu Seleucidarum 183. Antiochus a Parthis in hibernis oppreſſus eſt. (6) Demetrius, quem in Hircania egiſſe diximus, ſub exitum anni 182. irruperat in Syriam. Antiocho deuicto, Parthi conſilia retrahendi Demetrii nequidquam agitarunt. Ille enim Cleopatrae coniugi reconciliatus, Parthorum inſidias eludebat. Parthi pacando Caucaſeos populos diſtricti, Syriam nihilo minus in oculis ferebant, quam ex opportuno aggrederentur armis. Et Ioannes Hyrcanus libertate parta, cum Syriae Phoeniciaeque, tum Arabiae et Idumaeae praegrauis erat. Parthis per auxiliorum Syriacorum inſidias cum rege trucidatis, Demetrius Soter, aduerſus Ptolemaeum Phyſconem moto bello, ab Alexandro Zabina aemulo et regno exuitur et vita. Is ſtatus regnorum Syriacorum Parthicorumque fuit, regnan-

(5) Apud Ioſephum Antiquit. XIII. c. 16. Georgius Syncellus p. 292. perperam tradit, ab Antiocho Grypo Sindam, vt vocat, Parthorum ducem ad Lycum eſſe fuſum. (6) Graeca Euſebii p. 71.

gnante apud Edeſſam Abdo, diſtracta interim Meſopotamia ancipitibus rerum caſibus. Deceſſit Abdus anno Abrahae 1891. exeunte, cum turbatiſſimae res in Syria eſſent, per praua ſtudia Cleopatrae reginae Seleucique filii et defectionem Antipatri Cloniique Aeropi ducum.

III. פרדשת בר גבארו *Paradaſcht bar Gabarou*, ſeu Paradaſtes Gabaraei filius, Dionyſio dicitur ab anno Abrahae 1894. regnaſſe quinque annos. Ex noſtris rationibus A. Abrahae 1892. ſucceſſit. Incidit eius initium in turbas illas Syriacas, quas paullo ante attigi. Et Parthi quidem a Caucaſeis populis, quos Iuſtinus (7) Scythas vocat, bello victi erant: Meſopotamiae tamen poſſeſſionem ſibi vindicarunt. Quapropter Appianus Alexandrinus (8) recte prodidit, Parthos ab hoc maxime tempore, auulſam a Syriae regno Meſopotamiam ſuis opibus adieciſſe. Paradaſtes vtique Parthicam originem et ſuo et patris nomine indicat, ſiue a Parthis Oſrhöenae rex ſit datus, ſiue ab Edeſſenis per aſſentationem ex eo populo lectus fuerit.

IV. בכרו בר פרדשת *Bacru bar Paradaſcht*, ſeu Bacrus Paradaſtae filius. Eſt autem בכרו Ba-

(7) XLII. 1. 2.

Baker Arabicum nomen *cameli* et *tribus*, ex quo *Abubaker* ſocer Mahometis multique alii (9) et Diarbaker veterum Amida, et tota Meſopotamia, a tribu Arabica *Baker*, quae in ea conſedit. Dionyſio dicitur ab anno Abrahae 1900. regnaſſe annos tres. Nos eum arbitramur iniiſſe regnum anno Abrahae 1897. Interea Antiochus Grypus in Syria ſic ſatis tranquille regnauit.

V. ܒܟܪܘ ܒܪ ܒܟܪܘ *Bacru bar Bacru*

ab anno Abrahae 1900. ineunte regnauit, vt Dionyſius habet, annos viginti. Sic etiam ex noſtris rationibus. Extremis annis ſocios regni habuit Manum et Abgarum. Manum Dionyſius tradit, anno Abrahae 1918. regnaſſe menſes quatuor. Nos, cum viginti annos Bacri numeramus, definimus in anno Abrahae 1920. ineunte, cum Abgarus, qui poſt Manum ſocius regni fuit, Bacrum occidit. Abgarus duos annos ſolidos et quatuor menſes regnauit cum Bacro: igitur in ſocietatem regni adſcitus eſt anno Abrahae 1917. ante menſem Maium anni periodi Iulianae 4615. Ex quo conficitur, Manum ante eum cum Bacro regnaſſe quatuor menſes, ab auſpiciis anni periodi Iulianae 4615. Non poſſumus, ex hypotheſi noſtra calculum ducentes, a vero tempore tam longe aberrare, vt Dionyſius Telmarien-

(9) Sahditae originem trahunt a Sahdo filio Bacri. Abrahamus Ecchellenſis in Supplem. Chronici orientalis p. 137.

marienſis. Eſt autem, vt opinor מענו *Maanu* illud vocabulum, a quo Edeſſenos Mercurium Μόνιμον appellaſſe apud Iulianum (10) memoriae prodidit Iamblichus. Nam vt Mercurius eloquentiae et mercaturae praefectus fuit, ita Μόνιμος Edeſſenus deus, ſi ab عنى (vnde *Manu* eſt) deriuetur, et facundiae et negotiationis potentem ſignificat. Apud Conſeranos titulus *fuit:* (1)

MINERVAE
BELLISAMAE
SACRVM
Q. VALERIVS
MONIM....

Superſtitionis Syriacae monumentum eſſe, ex Mineruae Beliſamae nomine apparet, quod *dominam* ſeu *reginam coeli* ſignificat. Philo Byblius ex Sanchuniathone Berytio (2) τῦτον θεὸν ἐνόμιζον μόνον ἑρανῦ κύριον ΒΕΕΛΣΑΜΗΝ καλῦντες, ὅ ἐϛι παρὰ Φοίνιξι Κύριος Ουρανῦ, Ζεὺς δὲ παῤ Ελλησι, *hunc deum putabant ſolum coeli dominum, Beelſamin vocantes, quod eſt Phoenicibus dominus coeli, Zeus Graecorum.* Idem ille Philo (3) Βαάλτιδα Phoenicum interpretatur Dionem ſeu Venerem Ουρανίαν. Mirum cur non potius Iunonem. Abydenus: Βῆλος ἢ βασίλεια Βῆλτις. Sed liberum erat, cui deo deaeue ex ſuo concilio, aliquod Phoenicicae aut Syriacae ſuperſtitionis nomen, Graecus homo aut Latinus compararet. Hic Q. Valerius

(10) Oratione in ſolem p. 150. ed. Spanh. (1) Gruterus p. 1067. 2.
(2) Apud Euſebium praep. euang. p. 34. ed. Colon. (3) ib. p. 38.

Monimus Mineruam eſſe maluit reginam caeli. Illud igitur cognomen Monimi, Syri hominis fuit: Sic (3)

P. AELIVS. P. L.
SALVIVS
CATIA. C. L. MONIME.

Liberta e mancipio Syriaco. Eſt et Helius Monimus et Monime Creſcens mater Aelii, in inſcriptionibus. Helius nihil aliud quam Aelius. Vt ille Catulli,

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, et hinſidias Arius inſidias,
Et tum mirifice ſperabat ſe eſſe locutum,
Cum, quantum poterat, dixerat hinſidias.

In foeminis Graecis alioqui nota eſt Μονίμη Mileſia Mithridatis Magni coniux: (4) ſed quae, vt puto, nihil Syriaci in nomine habuit. Nam Μόνιμος per ſe Graecum vocabulum eſt, quo Philo Iudaeus delectatur, cum *deum vnicum et ſolum* dicit, et in nominibus Graecis, vt ille Monimus Syracuſius Diogenis Sinopenſis imitator canis, vt Monimus Pythionis qui Panticam Cypriam ex Olympiadis gynaeceo in matrimonium petiit, teſte Phylarcho (5) vt ille Monimus, e cuius Θαυμασίων συναγωγῆ Clemens Alexandrinus, in Protreptico (6) quaedam adfert. Sed cum Graeci peregrina vocabula efferebant, plerumque deflectebant ad notos ſonos, inde Manus, Μόνιμος Habemus tamen apud Suidam et Theodoſium in excerptis Dionis *Mannum*, quod nomen in Lucillae Auguſtae numo a P. Segui-

(3) apud Gruterum p. 959. 5. (4) Plut. in Lucullo p. 503. in Pompeio p. 639. alii (5) apud Athenaeum p. 609. (6) p. 27.

Segniuo euulgato exstat, MANNOC ΦΙΛΟΡΟΜΑΙΟC ΒΑCΙΛΕVC et nescio an similiter nomen dei Monimi verius expressum sit a Dione Cassio, (7) cum ait: τὴν Μαναΐτιν χώραν τῆς Αρμενίας οὖσαν καὶ θεῷ τινὶ ἐπωνύμῳ ἀνακειμένην. Sub hoc Mano rege Dionysius ad annum Abrahae 1918. scribit, regnum Syriacum in Antiochia desiisse, hoc est Olympiadis CLXX. 2. *Ortum hunc errorem puto ex Eusebio, quem sequitur Dionysius.* Is enim ad Olympiadis CLXXI. 4. ἡ Συρίας ἀρχὴ κατελύθη et tamen addit: διαρκέσασα ἔτη σν. Hos 250. annos prudens praetermisit Hieronymus: alium vero grauiorem commisit errorem, cum Eusebium sic conuertit: *hucusque Syria possessa per reges, in Romanam ditionem cessit.* Nunc enim plane sine omni excusatione Eusebius traduci potest. Sin eum, vt Graeca in excerptis exstant, accipimus, confusio ex eo nata videri potest, quod 250. fere annos Syriacum regnum fuit, cum, vt dicam postea, a Pompeio est in prouinciam redacta, Olymp. CLXXIX. 1. qui erat Seleucid. 249. Econtrario Olympiadis CLXXI. 4. fuit Seleucidarum 220. Eusebius autem circiter hunc annum a quibusdam notari inuenerat, Antiocho Grypo occiso, dissolutum esse Syriacum regnum: quid enim ab illo tempore, quod vel vmbram pristinae maiestatis exhiberet, in Syria superfuit? adeo vt denique Syri, non multis post annis, perturbationibus et desperatione compulsi ad Tigranem Arme-

(7) p. 26.

menum se conferrent. Antiochus Grypus Olympiadis CLXX. 4. si Porphyrium sequimur, (8) Heracleonis insidiis occisus est. Propius ab eo tempore abest Dionysius, quam Eusebius. Aut, si mauis, quod mihi quoque videtur verosimillimum, Dionysius eos secutus est, qui in Antiocho Grypo desinebant: Caesariensis autem ille, in oculis habuit Malchum, aut vt Graece dici maluit, Porphyrium Tyrium, qui in Philippo, Antiochi Grypi filio desinit, iisdem verbis, qnibus Eusebius: ἀφ' οὗ ἡ κατὰ Συρίαν ἀρχὴ κατελύθη. ἀπὸ μὲν τοῦ Αντιγόνου εἰς ἔτη σοδ, ἀπὸ δὲ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος ἔτη σλθ. Vbi error numerorum ex annis ab Antigono et Seleuco comparatis, perspicue colligitur. Atque a Seleuco vsque ad annum secundum Philippi sunt anni σιθ, ita vt 219mus annus cum Olympiadis CLXXXI. 3. concordet, quem diserte ponit Porphyrius. Anni vero ab Antigono, iam olim corrupti fuerunt, sed nunc sunt corruptiores. Vereor enim, ne Porphyrius imperite secutus sit Appianum Alexandrinum, (9) apud quem ita legimus: ἡ δ' ἀρχὴ τῶν Σελευκιδῶν ἐς ἑβδομήκοντα ἐπὶ διακοσίοις ἐνιαυτοὺς προΐκετο, quibus, inquit, anni quatuordecim Tigranis addendi sunt, si ab Alexandro Macedone supputemus, ad id tempus vsque, cum Syria Romana prouincia facta est. Ibi enim seu παρόραμα Appiani seu librarii culpa, sed vetus adeo fuit, vt posset Porphyrio illudere, cum τρίακοντα tantum scribendum esset: sunt

(8) Excerpta Scaligeri p. 62. (9) p. 215.

ſunt enim 230. anni ab Alexandri morte: aut, ſi ita accidit, vt ille numerus in Appiano pariter et Porphyrio poſterioribus temporibus corrumperetur, ſaltem Porphyrius culpa non vacat, qui σλδ 234. ſcripſit, vt additis annis quatuordecim, quos Appianus Tigrani adſignat, annus 248. exiret, qui propemodum verus eſt *Syriae in prouinciae formam redactae.* Conſilio hic error commiſſus eſt, non ſolo errore ſcribarum.

VI. אחבר חאמ *Abgar Phico*,

ſeu Abgarus Phicas, primus celebre hoc Abgarorum nomen geſſit, quod ABΓAPOC et AVΓAPOC in numis editur. *Dio* Caſſius, Zonaras, Cedrenus, Damaſcenus, Acta Synodi ſeptimae, Menaea, Αὔγαρος, Raphael Volaterranus *Abagarus*, forte ex Cornelio Tacito, apud quem nunc eſt *Abbarus*: aut ex Hieronymo qui plane *Abagarum* habet. *Appianus* Ακβαρος, *Dio* quoque Αγβαρος, vt *Eugarius Scholaſticus*: ita etiam apud Euſebium editum eſt ex codice regio Pariſino, quamquam Henricus Valeſius, qui hoc nomen maxime probat, in codice Mazariniano haud aliter reperit, quam Αβγαρος. Suidas Αυγαρος, Ακβαρος, (Ακβαρος ὁ τῆς Εδέσσης βασιλεὺς inquit) ſic enim diuerſis modis repererat apud ſcriptores. De eo nomine Ezechiel Spanhemius quoque diſputauit. (10) Is cenſet, item

K vt

(10) t. 1. p. 261. de vſu et praeſtantia numiſmatum.

vt ante eum Henricus Valeſius, (1) plane *Acbaros* fuiſſe dictos. Neque ego magnopere eos reprehenderim, qui Ακβαρον aut Αγβαρον ſcripſerunt. Nam اكبر *Akbar* Arabibus *maximum* ſignificat. Inter reges Edumaeos eſt *Chanon ben Akbor* (2) aut Arabice حنن بن اكبر *Chanan ben Akbar*. Et poteſt fieri, vt Arabes Scenitae ſic vocauerint Abgaros Edeſſenos, vnde nomen ad Romanos peruenerit. Nos tamen numos et Syriaca monumenta tutius ſequimur. Aſſemanus noſter Syriacum eſſe contendit et *claudum* (3) ſignificare, Spanhemioque obiicit, quo minus ex Arabico duci poſſit ἐτυμότης, id obſtare, quod Edeſſeni Syri fuerint, non Arabes. Hoc extremum mihi non ſatisfacit, Edeſſenorum conuerſiones conſideranti, ſaepe enim reges a finitimis petierunt. Et Phicas quidem cognomen Syriacum eſt, veluti *mutum*, vt amicus noſter interpretatur, ſeu vt Thomas a Nouaria, (4) *balbutientem* dicas. Regem vero monſtroſum, qui ſimul claudicauerit et ſeu balbutierit ſeu mutus fuerit. Mirum ni idem et caecus fuit et ſurdus. Quidquid id ſit, malim equidem, niſi quis intercedit, Parthicum nomen fuiſſe. Nam Moſes Chorenenſis (5) teſtatur, ab Aſſyriis et Graecis Armenicae pronunciationis ignaris Աբգար *Abgar* dici, quaſi Աւագայր *Avagair*, *primarium et ſum-*

(1) Ad fragmenta Dionis Cocceiani p. 101 ad Euſeb. p. 21. (2) Gen. XXXVI. 38. (3) Bibl. Vaticanae t. I. p. 263. (4) In Theſauro Arabico Syriaco p. 175. (5) p. 165.

ſummum virum. Haicana autem lingua eſt vetus Parthica. Ita rectiſſime ſcribunt, qui ABΓAPON habent: proxime eos, qui AVΓAPON, pro qua ſcriptura Franciſcus Combefiſius (6) pugnat. Dionyſius ad annum Abrahae 1918. Abgarum Phicam dicit annos XXV. menſes IV. vna cum Bacro regnaſſe et ad *annum* 1934. eum interfeciſſe Bacrum ſolumque regnaſſe annos XXIII. menſes V. Nos ex *annis* ſucceſſionis conſtituimus initium regni, quod Bacro ſocio tenuit, in anno Abrahae 1917. ita vt ſolus regnare coeperit anno 1920. ineunte. In eius aetatem regis incidunt tumultus inter Antiochi Grypi et Antiochi Cyziceni filios, quorum pertaeſi Syri ad Tigranem Armenum ſe contulerunt. Is regno Syriaco potitus eſt, Seleucidarum anno 234. ſi quatuordecim annos regnauit, vt conſiderantibus res in Syria geſtas vere ſcripſiſſe videbitur duobus locis (7) Appianus: quamquam, vt modo indicaui, quatuor anni, in quibus filii vtriusque Antiochi inter ſe *digladiati ſunt*, apud Appianum et Porphyrium exciderunt, qui *econtrario* a Trogo Pompeio (8) perperam ſunt adiecti annis Tigranis. Tigranes Syriae praefecit Magadaten. Addit his Appianus, Tigranem iam antea ἔθνη τινὰ τῶν περιοίκων ἰδίοις δυνάσαις χρώμενα ſubieciſſe imperio atque ex eo tempore regem regum dictum. Cui in Lucullo Plutarchus concinit. (9) Nam Tigranem tradit e Cilicia et Cappa-

(6) Ad Conſtantini Imp. Hiſtoriam imaginis Edeſſenae p. 104. 105. (7) p. 190. 215. (8) Iuſtinus l. XL. 1. (9) p. 505.

padocia,quarum alteram,Syris deuictis occupauit,hanc iam antea tenuit, Graecas colonias deduxiſſe in Meſopotamiam: ob eam autem cauſſam multos reges eum enixe coluiſſe et quatuor cum eo aſſidue fuiſſe, tamquam obſides. Strabo:(10) *Tigranes Parthorum ditionem populatus, Niniuen et Arbela* (τήν τε περὶ Νίνυν καὶ τὴν περὶ Ἀρβηλα) *coepit, tum* καὶ τὴν λοιπὴν Μεσοποταμίαν, ἔτι δὲ καὶ τὴν Συρίαν αὐτὴν καὶ Φοινικην ἀναχράτος ἔλεν, *etiam reliquam Meſopotamiam ipſamque Syriam et Phoeniciam vi occupauit.* Ex quo intelligitur, Abgarum Phicam quoque et ſucceſſorem eius, Tigrani obnoxios fuiſſe. Huius veroAbgari primis annis, Mithridates in Ponto bellum Romanum animo agitabat: ea res Parthorum curam aduertit. Et L. Cornelius Sulla ex praetura, quam L. Marcio Philippo, Sex. Iulio Caeſare Coſſ. A. V. C. 663. geſſerat, anno poſt Ciliciae propraetor legatusque in Cappadocia, Ariobarzanen in regnum reſtituit, Armenios profligauit. *Ad eum primum omnium Romanorum legati Parthorum venerunt*, vt ait Velleius Paterculus. (1) Sed et Velleius tempora confudit et Sex. Rufus, (2) cum legatos ad Sullam Procos. contra Mithridatem bellum gerentem veniſſe cenſent. Liuius autem (3) et Plutarchus (4) hoc tempore id factum retulerunt, quo nos ponimus. Sulla A. V. C. 666. Cos. fuit, anno ante ad vrbem fuit et conſulatum petiit, ergo anno 664. propraetor Cappadocas Armeniosque contudit et ad Eu-

(10) p. 622. (1) l. II. c. 24. (2) p. 35. (3) Ep. LXX. (4) p. 453.

Euphratem Parthorum legationem de foedere et amicitia audiuit. Ad Euphratem autem Orobazum Arſacis legatum Sullam conueniſſe, Plutarchus auctor eſt. Offenſus eſt Arſaces, quod Orobazus Sullae ſummum locum inter conſidendum reliquiſſet : itaque Mithridatis conſiliis poſtea fauit. Mithridates vero vt *opportunum ſenſit* rebus ſuis Arſacen, eum ad *ſocietatem* aduerſus Romanos ineundam *concitauit*, vt eſt in fragmentis hiſtoriarum Salluſtii epiſtola regis ad Arſacen teſtis, ſuaſitque, vt e Meſopotamia inuaderet Romanos, dum ipſe ex Armenia erupturus eſſet.

VII. ابگر بر ابگر *Abgar bar Abgar*

Eius primordia regis Dionyſius ponit anno Abrahae 1044. annos adſignat XV. Aſſemanus putat legendum annos XIX. Ego mutandi neceſſitatem non video. Quinque menſes ad annos XXIII. ſuperioris regis adiecti perſuadent nobis, vt hunc Abgarum principatum iniiſſe cenſeamus anno Abrahae 1043. a Februario Iuliano A. P. I. 4641. Hoc rege bellum Mithridaticum geſtum eſt a L. Lucullo et Cn. Pompeio, quorum victoriis Tigranes quoque acceſſit. Lucullus pulſo Mithridate A. V. C. 683. in Syriam duxit aduerſus Tigranem, et Magadatem regno eiecit, inde Armenia peragrata, in Mitilenam prouinciam Armeniae minoris et Meſopotamiam deſcendit Niſibinque cepit. Nam Mithridates, claſſibus ſuis, ad Te-

Tenedum et in mari Aegaeo victis, vt Memnon auctor est, (5) totis viribus incubuit ad bellum reparandum, et ad concitandos tam Armenos quam Parthos. Sed in Ponto victus magno praelio, aegre auffugit in Armeniam, vbi annum vnum octo menses egit, (6) donec a Tigrane in conspectum admissus est. In hoc tempus incidunt ea, quae M. Tullius pro lege Manilia dixit, magnis eum aduentitiis multorum regum et nationum copiis adiutum, *hoc enim fere sic fieri solere accepimus, vt regum adflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt, aut viuunt in regno, quod regale illis nomen magnum et sanctum esse videatur.* Eorum in numero Abgarum fuisse non dubito, qui Tigrani priuatim obstrictus, arma ceperit pro Mithridate. Sed oppressus est aduentu Luculli in Mesopotamiam, Romanisque se suaque tradidit. Sic enim Sex. Rufus: (7) *huic Lucullo et philarchi Saracenorum in Osrhoene superati cesserunt.* Iornandes in regnorum successione, (8) cum non intelligeret, cur Sextus Osrhoënos dixerit Saracenos, qui error ex quo fonte manauerit, supra daclaraui, scribit, per Lucullum phylarchas et Osdroënos et Saracenos deuictos esse. Postquam etiam Tigranes A. V. C. 685. ad Tigranocerta fusus fugatusque est, tum vero ad Lucullum pacis caussa legati ex toto fere oriente, hoc est, ex Parthia et omni Mesopotamia venerunt, vt ex Plutarcho et Dione Cassio cognouimus. Igitur ante

(5) apud Photium p. 383. (6) ib. p. 392. (7) p. 32. (8) p. 42. ed. Lindebrogii.

ante eum annum, A. V. C. 684. exeunte, Edeſſa in poteſtatem Romanorum veniſſe, hoc autem anno 685. Abgarus in fidem receptus fuiſſe videtur. Nam appropinquante hyeme, A. V. C. 684. Lucullus ex Cappadocia traiecit Euphratem, vt Tigranocerta peteret: quae via ſane Edeſſam duxit. Quamquam Hiſtoria *Miſcella* (9) ante eam hyemem ſcribit: *Meſopotamiam et Syriam et Phoenices partem occupauerat*, tamen hoc de Meſopotamia vanum eſt. Tigranes, cum Romanos finibus Armeniae appropinquare ſenſit, legatos miſit ad Phrahatem Parthum cum mandatis, παραχωρεῖν αὐτῷ τὴν Μεσοποταμιαν, (10) *ſe totamei cedere Meſopotamiam*, ſi arma conſociaret aduerſus Romanos: at Phrahates tum Armenios legatos, tum Romanos in incerto ſuſpenſos dimiſit. Lucullo ſucceſſor datus Cn. Pompeius, qui ex Armenia inuaſit Meſopotamiam, ad Amiſum, nondum confecto bello, prouincias deſcripſit et meritis dona diſtribuit. Multi duces dynaſtaeque et reges duodecim ad Pompeium conuenerunt, vt habet Plutarchus. (1) *Xiphilinus* (2) ait, *multis* regibus et dynaſtis ius dixiſſe et reſponſa dediſſe praeſentibus, aliis confirmaſſe regna, aliis principatum auxiſſe, alios depreſſiſſe. Haec acciderunt A. V. C. 689. Fuit igitur eo etiam tempore in caſtris Romanorum Abgarus, ἔνσπονδος Ρωμαίοις ἐπὶ τῷ Πομπηίῳ, vt Dio Caſſius teſtatur (3) eoque in bello Pompeium opibus ſuis adiuuit, vt Appianus habet, (4) quare eodem

(9) p. 39. ed. Murat. (10) Memnon apud Photium p. 393. (1) p. 643. (2) p. 5. (3) p. 145. (4) p. 229.

dem teſte Appiano benigne a Pompeio habitus et φιλοξωμαῖος dictus eſt. Qua in re eum iuuerit Abgarus, Dio Caſſiusdeclarauit. (5) Nam cum e Gordyene L. Afranius legatus Pompeii per Meſopotamiam imperatorem in Syriam ſequeretur, in itinere aberrauit: et periiſſet cum omnibus copiis, niſi Carrhaei benigne praebuiſſent neceſſaria. Carrhas autem ad Oſrhoënum regnum eo tempore pertinuiſſe, dubitare nos minime oportet. Cn. Pompeius ſtatum orientis eum reliquit, quem Sex. Rufus (6) deſcribit: *receptae ſunt*, a Tigrane, *Meſopotama Syriae et aliquanta pars Phoenices, atque intra Armeniam maiorem regnare permiſſus eſt.* Meſopotamia Syriae, eſt Meſopotamia a Syris inculta, cum reliquam Meſopotamiam tenerent Arabes et Parthi Strabo (7) magnam, et praecipuam vero Meſopotamiae partem Tigrani fuiſſe relictam ſcribit. Defuncto Edeſſae Abgaro vnius anni interregnum fuit, Dionyſio teſte,

VIII. ܡܢܘ ܐܠܗܐ *Maanú Aloho*

ſeu Manus Deus, vt Ἀντιόχος Θεός. Dionyſius A. 1960. Abgarum obiiſſe ſcribit et fuiſſe Oſrhoënos annum vnum ſine rege, propter contentiones de principatu exortas: deinde regnaſſe hunc Manum cognomine Aloho ſeu Θεόν. Aſſemanus ſuis ex rationibus arbitratur A. 1964. obiiſſe Abgarum et interregnum A. 1965. eſſe ponendum. Nos ex inſtituto noſtro, Mani Dei auſpicia

(5) p. 35. (6) p. 37. (7) p. 862.

ſpicia A. 1959. a Februario Iuliano A. P. I. 4657. repetimus. Hic eſt ille, quem ab inſidiis Craſſo comparatis cognouere Romani, magno ſuo malo. Sex. Rufus eum vocat *Abgarum tranſfugam*. Appianus, (2) Ακβαρον Φύλαρχον Αράβων. Dio Caſſius, (3) μέγιστον δὲ αὐτοῖς ὁ Ἄβγαρος ὁ Ὀρροηνὸς ἐλυμήνατο, ἔνσπονδος γὰρ τοῖς Ρωμαίοις ἐπὶ τῷ Πομπηΐῳ γενόμενος ἀνθάλετο τὰ τῶν βαρβάρων, *maxime autem eos afflixit Augarus Orrhoenus, foederatus enim Romanis, Pompeio res gerente, nunc barbari partes praetulit.* Appianus in eandem ſententiam, Abgarum doloſum et lubricae fidei virum, tantae cladi maximum momentum attuliſſe ſcribens, ait: τοῦτον ἤδεσαν ἔνιοι τῶν Πομπηΐῳ συστρατευομένων ἀπολάυσαντά τι τῆς ἐκείνου φιλανθρωπίας καὶ δόξαντα φιλορωμαῖον εἶναι, *hunc meminerant quidam ex iis, qui cum Pompeio militauerant, Pompeii beneuolentia uti et amicum Romanorum haberi.* Erratum in nomine eſt. Abgarum iſtum Romani nouerant ex Magni actis, quae ad Plinii vsque aetatem legebantur Romae, idcirco eum ipſum putarunt eſſe, qui Craſſum *in laqueos induxit.* Neque *ille fuit error militum* Romanorum, qui cum Caſſio Longino quaeſtore Craſſianam cladem euaſerunt. Exſtant enim veri nominis veſtigia, in quibus Manum cognoſcamus. In Plutarcho Φύλαρχος Αράβων, Ἀριάμνης dicitur. Ex eo puto Suidas: Ἀριάμνης ὄνομα κύριον. Hoc *Ariamnes* proxime abeſt a Mani nomine. Forte enim apud Plutarchum Ἀριάμνης

(2) p. 229. (3) p. 145.

μνης ſeu potius Μαριμάνης ſcriptum fuit, plane Syriacum ماري معنو *Mar Manu* aut *Mari Manu*, *dominus Manus*. *Mar* autem dignitatis cauſſa etiam regum titulis aequabatur. Rurſum apud Sex. Ruſum, vt Vinetus annotauit, in quibusdam codicibus *Marachus* dicitur, in aliis *Macorus*, ex quo coniicio, *Mar Manum bar Mazur* regis perfidiſſimi fuiſſe nomen, quod Romani milites prodiderint. Sic Florus quoque *transfugam Syrum Mezerum* vocat, ex quo apud Appianum Μαξάρθης corruptum. M. Licinius Craſſus poſt conſulatum cum Cn. Pompeio A. V. C. 699. geſtum, profectus eſt in prouinciam, resque in Meſopotamia non magnas quidem, attamen feliciter geſſit, deinde, vt Appianus habet, diſcesſit in hiberna. Exacta hieme aduerſus Parthos duxit, qui primo vere irruperant in Meſopotamiam, neque longe ab Edeſſa et Carrhis aberant. Tum igitur τὴν Μεσοποταμίαν σατραπείαν ſibi ſubiecerunt, vt Appianus teſtatur: eam inquam partem Meſopotamiae, quam Pompeius Tigrani reliquerat. Manus rex metu Parthicae potentiae in propinquo ſitae, Romanos prodendos ratus, qui praeſertim tam auare pecunias exegerant, Craſſo quidem opes ſuas liberaliter impendit, Parthis vero Craſſi conſilia aperit: ſi qua vtilia in rem Craſſus ceperat, diſſuaſor, ſi praua, hortator aderat, dux item non magis itineris, quam in medias inſidias. (4) C. Caſſius quaeſtor in primis erat auctor Craſſo, vt copias con-

(4) Dio p. 145. Plutarchus, Appianus, haec et quae ſequuntur, tradunt.

contineret intra aliquam earum vrbium, quas in poteſtatem redegerat, donec aliquid certi de hoſtibus adferretur, aut ſi ducere Seleuciam perſeueraret, ne diſcederet ab Euphrate, quo commeatus deuehi poſſent. Abgarus, quo Craſſum a flumine et montibus, locis minime aptis equitatui Parthico, in campos patentes abſtraheret, vt erat facundus, exorſus orationem a Cn. Pompeii laudibus, (ſic Appianus narrat) ad Craſſi potentiam flexit: incuſare deinde, quod occaſionem gerendae rei e manu effluere pateretur, hortari, vt imparatos opprimeret hoſtes, refugituros in Hyrcaniam, vbi moueri ſigna acceperint: monere, ne ſineret vires validiores animumque colligere: Sillacem ducem nusquam apparere, Surenam alterum ducem Parthorum ſolum oppoſitum eſſe, praedae magis Romanorum, quam diſcrimini. Ita Craſſum auidum opprimendi ipſa celeritate Surenam, per ſolitudines ducit, adeo fidentem, vt, cum Ariarathes Armenus, qui Orodis impreſſione diſtinebatur, ne opem ferret, auctor eſſet Romanis, vt ad ſe deflecterent in Armeniae montes, ſic intercipi Orodem poſſe, ſin aliter viſum, planitiem certe cauerent, Craſſus id vnum ſuperbe reſponderit, ſibi non tantum eſſe otii, vt Ariarathen curet, repetiturum ab eo poſtea proditionis poenas. At Manus per Edeſſam et Carrhas, per medios deinde campos arentes nudosque arboribus ducebat, vbi riuus nullus, harena immenſa, ſolis ardores intolerabiles. Id vero in primis aegre ferre Caſſiani milites, Manumque conuitiis inceſſere. Ille

adequitare vltro et blande alloqui et hortari, durarent paullisper et accelerarent gradum, veluti ad certam victoriam. Interdum cauillabatur, qui sic concidissent Martii spiritus? neque enim fontes et riuos et vmbram et balinea et continuata toto itinere diuersoria se iis ostendisse, sed Arabum et Assyriorum deserta: haec prius quam hostem superanda esse. Vbi propius ad hostem erat ventum, Crasso Manus rursum imponit atque speculandi praetextu cum Surena congreditur. Re cum eo composita, Romanos securos adhuc in insidias ducit, quas Surena cum maiori parte copiarum comparauerat. Praemissus a Crasso filius P. Crassus, adolescens impiger, tamquam ad facilem victoriam, fugientes consulto hostes consectatus praecipitat in eam manum, quae in occulto consederat. Imperator cum omni peditatu vlturus filii necem gradum accelerat, impar autem ab omni parte et pugnandi genere elusus, sustinet aliquantisper hostem, donec committendi praelii facultas data. Tum vero Manus, vbi Romanos aegre se contra Parthos defendere videt, a tergo exortus cum suis, circumuentos in medio caedit atque hac illac ad opem ferendam se vertentes Romanos inter ambiguos tumultus adeo in arctum compellit, vt tota acies vix commouere se posset. Nox caedi Romanae finem fecit. Crassus ex fuga Carrhas, atque hinc in Armeniam se recipiens, fraude Surenae capitur. Praelium commissum est μεσοῦντος τοῦ θέρους, media aestate, vt Dio habet, atque vt Ouidius in Fastis VI. Idus Iunias. Puta A. V. C. 701.

Cum

Cum ad Orodem regem Craſſi caput perferretur, poſitae erant menſae atque Iaſon Trallianus tragoedus ex Euripidis Bacchis Agauen canebat: nam Orodes nec linguae Graecae ignarus erat, neque litterarum. Ibi Iaſon caput in diſcubitorio lectulo repoſitum corripit bacchabundus et pergit canere Euripidea illa:

Φέρομεν ἐξ ὄρεος ἔλικα
νεοτόμον ἐπὶ μέλαθρα
μακάριον θήραμα.

Cum ad eum locum eſſet peruentum, vbi chorus:

τίς κατεφόνευσε νιν;

proſilit Maxarthes (is inter conuiuas regios accumbebat) caput arripit, veluti qui Craſſi caeſi gloriam ſummo iure ſibi vindicaret, et quod Agaue apud Euripidem choro reſpondet, exſecutus accinit:

ἐμὸν ἐμὸν τὸ γέρας.

Laetus ea cauſſa Orodes et illum, οἷς πάτριόν ἐςι ἐδωρήσατο, Iaſoni autem talentum dedit. A Maxarthe caeſum eſſe Craſſum, cum ad Surenam ſupplex accederet, Appianus et Plutarchus auctores ſunt. Plutarchus Πομαξάθρης, vt nunc eſt in editis, nomen habet, pro quo in alio codice eſt Αξάθρης. Dio Caſſius annotat, non ſatis conſtare, an ab hoſte caeſus ſit Craſſus, an manu ſe ſua interemerit. Maxarthen illum credo eſſe hunc Manum Mazuris filium, (بر مزعور *Bar Mazour*) ex quo Plutarchus Παρμαξάθης fecerit. Fuit vtique Manus poſt commiſſum praelium cum Surena et maximam totius rei geſtae laudem retulit, vt ex eò ambitioſior *Alaha* ſeu *Deum* a ſuis ſe dici pateretur. Quod illum Craſſi car-

nificem Parthum fuiſſe tradunt Appianus et Plutarchus, id me non mouet: neque enim in his ſic accurati ſunt, vt verba eorum captare nos deceat.

IX. פקור *Pacorus*, nomen et Syriacae Arabicaeque originis et in Parthicis admodum frequens. A Syris ad Romanos cognomentum peruenit, vt in inſcriptione apud Boiſſardum: (5)

M. AVRELIVS. PACORVS
M. COCCEIVS. STRATOCLES
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALLVSTIANORVM.

Apud eundem: (6)

M. AVR. PACORVS AEDI
TVVS. SANCTAE. VENE
RIS. IN SALVST. HORTIS

Arionae in Hiſpania eiusdem aetatis inſcriptio: (7)

IMP. CAES. AVG. PONTIF.
MAX. TRIB. P. XXXIIII.
COS. XIII. P. P.
L. CAETRONIVS. M. F. PACORVS.

Via Ianiculenſi aram Q. Caecilio Metello, T. Viuio Coss. A. V. C. 654. poſuit C. MINDIVS. C. L. PACORVS. (8) Venit igitur id nominis Romam e Syria iſto tempore, cum in vrbe Parthicum nomen vix

(5) Antiquit. Roman. parte quarta p. 127. (6) ib. p. 130. (7) Gruterus p. 226. 8. (8) ib. p. 1035. 5.

vix fando adiuiſſent ciues , in Syria autem magnos mercatus exercerent. Hic Pacorus ad regnum peruenit anno Abrahae 1977. Quinctili menſe A. P. I. 4675. Dionyſius Telmarienſis A. 1980 Manum obiiſſe et Pacorum ab eo tempore annos quinque regnaſſe ſcribit. Idem ille Dionyſius , *eodem*, inquit , *anno , Pacorus et Bar Zaphrun dux exercitus , Syriam adorti, Hyrcanum Phaſaelumque fratrem Herodis in captiuitatem abduxerunt.* Aſſemanus putat Dionyſium loqui de eo Pacoro , quem paullo ante Edeſſae regnare coepiſſe prodiderat. Quod niſi ex aliis argumentis atque ipſo verborum decurſu cognouit, ex his verbis non poteſt planiſſime cognoſci. Siue hunc Edeſſenum Pacorum , ſeu quem alium Dionyſius nobis ferat , erratum certe eſt in tempore. Nos res geſtas animo repetemus ita , vt quae ſub Mano acciderunt Pacoro Partho duce , hoc loco cum iis complectamur , quae ſub Pacoro rege Edeſſeno geſta ſunt , quoniam Aſſemanus regem Edeſſenum et Pacorum Parthum Orodis regis filium, vnum putauit fuiſſe et eundem. Poſt cladem Carrhenſem Parthi cum exercitu Syriam adorti ſunt. His copiis praefuit Pacorus Orodis Parthorum regis filius , vt eum M. Tullius (9) et Ioſephus (10) diſerte vocant. Nupta cum eo erat Artauaſdis Armenorum regis ſoror. (1) Nondum tamen ex ephebis exceſſerat , idcirco Oſaces adoleſcentiae eius regundae datus eſt. Transgres-

(9) ad S. P. Q. R. l. XV. epiſt. I. ad Atticum l. V. 18. 21. (10) de B. Iud. l. I. 11. Florus , Iuſtinus , Dio Caſſius , Sex. Rufus, Cornelius Tacitus, ex quibus ſunt qi Pacorum regem vocant , quod eſſet domo regia natus. (1) Cicero ad S. P. Q. R. l. XV. 1. ad M. Catonem l. X V. ep. 4.

greſſi ſunt Euphratem A. V. C. 702. nunciumque eius rei M. Tullius Cicero a legatis regis Commageni pertumultuoſe miſſis accepit Kalendis Septembribus. Erat Tullius cum proconſulari imperio in Cilicia: M. Calpurnius Bibulus, cui Syria prouincia euenerat, eam nondum tenebat : C. Caſſius autem cum omni reliquo exercitu Craſſiano , ſub aduentum Parthorum intra Antiochiae moenia ſe receperat. Parthi cum ad Antiochiam caſtra metati eſſent , equitatum ad inuadendam Ciliciam miſere. Hac re cognita , M. Tullius, qui in Lycaonia caſtra habebat, partem, quod per haec loca patentia irrupturi videbantur Parthi, partem vt Artauaſden ab auxilio hoſtibus ferendo abſterreret, regesque et populos Romano nomini foederatos confirmaret , praemiſſis equitum turmis , cum omni exercitu Ciliciae fines eſt ingreſſus. Equitatus Tullianus Parthos adortus maxima clade adfecit. Ea clade et quod ad opem ferendam ab Cilicia aduentare proconſulem fama erat , fracti ſunt Parthorum animi. Soluitur obſidio Antiochiae. Caſſius inſecutus abeuntes, cum paucis ex itinere ſe obiicit extractosque in locum inſidiarum, cum omnibus copiis inuadit. Cecidit eo in praelio Oſaces : Pacorus e Syria exceſſit Octobri menſe. M. Bibulus Procos. hoſtibus a Tullio et Caſſio fugatis, in prouinciam venit Parthosque inteſtinis diſſidiis inter ſe commiſit , Ornodopante ſatrapa in regem concitato et Pacoro in patrem. (2) Ab eo tempore nihil memorabile geſtum, donec poſt bellum Philippenſe T. La-

(2) Dio Caſſius p. 150.

Labienus Caſſianarum partium, ex deſperatione rerum Parthos concitauit. Per abſentiam M. Antonii (eum a bello Parthico ex Syria in Aegyptum Cleopatra abſtraxerat) Labienus cum Pacoro maximisque copiis Parthicis Decidium Saxam Antonii legatum vicit et in Ciliciam vsque perſecutus ad mortem adegit. Ex eo Pacorus *Syriam* vniuerſam occupauit. Sola *Tyrus in fide Romanorum permanſit.* Pacorus *hoſpitio* acceptus a Phaſaelo, perſuaſit *homini* ſimplici, vt cum Hyrcano in caſtra ad Barzapharnam proficiſceretur. Herodes inſidias metuens, nequidquam obteſtatus Phaſaelum fratrem, vt Pacorum et qui cum eo erant, occideret, auertere eum a conſilio proficiſcendi ad Parthos non potuit. Ita Hyrcanus pacis foederisue ſpecie deceptus cum Phaſaelo in Parthorum manus peruenit. Phaſaelus ſibi ipſe vim infert: Hyrcanus in vinculis ducitur in Parthiam. Interim P. Ventidius Baſſus e Cilicia Labienum fugauit: Parthos auxilium ferentes deuicit et ad Ciliciae portas Pharnapaten Pacori legatum cum exercitu *concidit, Syriam vacuam ab hoſtibus recepit.* Parthis Euphratém transgreſſis, Romanus ſignis collatis et ſimulato opportune metu, repente in fidentes haud dubia fortuna Parthos exſurgit totoque inter Orontem et Euphratem ſpatio hoſtes magna ſtrage profligat. Ea in clade Pacorus cecidit, cuius caput cum per vrbes, quae defecerant, circumferretur, ſolo ſpectaculo perculſae ſe dediderunt. Nam ob clementiae et iuſtitiae laudem magno eum honore

profecuti ſunt Syri. (3) Ita Parthi intra Meſopotamiam compulſi, Syria exceſſerunt. Occupata eſt Syria a Pacoro A. V. C. 714. eodem anno, ſub Pentecoſten Pacorus Hyrcanum circumuenit, A. V. C. 716. VI. Id. Iunias Pacorus cecidit. Nihil verius eſt his Antonii Pagii calculis. Dionyſius Telmarienſis perperam anno Abrahae 1980. Pacorum et Barzapharnem in Syriam Iudaeamque arma vertiſſe tradit. Si Pacorus anno Abrahae 1977. vt nos ſentimus, rex factus eſt Edeſſae, Pacorus autem Orodis filius, A. Abrahae 1976. impreſſionem fecit in Syriam, non longe abeſt a vero Dionyſius, cum Pacorum ſucceſſiſſe in regno et Parthos irrupiſſe eodem anno in Syriam ſcribit. At Pacorus rex Edeſſenus ad A. V. C. 720 ſuperfuit, Pacorus Orodis filius A. V. C. 714. vt ſupra dixi, caeſus eſt. Sunt igitur Pacori duo, alter Orodis regis filius, quem in tanto ſplendore vix decebat eſſe regulum Oſrhoenum: alter hic ipſe Edeſſenus. Incidunt vero in huius Pacori regis aetatem res ab Antonio in Armenia geſtae, cum parum abfuit, quin Craſſianam cladem aequaret ſua. Denique vel hoc loco apparet, nos tutius annos ſucceſſionis regum e tabulis Edeſſenis, quam Dionyſii annos conſectari. Nam characterem temporis, quo Parthi in Syriam irruperunt et quo Pacorus Edeſſae regnare coepit, nos hac via ſeruauimus, cum ab eo Dionyſius longiſſime aberrauit.

X.

(3) Dio Caſſius p. 462.

X. *Abgar.*

noſtris rationibus regnare coepit A. Abrahae 1982. Quinctili menſe A. P. I. 4680. Dionyſius ab A. Abrahae 1985. tres annos regnaſſe prodit. His temporibus Antonius iterum in Armeniam duxit et Artauaſden, ſeu vt alii, Artabazen minis promiſſisque in caſtra ſua inuitatum in libera habuit cuſtodia. Inde obire Antonius caſtella: at Armeni alium ſibi creare regem Artaxiam. Eo ſuperato Antonius magna cum praeda in Aegyptum rediit, Artaxias ad Parthos transfugit. Hac opportunitate Artauaſdes rex Mediae vſus, Artaxiae Parthisque inſultauit: Artauasde a Parthicis opibus ſuperato, Artaxias paternum recuperauit regnum. Sic Dio Caſſius. Quantum Edeſſeni his rerum motibus a Romanis metuerint, quemadmodum ſe inter Medos Parthosque et Armenios varia fortuna diſtracti geſſerint, cuique, vt videbitur, arbitrari licet, cognoſcere nobis non eſt datum.

XI.  *Abgar Sumaca,*

ſeu Ruber Dionyſio dicitur ab A. Abrahae 1986. regnaſſe annos tres. Secundum meam opinionem regnare coepit A. Abrahae 1985. a Quintili A. P. I. 4683. A. V. C. 723. paulo ante Actiacam pugnam, quae poſtridie Kal. Septembres commiſſa eſt. Aſſemanus noſter, qui Pacorum illum Edeſſenum in

acie victum a Ventidio Bassо, cecidisse in Cyrrhestica putabat, vt cum Dionysio Telmarienſi in gratiam rediret, Mano Deo pro *duodeuiginti* annis, vt is habet, tantum *vndecim* attribuit, Pacoro autem pro *quinque* annis tantummodo *tres*, Abgaro pro *tribus* totos *nouem*. Ita cum Dionyſio incidit in A. Abrahae 1986. initium videlicet Abgari Sumacae. Nos, qui Pacorum Edeſſenum ab Orodis filio diſtinximus, eo opus non habemus, vt in rectam redeamus viam.

XII. ܡܢܘ ܣܦܠ *Manus Saphelul,*

ad regnum peruenit Quintili A. P. I. 4686. cum A. Abrahae 1988. adhuc numeraretur. Dionyſius initia eius cum A. Abrahae 1990. committit et annos 28. menſes 7. attribuit. Illo rege Octauianus Caeſar opprimendis factionum reliquiis et ordinandae reip. vacauit et A. V. C. 727. VII. Id. Ianuarias ſummum imperium a S. P. Q. R. in decem annos, cum prouinciarum diſtributione et Auguſti nomine accepit. A. V. C. 727. incidit in A. Abrahae 1989. cum Edeſſae ſeptimum menſem regnaret Manus. Deinde M. Appuleio, P. Silio Nerua Coſs. A. V. C. 834. ad componendum orientis ſtatum ab vrbe profectus Auguſtus, verem in Aſia et Bithynia, aeſtatem in Syria egit, Sami hibernauit. (4) Interea Claudius Ti-

(4) Videatur Henr. Noriſius in Cenotaphiis Piſanis p. 292.

Tiberius Nero cum legionibus ingreſſus Armeniam, ea in poteſtatem redacta, Tigranem Artauaſdis filium regem fecit. Eo terrore perculſus Phraates rex, Parthorum ſigna P. Craſſo et M. Antonio ademta captiuosque Romanos omnes ſtudioſe conquiſitos reſtituit. Sic Dio Caſſius et Cornelius Tacitus. Perſuadente *Thermuſa*, *Phraates rex*, *qui eam expellicatu in matrimonium ductam mirifice diligebat, vocato in* colloquium Tiberio, quatuor filios e *legitimo* thoro ſuſceptos Saraſpadem, Ceroſpadem, Phraaten et Vononem obſides tradidit. Magnam haec felicitas opinionem de Auguſto apud orientis populos peperit. Quantum ea cauſſa Edeſſeni fuerint moti, qui Armenis Syriacisque rebus vicini erant, ſecum quisque reputabit, vt volet. Sub extremis annis Mani, Armeni inſtinctu Parthorum Artauaſden regem a Romanis datum imperio exuerunt. Igitur Auguſtus C. Caeſarem Agrippae ex Iulia filium cum poteſtate proconſulari ad bellum Parthicum miſit. *Profectus* eſt in Aſiam ſiue A. V. C. 752. *exeunte*, *ſiue initio anni* 753. vt *Noriſius* et Pagius calculum iniuerunt.

XIII. מנא בר מנא *Maanu bar Maanu*, Manus Mani filius. Dionyſius ad A. Abrahae 2018. eum annos ſex regnaſſe ſcribit. Ex noſtris rationibus regnare coepit A. Abrahae 2017. Februario menſe, A.P.I. 4715. A.V.C. 755. Eodem

dem anno menſe Maio , vt Noriſius grauiſſimis argumentis demonſtrauit , pax cum Parthis eſt inita. Quanta cum dignitate populi Romani et Caeſaris Auguſti gloria res geſta ſit , Velleius Paterculus (5) iſtius expeditionis miles et obtrectator laudum Caeſaris non diſſimulauit. *Tam varie*, inquit, *ſe ibi geſſit, vt nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat: cum rege Parthorum iuuene excelſiſſimo* (ſic enim recte legitur) *in inſula, quam annis Euphrates ambiebat, aequato vtriusque partis numero coiit: quod ſpectaculum ſtantis ex diuerſo , hinc Romani, illinc Parthorum exercitus , cum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum et hominum coirent capita , perquam clarum et memorabile ſub initia ſtipendiorum meorum tribuno militum mihi viſere contigit : prior Parthus apud Caium in noſtra ripa, poſterior hic apud regem in hoſtili epulatus eſt.* Si quod tempus fuit , quo ab Edeſſenis Auguſti vultus in numis ſignaretur , hoc certe fuit. Nullus tamen in hunc diem repertus. Neque adeo fractae fuerunt Parthorum vires , vt Edeſſeni Romanae potentiae adularentur. Iacobus Vildius quidem numum Auguſti ſignatum vultu inſcriptumque KAI . . . in auerſa autem intra coronam ΕΔΕΣΑΙΩΝ ad Edeſſenos in Meſopotamia refert, (6) ſed eum numum nos non moramur. De hac re dicendi locus erit infra.

(5) L. II. c. 101. (6) in Selectis numismatibus p. 128.

LI-

HISTORIAE OSRHOENAE ET EDESSENAE

E *NVMIS ILLVSTRATAE*

LIBER TERTIVS

De ſucceſſione regum Edeſſenorum ab Abgaro Nigro vsque ad regnum Oſrhoënum euerſum.

XIV. ܐܘܟܡܐ ܐܒܓܪ *Abgar Vchomo,* omnium Abgarorum longe clariſſimum nomen, cum ob res geſtas, tum ob fidem in Chriſtum. Dionyſius ait, eum A. Abrahae 2024. regnare coepiſſe Edeſſae et a Chriſto ſanatum eſſe, regnaſſe annos XXXVII. menſem vnum. Vchami cognomen etiam apud Euſebium in epiſtola Abgari ad Chriſtum olim exſtitit. (1) Nam Ruffinus habet: *Abgarus Vchaniae filius toparcha* et in codice veteri, *Vchame filius,* in alio *Euchame.* Bongarſius putauit patris, Valeſius

(1) H. E. L. I c.

ſius matris nomen edi. Neuter rem tetigit, cum ante eos Ruffinus iam aberraſſet, forte et ipſe Euſebius. Cognomen autem iſthuc *Vchomo*, Syriace ſignificat *Nigrum*, quare Gregorius Malatienſis Arabice conuertit (2) ابجر السود *Abgjoroſſudo*, *Abgarus Niger*, in epiſtola Abgari ad Chriſtum. Idem ille Gregorius, ابجر ملك الرها فيجا اسمه *Abgjar, rex Rohae, Phica cognomine*, quod quid eſſet, Pocokius ignorauit, idcirco in verſione praeteriit. Sed errat Abulpharagius, cum Abgarum Phicam ſextum Edeſſenorum regem cum hoc Abgaro Vchama confundit. Moſes Chorenenſis in hiſtoria Armenica (3) ſucceſſionem regum Armenicorum conſignauit, in qua Abgari genus ab Arſacidis ductum perhibet in hunc modum:

Ar-

(2) p. 112. (3) L. I. c. 4. ſeq.

Arſchak Parthorum rex, ſeu Arſaces

Artaſches Parth. rex ſ. Artauaſdes

I. *Arſchak ſ. Arſaces M. Parthiae et Armeniae rex*

II *Vagarſchak ſ. Valarſaces Armeniae rex*

Arſchak ſ. Arſaces Armeniae rex

Artaſches ſ. Artauaſdes Armeniae rex

I. *Arſcham ſ. Arſames Armeniae rex*

II. *Tigran Armeniae rex*

I *Abgar Edeſſae rex et Armeniae*

II *Oga ſoror*

I *Anam, ſ. Manus Edeſſae rex, ſine liberis*

II *Manus frater Edeſſae rex*

I *Sanatruk Armeniae rex*

II *Sanadukt ſoror*

Abgar, Edeſſae rex

Artaſches Armeniae rex

Ex his primus, *Arſchak Kagj* ſeu *Kadſch*, Arſaces Strenuus cognomine. Filius eius *Artaſches* duos habuit filios, primum *Arſchak*, quem noſtri Arſacem magnum vocant, auctorem regni Arſacidarum late per omnem orientem conditi: alterum *Vagarſchak*, cui Arſaces frater Armeniae regnum tradidit. Succeſſere Vagarſacis filius *Arſaces*, et nepos *Artaſches*. Hunc ſcriptores noſtri Artauaſden nominant, Ioſephus Artabazen: hunc et Antonius triumuir, *ſpecie amicitiae illectum*, *dein catenis oneratum*, *poſtremo interfecit*, vt C. Cornelii verbis vtar. (4) Huic Artauaſdi filius fuit *Tigran*. Tigranes auſpiciis Caeſaris Auguſti a Tiberio Nerone in regnum reductus eſt. De eo Cornelius Tacitus: *nec Tigrani diuturnum imperium fuit*, *neque liberis eius*, *quamquam ſociatis more externo in matrimonium regnumque*. Filium filiamque Cornelium dicere vides. Dein iuſſu Caeſaris Auguſti impoſitus Armenis Artauaſdes: deiectus is eſt, non ſine clade Romanorum. Igitur C. Caeſar Ariobarzanem origine Medum volentibus praefecit Armenis. Sic iterum Tacitus, qui ad T. Statilium Siſennam Taurum, L. Scribonium Libonem Coſſ. A. V. C. 769. reges Armeniae ſic recenſet, vt cum Moſis Chorenenſis narrationibus minime concordet. Sane neque Abgarum habet, neque Sanatrucem Armeniae reges. Et Suidae quidem Σανατρούκης Armeniorum rex corpore mediocri, animo ad omnia magno fuiſſe dicitur, tum bellator optimus et

(4) Annal. L. II. c. 4.

et rigidus iuſtitiae cuſtos, denique frugalis, vt ſi quis vmquam Graecorum aut Romanorum : at cuius temporis ille fuerit Sanatruces ex hoc fragmento iudicari non poteſt. Phlegon Trallianus in Ολυμπιονικῶν συναγωγῇ, quam Ioſephus Scaliger edidit, (5) ad Olympiadis CLXXVII. 3. Σανατρύκην τῶν Πάρθων βασιλέα τελευτήσαντα διεδέξατο Φραάτης ὁ ἐπικληθεὶς Θεός. Nihil ad hunc noſtrum, nihil ad Suidae Sanatrucen. Vologaeſum Sanatruci filium a L. Septimio Seuero Aug. bellum cum Parthis gerente Armeniam accepiſſe, Theodoſius in excerptis Cocceianis (6) auctor eſt. Neque ille tamen quidquam ad haec tempora noſtra. Nihil igitur mihi fit veroſimilius, quam Arſamum, Abgarum, Sanatrucem, non toti Armeniae imperaſſe, ſed inter hos tumultus ſua quaedam regna in finibus Armeniae ad Meſopotamiam vergentis habuiſſe.

Ex paruo illo regno Abgarus Vchama ab Oſrhöenis euocatus, Edeſſae regnauit, ab A. Abrahae 2023. ſeu a Febr. A. P. I. 4721. vt noſtrae ferunt rationes. Moſes Chorenenſis eum annos XXXVIII. regnaſſe tradit, quod non multum abhorret ab Edeſſenis monumentis, in quibus annos XXXVII. menſem vnum regnaſſe proditum eſt. Adde enim his aliquot menſes, cum parti cuidam Armeniae a patre relictae praefuit, ita anni XXXVIII. facile conficientur. Sed haec accuratius conſideranda ſunt. Moſes Chorenenſis ſcribit, ſatrapas Armenos extremo Parthorum regis anno regem feciſſe Arſamum Abgari

(5) p. 336. confer Photium cod. 97. (6) p. 854.

gari huius patrem: eumque primum per occasionem infantiae regis Parthorum a Romanis coactum, pro Armenia tributum contulisse et annos viginti regnasse. Quem autem Arsauirum puerum Parthorum regem Moses Chorenensis commemorat, cuius aetate abusi Romani Armeniae tributum imperarint? Nempe nostri eorum temporum scriptores, regem Phraaten Orodis filium produnt, longaeuum admodum senem. Verum hac nobis eundum est, vt in viam incidamus. Orodes rex occisus est a Phraate filio circiter ea tempora, (7) cum Herodes tetrarcha Tiberiaden in Galilaea condidit, hoc est, circiter A. V. C. 779. Interuallum est, quod minimum sit, annorum LXII. quo ille Phraates regnauerit. Iam Phraates ille Orodis filius, (8) e triginta fratribus natu fuit maximus, vt haud longe a vicesimo anno abfuerit, cum eum pater successorem destinaret, cumque ipse occideret patrem. Quid igitur? Phraates ille XCII. admodum annos natus occisus fuit a Phraatace filio? Non fit verosimile. Haec res nobis suspicionem mouet, Romanos e duobus Parthorum regibus vnum feciſſe Phraaten, atque alterum eorum a Mose vocari Arsauirum. Hunc Arsauirum Moses ait annos XLVI. regnasse. Si igitur A. V. C. 779. Phraates Graecorum et Romanorum scriptorum, Mosis autem Chorenensis Arsauirus esse desiit, vt supra dixi, sequitur, eum admodum adolescentem ad regnum peruenisse A. V. C. 733. eamque causſam fuis-

(7) Iosephus Antiquit. L. XVIII. 3. (8) Iustinus L. XLII. 4. Dio Cassius L. XLIX. p. 406.

fuiſſe, vt Caeſar Auguſtus anno poſt in Syriam proficiſceretur. Quod ſi ita eſt, atque ſi Arſamus, Abgari pater, vt Moſes Chorenenſis teſtatur, extremo anno Phraatis illius ſuperioris, qui Orodis fuit filius, regnare coepit in Armeniae aliquo angulo, ſequitur, Arſamum iniſſe principatum A. V. C. 732. et duobus poſt annis a Claudio Tiberio Nerone exactum *fuiſſe tributum* ab Armenis. *Fuiſſe* autem admodum adoleſcentem Arſauirum Parthum A. V. C. 734. cum Tiberius Armenis inſultaret, ex Velleio Paterculo (9) etiam mihi videor intelligere. Is ita ait: C. *Caeſar cum rege Parthorum iuuene excelſiſſimo in inſula, quam amnis Euphrates ambiebat, coiit.* Hic ſe putat Iuſtus Lipſius emendare veriſſime, *iuuenis excelſiſſimus*, veluti ea verba C. Caeſari adiungerentur. Si Velleium videas, emendatio videbitur haud paullo violentior. *At, ille Phraates*, inquit Lipſius, *annorum et regni vetus fuit.* Enimuero hoc a nobis in controuerſia ponitur. Inter auſpicia illa regni, quae ſupra conſtitui, et A. V. C. 757. initum, quo anno C. Caeſar cum illo excelſiſſimo iuuene collocutus eſt, intercedunt annis tres et viginti. Fuerit tum etiam quadraginta annos natus iuuenis, ſequitur A. V. C. 733. cum regnum adiit, annorum ſeptemdecim fuiſſe. Vere igitur, vt Moſes Chorenenſis refert, puer admodum rerum potitus eſt. Patefecimus nobis viam ad Arſami Armeni aetatem ſuis temporibus inſerendam. Si vero A. V. C. 732.

(9) L. II. c. 101.

50911

principatum in Armenia obtinuit Arſamus, viceſimus annus eius in regno ſeu principatu cum A. V. C. 751. aut A. V. C. 752. terminabitur, Abgari filii primus annus in regno Armeno inibit A. V. C. 752. Hoc pulcre videtur cohaerere cum eo, quod ille Chorenenſis ſcribit, anno ſecundo Abgari totum terrarum orbem fuiſſe cenſum et cenſores ab Auguſto in Armeniam miſſos imaginem eius in delubris deorum dedicaſſe. Id puta eum dicere, anno ſecundo Abgari Vchamae Chriſtum eſſe natum. Hoc nimirum ita plane eſt, ſi Dionyſium Paruum ſequamur, cuius A. C. 1. incidit A. V. C. 754. a quo tempore orientales non multum diſcrepant, vt dicam poſtea. Tam magnifice inſtructam ſcenam noſtram, alia iterum turbant et vnum praecipue quod Moſes Abgarum annos XXXVIII. regnaſſe tradit. Nam, ſi ſolos annos regni Armenici enumerare voles, longe infra tantum calculum te conſiſtere oportebit, ſin Armenici regni annis annos Edeſſeni regni adiicis, anni XLVI. et amplius exibunt. Quantum humana mens in hac caligine prouidere poteſt, id quidem eſt vnum, quod ſobrie cauteque coniectari licet, Abgarum patri Arſamo in regno Armeno plane A. V. C. 752. ſucceſſiſſe, a Moſe tamen annos tantum Edeſſeni regni prodi, in quo ſane Abgarus XXXVIII. annum ingreſſus deceſſit, quod fallere Moſen potuit, vt integros octo et triginta annumerarit.

Quod praeterea Moſes Chorenenſis habet, Abgarum Edeſſam Tiberio imperante condidiſſe, hoc etiam Nierſes Claienſis in Armenica hiſtoria prodit. Sed hic Nierſes nihil egit, quam vt Chorenenſem illum

lum tranſcriberet in carmen. Graecus quoque interpres teſtamenti Ephraemi Syri, (10) ſimile teſtimonium tamquam ex ore ſanctiſſimi viri adfert, nihil autem eiusmodi in Syriaco Ephraemi teſtamento reperiri doctiſſimus Aſſemannus teſtatur. (1) Reſtauratam ab hoc Abgaro vrbem fuiſſe et auctam templis, delubris, ſimulacris deorum, bibliotheca et tabulario non inuitus Moſi crediderim. Nam bibliothecam Edeſſae fuiſſe celebrem, ſatis conſtat. Moſes Chorenenſis teſtatur inter eos auctores, ex quibus Hiſtoriam Armenam concinnauit, etiam libros fuiſſe tum Graecos tum alios, quos Edeſſae euoluerit. Inde etiam Euſebius Pamphili ſua quaedam repetiiſſe ſe declarauit At cum ſcribit Chorenenſis ille, Abgarum aedificaſſe vrbem eo in loco, vbi quondam Armeni tranſitum Euphratis contra Craſſum tutati ſunt atque iſthic ſedem regni conſtituiſſe, mox autem adiicit, exſtitiſſe quidem vrbem iam antea, ſed *Mezbin* fuiſſe vocatam, in his error non coniectura, ſed oculis tenetur.

Quod reliquum eſt, de Abgaro ex Moſis ſententia ſummatim exponam. Cum Arſeuirus in Parthis ſex et quadraginta annos regnaſſet, deceſſit, et filios reliquit Artaxerxem, Carenum, Surenam, filiamque Coſmam. Inter filios de regno fuere diſſidia, quae Abgarus in Parthiam profectus ita compoſuit, vt Artaxerxes patri ſuccederet, ceteri ex hereditate acciperent prouincias. Apud Parthos morbo contracto inſanabili, rediit, ſummosque viros legatos mi-

(10) T. III. p. 292. (1) T. I. p. 141.

miſit ad Marinum proconſulem, qui excuſarent profectionem in Parthos. Hi cum Hieroſolyma transirent Chriſtum adiere. Cum deinde Thaddaeus Edeſſam venit, miſſus ab Abgaro eſt etiam ad Sanatrugum et ſororem eius Sauaductam, vt eos quoque ad religionem veri numinis conuerteret. Mira in toto hoc negotio ſcriptorum diſſenſio eſt. Euſebius (2) Abgari regis morbum tantummodo tradit, δεινὸν καὶ ἀθεράπευτον *grauem et ſine curationis ſpe* fuiſſe. Cedrenus (3) in Parthis contractum refert: articulorum dolores fuiſſe et lepram nigram, quae ita deformarit vultum, vt prae pudore turpitudinis neque domo exierit, neque cuiquam ſe praebuerit cernendum. Podagram fuiſſe, Procopius Caeſarienſis quoque, (4) cum Edeſſae verſaretur, fama hominum ferri cognouit. Conſtantinus Porphyrogenneta (5) Cedreno plane concinit, tum de arthritide, tum de lepra nigra et turpitudine vultus. Et haec quidem extrema cum Syriaco cognomine Abgari conueniunt: *Vchomo* enim *Nigrum* ſignificat: ſiue id nominis ob morbum regi datum fuerit, ſiue ex nomine fama talis morbi manauerit. Illo morbo cum adfligeretur Abgarus, qui omnem medicinam reſpueret, audito quantum eſſet nomen IESV CHRISTI quaeue miracula exſtarent, δι' ἐπιστολοφόρου *per tabellarium*, vt habet Euſebius, litteras ad eum miſit, quas Euſebius in tabulario Edeſſeno repertas ex Syriacis fecit Graecas.* *Epi-*

(2) H. E. L. I. c. 13. (3) p. 176. (4) de B. P. p. 118. ed. Pariſinae (5) In hiſtoria de Chriſti imagine Edeſſena p. 78. (*) Vide de iis etiam Io. Ernestum Grabium, Pruſſiae meae decus, in Spicilegio Patrum I. Seculi.

Epistola Abgari.

Αβγαρος τοπάρχης Εδέσης Ιησῦ Σωτῆρι ἀγαθῷ ἀναφανέντι ἐν τόπῳ Ιεροσολύμων χαίρειν.

Abgarus Toparcha Edeſſae Ieſu Seruatori bono, qui apparuit in loco Hieroſolymorum, ſalutem.

Ηκουσά μοι τὰ περὶ σοῦ καὶ τῶν σῶν ἰαμάτων, ὡς ἄνευ φαρμάκων καὶ βοτανῶν, ὑπὸ σοῦ γινομένων. ὡς γὰρ λόγος, τυφλοὺς ἀναβλέπειν ποιεῖς, χωλοὺς περιπατεῖν, καὶ λεπροὺς καθαρίζεις καὶ ἀκάθαρτα πνεύματα καὶ δαίμονας ἐκβάλλεις καὶ τοὺς ἐν μακρονοσίᾳ βασανιζομένους θεραπεύεις καὶ νεκροὺς ἐγείρεις. καὶ ταῦτα πάντα ἀκούσας περὶ σοῦ, κατὰνῶν ἐθέμην, τὸ ἕτεροντῶν δύο. ἢ ὅτι σὺ εἶ ὁ θεὸς, καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ποιεῖς ταῦτα, ἢ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, ποιῶν ταῦτα. διὰ τοῦτο τοίνυν γράψας, ἐδεήθην σου σκυλῆναι πρός με καὶ τὸ πάθος ὃ ἔχω θεραπεῦσαι. καὶ

Audiui de te tuisque curationibus morborum, vtpote quae a te ſine medicamentis et herbis peraguntur. Nam, quae fama eſt, caecis viſum reſtituis, claudis greſſum, leproſos mundas et ſpiritus impuros daemonasque expellis et diuturnis morbis vexatos ſanas et mortuos excitas in vitam. Et haec omnia audiens de te, animo meo alterutrum ex duobus ſubieci, ſiue quod deus ſis et de caelo demiſſus talia perpetres, ſiue quod dei ſis filius talia faciens. Idcirco ob hanc cauſſam ad te ſcribo oroque te, vt me inuiſas, morbumque, qui me habet, ſanes. Nam accepi etiam, Iudaeos tibi obtrectare, et te aliquo ma-

γὰρ ἤκυσα, ὅτι καὶ Ιυδαῖοι καταγογγύζυσί συ καὶ βάλονταί σε κακῶσαί σε. πόλις δὲ μικροτάτη μοί ἐστι· καὶ σεμνή, ἥ τις ἐξαρκεῖ ἀμφοτέροις.

lo adficere conſtituiſſe. Vrbs mihi eſt parua admodum et honeſta, quae nobis vtrisque ſufficiet.

Epistola Christi.

Αβγαρε, μακάριος εἶ, πιστεύσας ἐν ἐμοὶ, μὴ ἑωρακώς με. γέγραπταί γὰρ περὶ ἐμοῦ, τοὺς ἑωρακότας με μὴ πιστεύσειν μοι, ἵνα οἱ μὴ ἑωρακότες, αὐτοὶ πιστεύσωσι καὶ ζήσωνται. περὶ δ' ὧν ἔγραψάς μοι, ἐλθεῖν πρός σε, δέον ἐστὶ πάντα δι' ἃ ἀπεστάλην, ἐνταῦθα πληρῶσαί με. καὶ μετὰ τὸ πληρῶσαι, οὕτως ἀναληφθῆναι πρὸς τὸν ἀποστείλαντά με καὶ ἐπειδὰν ἀναληφθῶ, ἀποστελῶ σοι τινὰ τῶν μαθητῶν μου, ἵνα ἰάσηταί σου τὸ πάθος, καὶ ζωήν σοι καὶ τοῖς σύν σοι παρέχηται.

Abgare, beatus es, qui in me credis, quem non vidiſti: ſcriptum enim eſt de me, eos, qui viſuri ſint me, non credituros mihi, vt qui non viderint, ipſi credant et viuant. De eo autem, quod ſcripſiſti mihi, vt ad te proficiſcerer, neceſſe eſt, omnia, propter quae miſſus ſum, hic me implere. Poſt vbi impleuero, oportet me ſuſcipi ad eum qui me miſit: vbi vero ſuſceptus fuero, mittam tibi aliquem ex diſcipulis meis, vt tuum morbum ſanet et vitam tibi tuisque praebeat.

In

In epiſtola Abgari a Conſtantino Porphyrogenneta Imp. edita, ſub finem haec praeterea exſtant: τῦ κατοικεῖν ἐν εἰρήνῃ ἐν αὐτῇ, *vt ambo eadem in ciuitate cum pace viuamus.* Et in altera Chriſti: χ̣ποιήσει τῇ πόλει σου τὸ ἱκανὸν, πρὸς τὸ μηδένα τῶν ἐχθρῶν κατισχύσαι αὐτῆ, *tuaeque cautionem vrbi praebebit (diſcipulus meus) vt aduerſus illam hoſtes valituri ſint nulli.* Abulpharagius (5) vtramque epiſtolam Arabice produxit: et *in illa* Abgari, lacinia Conſtantiniana exſtat, in altera Chriſti extrema deſunt. Procopius Caeſarienſis, cum de his epiſtolis commemorauit, (6) adiecit huic loco, famam eſſe, exſtitiſſe in epiſtola Chriſti illa, inexpugnabilem vrbem fore, τῦτο τῆς ἐπιστολῆς τὸ ἀκρoτελεύτιον οἱ μὲν ἐκείνου τῦ χρόνου τὴν ἰσορίαν ξυγγράψαντες ὐδαμῆ ἔγνωσαν. ὐ γὰρ ἦν ὐδέπω αὐτῦ ἐπεμνήθησαν. *hoc poſtremum epiſtolae caput hi qui iſtius temporis hiſtoriam ſcripſerunt, nequaquam cognouere, neque enim vsquam eius mentionem iniiciunt.* (7) Edeſſeni tamen, vt is ait, hoc caput in epiſtola repertum contendebant, eamque epiſtolam in portu vrbis dedicauerant, tamquam φυλακτήριον. At Procopius, vrbem, cum in Parthorum tum in Romanorum poteſtate fuiſſe oſtendit, quamquam is locus Procopii adhuc mutilus eſt, atque eo iudicat, ſcripta iſta a domino deoque noſtro non fuiſſe, at cum vulgo vrbs crederetur in tutela Chriſti eſſe, Procopius cenſet, ſimplicitati pietatique ciuium hanc vel falſam opinionem

(5) Hiſt. Dynaſtiarum p. 112. 118. (6) p. 118. (7) Nicephorus Calliſti haec etiam reiicit *H. E. L. XVII. c. 16.* confer *L. II. c. 7.*

ſalutarem ſaepe fuiſſe. Eundem in modum Euagrius (8) Euſebii auctoritate niſus, iſta quidem vt vana et commentitia reſpuit, ceterum Procopii quoque ingenio et opinione iudicat de fama. Franciſcus Combefiſius quidem, (9) integra monumenta Euagrium non vidiſſe aſſerit, et ab Euſebio fuiſſe deceptum: at velim, ſi viueret Combefiſius, ipſe ſecum ſtatueret, quando Edeſſam ſaepe ab hoſtibus captam hoc ipſo in libro demonſtramus, malitne Euſebio et Procopio, qui non vnum Euſebium videtur ſecutus, Euagrioque fidem accommodare, an aſſentando Edeſſenae plebi, Chriſtum inſimulare tamquam fidei non ſeruatae. In S. Ephremi teſtamento Graeco, quod Dionyſius Voſſius edidit, exſtant ſane etiam iſta: at incomparabilis Bibliothecae Orientalis auctor oſtendit, plurima in eo corrupta et deprauata eſſe, neque hanc de Abgaro hiſtoriam in Syriaco Ephremi teſtamento reperiri. (10) Ita tantummodo Ephremus: *Benedicta ciuitas, in qua habitatis, Edeſſa ſapientum mater, quae ex ore viuo Filii benedictionem per eius diſcipulum accepit: illa igitur benedictio maneat, donec Sanctus apparebit.* Annis centum et triginta poſt Ephremum Ioſua Stylites hiſtorias ſuas condidit. Is iam veluti rem teſtatam et illuſtrem tradit non vno loco, Perſis fuiſſe perſuaſum, eam Chriſti fidem Abgaro datam: دكركك نهوا بريك وبعلدبيالا بشتلت به لعلم *Vrbs tua benedicta, cui hoſtis non dominabitur in aeternum.* Sed quis dubitabit, Euſebium ſincerioribus tabularii Edeſſeni monumentis fuiſſe vſum, quam qui tanto

(8) H. E. l. c. (9) In Originibus CPlitanis p. 105. (10) T. I. p. 141. 262.

to poſt tempore, memoria contaminata, ſcripſere. Immo etiam Euſebium ſunt qui hoc toto in negotio fidei nimium ad vana procliuis accuſant, quos ſecum conſiderare velim, quanta moderatione animi haec vniuerſa prodiderit. Legebat iſta in tabulario Edeſſeno, diſſimulanda non duxit, fidem, vt apparet, ſic ſatis mediocriter adhibuit. Et epiſtolam quidem Chriſti, Gelaſius *P. R.* vt vulgo putant, ἐν ἀπο-κρύφοις recenſuit; Bellarminus Cardinalis aliique ſuperioribus aetatibus νοθείας poſtularunt. Nihilo minus Gregorius Papa ad Leonem Iſauricum Imp. cenſuit, Chriſtum ſcripſiſſe epiſtolam ἰδιοχείρως *manu ſua*, quod in Gregorio atque in iſtis temporibus quis miretur? at Guilielmum Caueum, talem virum, pro ea potuiſſe leuiſſimis argumentis decertare, miraculo ſimile eſt. Omnes omnium ſententias et diſceptationes operoſe conquirere, neque ingenii eſt noſtri, neque inſtituti. Placet Aſſemani ſummi viri atque accuratiſſimi ſententia: extitiſſe quandam inter Chriſtum atque hunc Abgarum mutui amoris conſociationem, fortaſſis etiam ad Dominum Abgari litteras potuiſſe perferri, at mandata Chriſti nulla fuiſſe ſcripta, legatum, quae audiuerat, ſcripto retuliſſe.

Euſebii ἐπιστολόφορον Cedrenus ταχυδρόμον, nomine Ananiam citat, eodem nomine Conſtantinus Imp. et Malatienſis. Iidem illi tres pictorem fuiſſe conſentiunt. Contra, vt Moſes Chorenenſis legatum ſcribit fuiſſe ad Marinum Procos. Syriae, ita Conſtantinus in Aegyptum: Αὔγαρος τῷ τῆς Αἰγύ-

πτῳ ἐξηγουμένῳ φίλος ἢ γνώριμος ἦν, ἢ παῤ ἀλλήλοις οἱ ἑκατέρων ἔφοιτων διάκονοι, *Augarus cum Aegypti praetori amicus notusque eſſet, eo mutuo ſe coluere legationibus mittendis.* Hic vero Conſtantinus ait, Annaniam, dum per Palaeſtinam peteret Aegyptum, in Chriſtum incidiſſe atque inde redeuntem, negotio accuratius cognito conſideratoque auctorem fuiſſe Abgaro quaerendae a domino ſalutis.

Id nunc agamus, vt haec, quae ex hiſtoria Moſis Chorenenſis narrauimus, ad certas temporum rationes exigamus. Iam, ſi Abgarus A.V.C. 779. Seleucidarum 338 in Parthia fuit (is erat annus Chriſti Dionyſianus 26) et ex Parthia reuerſus legatos miſit ad excuſandam apud Romanos profectionem ſuam, veroſimile eſt, eos Chriſtum conuenisſe circiter A. V. C. 780. Seleucidarum 339. qui eſt ſecundum Dionyſium Exiguum Chriſti 27. Velim autem conſiderari, Dionyſium ſeu quinque annis, vt Petauius cenſuit, ſiue ſex annis, vt Pagius veroſimillimis argumentis conſtituit, a vero anno aberraſſe, vt annus Dionyſianus 27. reuera fuerit A. C. 32. ſeu 33. Sic ad extrema vitae legatos Chriſtum conueniſſe apparet. Gregorius Malatienſis veniſſe ſcribit anno decimo nono Tiberii, qui fuerit annus Alexandri trecenteſimus quadrageſimus ſecundus, is ipſe, quo paſſus eſt Chriſtus. At idem ille Gregorius et Andronicus, quem is ſequitur, Eutychius Alexan-

andrinus, Dionyſius Telmarienſis, Georgius Elmacinus et Chronicon Edeſſenum omnisque veterum Syrorum et Arabum turba Chriſtum natum produnt anno Edeſſeno ſiue Seleucideo 309. Ita fuerit Chriſtus anno ſuo 34. et Dionyſiano 31. paſſus, vnde annus Tiberii 19. quatuor annis ad decimumquintum Tiberii, quo Chriſtus baptizatus eſt, adiectis efficitur. Sed in actis Abgari e tabulario Edeſſeno ſubſcriptum fuit, vt Euſebius teſtatur, ἐπράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοστῷ ἔτει. A. Sel. 340. vt Valeſius locum reſtituit. Is annus Edeſſenus ſub autumno anni Dionyſiani 28. coepit, qui erat ſecundum Petauium 33. ſecundum Pagium 34 annus Chriſti. Et loquitur ſcriba hic Edeſſenus non tam de legati ad Chriſtum, quam de Thadaei ad Abgarum aduentu. Haec igitur ſatis inter ſe cohaerent. Quod autem Moſes Choronenſis habet, ad Marinum proconſulem Syriae veniſſe legatos Abgari, id admodum haeret in ſalebra. Iulius Marinus e vetuſtiſſimis familiarium Tiberii, in Syria nunquam fuiſſe videtur; nec quisquam alius eo nomine Syriae praefectus exſtat. Vereor ne quid humani ſit paſſus Moſes Chorenenſis, et cum apud S. Lucam Syriae praeſidem Κυρήνιον legeret, quem vulgata *Cyrinum* edidit, vt quidam codices Graeci Κυρεῖνον, Romani *P. Quirinium* nominarunt, eum crediderit perpetuum fuiſſe vsque ad exitum Chriſti, nomen autem deprauauerit, vt eſſet *Marinus*. Contra ea non ſic accurate tenemus Syriae praeſides, vt non vacuus inſerendo Marino aliquo ſit locus. L. Pomponius Flaccus vir conſularis

(1) Cn. Sentio Saturnino in Syria ſucceſſit propraeſes, circiter A. Dionyſianum 22. A. C. 33. A. V. C. 786. vita defunctus *in propraetura Syriae*, vt Tacitus vocat, (2) ſucceſſorem habuit L. Vitellium A. Vitellii, qui poſtea imperauit, patrem. Propraeſes tantum fuit, quod praeſidum dignitas penes alios in vrbe eſſet. In his fuit Aelius Lamia, qui *adminiſtrandae Syriae*, vt ait Tacitus, (3) *imagine tandem exſolutus, Vrbi praefuit, genus illi decorum, viuida ſenectus et non permiſſa prouincia dignationem addidit.* Potuit igitur aliquis Marinus praeſes ad Vrbem fuiſſe. Sed veroſimilius eſt, erraſſe Moſen et legatos Abgari veniſſe in Syriam ad L. Pomponium Flaccum propraeſidem. Si modo legati in Syriam ſunt miſſi, nam Conſtantinus Porphyrogenneta ad Aegypti ἐξηγούμενον legatos Abgari commeaſſe ſcribit. Euſebius de legatis omnino nihil, cuius, vt Edeſſenis in monumentis haud minori fide verſati, quam in aliis, ita ad memoriam vetuſtiſſimi, maior apud me eſſe debet auctoritas, quam ceterorum omnium, qui ſecundum eum rem magnificis extulerunt verbis.

Sunt deinde alia quoque, quae Euſebius ignorauit, multi ſecundum eum ſatis magno interuallo prodiderunt. Hananum legato fuiſſe nomen, pingendi artem coluiſſe, mandata habuiſſe ab Abgaro, vt Chriſtum dilucidis coloribus pingeret in tabula: inueniſſe dominum cum populo diſſerentem in agro, ergo in accliui loco, vnde eum conſpicere omnino poterat, linea-

(1) Ioſephus L. XVIII. 8. (2) Annal. VI. 27. (3) l. c.

lineamenta diuini oris ducere coepiſſe in charta, cum per Thomam, vt accederet, vocatus eſt : tradidiſſe illico epiſtolam, et cum mandata, tum imaginem Chriſti accepiſſe perferrenda ad regem. Nam Chriſtum ipſum aqua lauaſſe faciem et humorem χειρομάκτρῳ abſterſiſſe, illa autem in mappa totius formam vultus ſuiſſe expreſſam. Ita Conſtantinus Porphyrogenneta in oratione de imagine Edeſſena· Quamquam enim ſunt, qui Conſtantini Imp. eam orationem eſſe negant, tamen vel Franciſco Combefiſio concedere poſſum, eſſe, vel meo iudicio alteri cuicumque tribuere, qui Imperatoris iuſſu ſcripſerit, erant enim cum eo multi, quorum ingenio delectabatur, nihil vt vel opis vel detrimenti alterutra ex opinione nobis hoc in negotio accedat. Gregorius Abulpharagius, item vt Imperator, de legato pictore atque de imagine مندیل في *in ſudario*. Alii fere ἐκμαγεῖον dicunt, quod interpretum nonnulli imperite *ſudarium* edidere, in quibus fuit Iacobus Goar, quem idcirco Combefiſius reprehendit. Eſt enim nihil aliud, quam αὐτὸ τοῦτο, *effigies* : quare Cedrenus et Ioannes Curopalata eius loco ἐκτύπωμα poſuere. Ita Philo Iudaeus (3) Adamum τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον ἢ ἀπόσπασμα ἢ ἀπαύγασμα dixit. Idcirco Orientalium epiſtola Synodica ad Theophilum Imp. (4) τὸ ἐκμαγεῖον τῆς ἁγίας μορφῆς ἐν σινδαρίῳ, vt dubitationis nihil remaneat. Notiſſima

(3) περὶ κοσμοποιίας p. 33. ed. Pariſ. (4) ed. Combef et in Michaelis Lequieni operibus Ioannis Damaſceni T. I. p. 631.

deinde eſt appellatio, ἀχειροποίητος θεία εἰκών et ἡ ἀχειροποίητος tantummodo, vt Gregorio Papae in epiſtola ad Leonem Iſauricum aliisque, Euagrio Scholaſtico θεότευκτος εἰκών. Sed reuertamur ad Conſtantinum Imperatorem. Ananiam igitur tradit, imaginem Chriſti, Hierapolin (5) vt aduenit, inter aceruum tegularum recondidiſſe, ſub mediam vero noctem ex his ruinis primum flammam emicuiſſe, mox tantam vim incendii viſam cooriri, vt oppidani ſibi rebusque ſuis metuentes, portis ſe effuderint in circumiectum agrum. Ananias auctor tantae calamitatis in forum vocatus, ciuibus, qui eſſet, quodue maleficium, qua iniuria laceſſitus, vrbi intulerit, quaerentibus, iter ſuum et quae deinceps acciderant, exponit. Adeunt omnes ardentem aceruum, imaginem extrahunt illaeſam, et tegulae vni eandem vultus diuini formam coloribus iisdem impreſſam reperiunt. Tegulam, in qua erat iam altera ἀχειροποίητος, homines gentiles, veluti quoddam deorum palladium in vrbe ſua dedicarunt: imago in linteo miſſa eſt Edeſſam. Hierapoli tegulam illam ſuis temporibus in honore atque veneratione fuiſſe is ipſe Conſtantinus teſtatur, qui tamen etiam alteram narrationem ſubiungit, a ſuperiori penitus diuerſam. Chriſtum, cùm paullo ante mortem deo patri ſupplicaret in horto et maximis in animi cruciatibus ſudorem ſanguine permiſtum effunderet, laciniam a linteo diſcipuli reſciſſam ab-

(5) τῇ μὲν Σαρακηνῶν φωνῇ Μεμμιχ vbi repone Μεμβιχ vt ſit ممبوج *Mambugj.*

abſtergendo ſudori adhibuiſſe, eam deinde referentem lineamenta vultus ſui Thomae apoſtolo dediſſe, qui hoc pignus ſui amoris per Thaddaeum mitteret ad Abgarum regem. Thaddaeum Edeſſae apud Tobiam Iudaeum diuertiſſe, multos ciuium curaſſe, vt a morbis conualeſcerent, reque ad Abgarum per Abdum (6) nunciata, Thaddaeum in aulam vocatum ſuiſſe. *Venit eo Thaddaeus, effigiem ἀχειροποίητον in ſublime elatam fronti praetendens.* Ea autem imago radiis refulgens lucidiſſimis, adeo perculit Abgarum, vt, qui antea ſolutis morbo membris defixus fuerat lecto, inde proſiliens in occurſum miraculi, effigiem capiti, oculis, manibus, labiis cunctisque corporis membris imponeret. Ceſſit lepra, ſola in fronte veſtigia mali relicta. Eodem miraculo alios deinde ſanatos referunt, praeſertim eum, qui primus famam de Chriſto ad Abgarum pertulerat, podagra leuatum: Abgarum cum coniuge liberisque et tota domo baptizatum, iſtius quoque veſtigium maculae et turpitudinis in fronte amiſiſſe. At Cedrenus, quem *ſupra teſtem produxi*, *Abgarum ſcribit*, poſt epiſtolam a *Chriſto receptam*, ſanitati reſtitutum fuiſſe, macula vna in vultu relicta, quae in baptiſmate ſublata fuerit. *Profecto*, niſi lapides ſumus, et ſi quid humanae mentis nobis relictum eſt, vbi alterutram narrationem alterius tanto diſcrimine conculcatam

(6) Eſt in Conſtantino; διά τινος τῶν αὐτῦ δυναςῶν Αμδῦ καλεμένυ, vbi lego Αβδῦ, vt nomen ſit Syriacum, et ita vt apud Euſebium exſtat: eſt enim litterarum illarum in MSStis quibusdam forma minime diſſimilis, quod Combefiſium fefellit

cernimus, et alternis ſuſpicionibus mutuo ſe conuellere vtramque, neceſſe eſt, vt ad certa magis auctoritatum teſtimonia confugiamus. Nam Conſtantinus non diſſimulat, rumores ſe hominum ſequi et famam, quae

Mobilitate viget viresque acquirit eundo,
Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo et caput inter ſidera tollit.

Imperator autem, vt ſuperiori narrationi plus tribuere videtur, quando illa fere plurimorum opinio fuit, tamen, ne alterius opinionis atque famae diſſimulatione alteri fidem quaeſiuiſſe videretur, vtramque ſe ſubiicere ſcribit. Et vtrique vero diffidens, ſapienter dixit: ἡ πάντως οὐδὲν θαυμαστὸν, ἐν τοσούτῳ χρόνῳ πλανᾶσθαι πολλάκις τὴν ἱστορίαν, *neque plane mirari nos oportet, tanto temporis decurſu hiſtoriam ſaepenumero a veritate aberrare.* At Euſebius Caeſarienſis, qui Acta Edeſſena ex Syriacis fecit Graeca, nihil de imagine. Tantummodo qui alteram narrationem Conſtantini ediderunt, in quibus ſunt auctores epiſtolae Synodicae ad Theophilum Imp. multa admiſta habent ex Euſebio. Quare quae hic in tabulario Edeſſeno legerit, cognoſcere iuuat. (7) Poſtquam dominus deusque noſter ad Patrem ſublatus eſt, Iudas Apoſtolus, qui etiam Thomas, Thaddaeum miſit ad Abgarum. Is diuertit apud Tobiam Tobiae filium (Iudaeum opinor, vt multi erant Edeſſae Iudaei) multisque miraculis populo ante, quam regi co-

(7) Hiſt. Eccleſ. L. I. c. 13.

cognitus eſt. Abgarus, vt, quae in vrbe fierent, accepit, eorum, quae ad ſe Chriſtus mandata miſerat, recordatus, primum Tobiam vocat, a quo vt de hoſpitis diuina virtute accepit, Thaddaeum ipſum poſtridie adeſſe iuſſit. Conſederat Abgarus rex inter proceres, cum Thaddaeus ingreditur, cuius in vultu θεαμα μέγα ἐφάνη τῷ Αγβάρῳ *magna res viſa eſt Abgaro.* Occurrit igitur Abgarus καὶ προσεκύνησε *humi ſe proſtrauit*, quod ipſum Romani, cum de Aſiaticis moribus loquuntur, *adorare* dicunt. Mirantibus proceribus, qui nihil eiusmodi in vultu Thaddaei ſenſerant, quid ita rex ſe ad pedes hominis abiiceret, Abgarus ex Thaddaeo quaerit, miſſusne ipſe eſſet a magiſtro ſuo: Thaddaeus adeſſe ſe eius iuſſu, vt credenti omnia ex voto faceret. Oſtendebat ſeſe credere Abgarus et bello ſe perſecuturum fuiſſe Iudaeos, qui tantum ſcelus auſi ſunt, niſi potentiam Romanorum reſpiciendam eſſe iudicaſſet. At Thaddaeus mitigato regi adſentientique euangelio manus imponit, quo facto Abgarus ſanitatem recepit, recepit etiam Abdus Abdi filius podagra laborans, multique alii a morbo refecti. Poſtridie praeſente rege Thaddaeus in totius populi concione praedicationem peregit: aurum argentumque quod rex ei dari iuſſerat, reiecit. Euſebius cum paullo poſt (8) Thaddaei memoriam iterum iniecisſet, addit, inde ab eo tempore totam Edeſſenam vrbem Chriſtiano nomini deuinctam, ὑ τὸ τυχὸν ἐπιφερομένην δῶγμα τῆς

(8) L. II. c. 1.

τῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἀς ἀυτὸς ἐυεργεσίας, *non vulgare exemplum Seruatoris nostri in eam beneuolentiae consecutam.* Haud ita sum infans, vt, quando etiam ista Eusebius trecentis post annis, subtimide et nequaquam pari cum ceteris, quae ex euangeliis et Actis Apostolorum adsert, fide referre se ostendit, ego prorsus eum in modum gesta dictaque consentiam. Imaginis autem non modo non in Eusebii Actis Edessenis, sed neque in S. Ephremo neque in alio aliquo Syrorum scriptorum veteris aeui memoria vel vestigium exstat. In Actis Concilii septimi primus profertur auctor Euagrius. (9) At is ipse Euagrius post istum annum, quo inuenta est imago scripsit, vt infra referam. Ioannes Damascenus (10) veterem famam esse scribit, Ἄυγαρον τῆς Ἐδέσσης ἄνακτα legatos ad Christum misisse, qui ad se inuitarent: sin renueret, vt per pictorem pingendum curarent: at Christum τὸ ἑάκος suo vultui admouisse et cum expressa imagine misisse ad regem. Constantinus Imp. narrat praeterea, fuisse apud Edessenos statuam cuiusdam dei impurae superstitionis ante publicam vrbis portam, cui, qui in vrbem intrarunt, supplicarint et vota fecerint: hac sublata, Abgarum Regem eo ipso loco τὴν ἀχειροποίητον asseri agglutinatam ornatamque auro dedicasse, hoc cum titulo aureis litteris

ΧΡΙΣΤΕ. Ο. ΘΕΟΣ
ΕΙΣ. ΣΕ. ΕΛΠΙΖΩΝ
ΟΥΚ. ΑΠΟΤΥΓΧΑΝΕΙ. ΠΟΤΕ.

prae-

(9) p. 313. ed. Hard. (10) De Imaginibus p. 320. ed. Leqnieni. Ex eo fortassis Nicephorus CPlitanus Patriarcha in Antirrhetico. vid. Bern. Montfaconii Bibliotheca Coisliniana p. 143.

praeterea ſanxiſſe, vt qui per eam portam ingrederentur, pro deo impuro adorarent imaginem: manſiſſe autem religionem, quamdiu tum ipſe regnauit, tum filius paternae pietatis haeres: at nepotem ad daemonas defeciſſe et imagini inſidiatum, eius in loco deos ſuos reponere conſtituiſſe: itaque epiſcopum, vt, quae rex animo agitaret, reſciuit, locum, vbi imago erat dedicata, contra iniuriam muniuiſſe. Erat autem ſub fornice portae collocata: in ea, vt ait Imperator, epiſcopus proxime imaginem lampadem, circum vero tegulas repoſuit, et coctis lateribus caementoque totam fornicem obſtruxit. Repertam ea in porta imaginem A. C. 540. tradi, dubium eſt nullum, vt dicam ſuo loco, cetera Conſtantini, quae ad vetuſtatem pertinent, ſola Edeſſeni populi opinione nituntur, et ea quidem cum inter ſe diſcrepante, tum abhorrente ab actis Edeſſenis Euſebii. Quare quid iis fieri velit quisque, mea nihil refert: diſſimulare rem celebratam multis ſermonibus non potui. Nicephorus *Calliſti* Xantopulus (1), poſtquam narrationem de *pictore Edeſſeno* et de *linteo*, cui imaginem Chriſtus impreſſerit ſuam, paucis verbis peregit, ſubiecit, etiam Perſarum quendam regem manu ingenioque promptum fuiſſe, qui ſimilem in modum imaginem Chriſti ἀχ. Θεοτόκυ impetrauerit. Tum demum, ſic ait reperiri in tabulariis Edeſſae ciuitatis et in libris de Augari vita ex Syriaco translatis Graece. Dicam de his ſtrictim, quid ſentiam. Exſtitere, qui Abgarum dixerint *Perſarum regem*: Nicephorus, cum ſine nomine Abgari ab aliquo hanc ipſam rem

(1) H. E. L. II. c. 7.

rem referri videret, credidit diuerſam edi. Quae in tabulariis Edeſſenis prodita fuerint publica auctoritate ex Euſebio cognouimus: vita illa Abgari Syriaca recentior fuiſſe videtur.

Scio Procopium (2) ſic tradere, hunc Abgarum Romam veniſſe atque ab Auguſto Caeſare perhonorifice eſſe acceptum. Abgarum quidem, poſtquam diu apud vrbem egerat, incredibili deſiderio patrii regni flagraſſe, attamen diſcedendi poteſtatem impetrare non potuiſſe. Igitur ille in ſuburbano agro multas feras viuas cepit, humumque, in qua vnaquaeque luſtrum habuerat, effodiendam curauit. Inuitato deinde in Circum Auguſto, hos viuos caeſpites per interualla in harena diſpoſuit ferasque e carceribus emiſit: ita autem accidit, vt ſuum quaeque fera caeſpitem agnoſceret atque in eo recubaret. Abgarus iam inde exorſus a patrii ſoli etiam in beſtiis amore et deſiderio, ſermonem ad ſe flexit, Auguſtumque deprecatus eſt, vt ſe ad ſuos redire pateretur. Vt diſcedendi poteſtate facta Edeſſam venit, Ἰωσοδρόμιον Auguſti aedificauit, ciuibus nouitatis cupidis, λύπην τε ἀζήμιον καὶ χαρὰν ἀκερδῆ *dolorem animi ſine damno, gaudium ſine lucro* ab Auguſto ſe referre interpretatus. In qua narratione omnia incerta ſunt. Vereor, vt vmquam Romae fuerit Abgarus. Credo magis, ſi quid veri inſit, Abgarum Manum Mani filium, qui Antonino Pio imperante in Vrbem venit, tale aliquod commentum repe-

(2) p. 117.

periſſe, quamquam illa ferarum ſagacitas cothurnum magis quam incorruptam hiſtoriam decere videtur.

Et Abgarus quidem quanto obnoxior erat Parthis, tanto plus Romanos reformidabat, praeſertim cum in expeditione Germanici Caeſaris, orientis regiones erectae eſſent exſpectatione rerum nouarum et virtute iuuenis. Strabo (3) ſub *initiis* Tiberii, Arabas, quo nomine Edeſſenos ſaepenumero comprehenſos fuiſſe a ſcriptoribus, ſupra tradidi, ad totam vlteriorem Euphratis ripam, eorumque regulos, vsque ad Babylonem, tum Romanis adhaereſcere auctor eſt, tum Parthis, prouti hos aut illos propius contingant. C. Ceſtio Gallo, *M.* Seruilio Rufo Coſſ. A. C. 35. vt in epiſtola conſulari Henricus Noriſius confirmatum dedit, Parthis magnas res et longa bella ſeminantibus, Phrahates ex Arſacidarum genere Romae obſes, a Tiberio ad paternum faſtigium accingitur et mox Phrahate fatis abſumpto, Tiridates eiusdem ſanguinis in Parthos, Mithridates ex Iberia in Armenos mittuntur, *L.* Vitellio, qui proximo anno conſul fuerat, his rebus moderandis praefecto et Meſopotamiam ex opportunitate inuaſuro. Victus et debilitatus eſt rex Parthorum: Tiridates traiecto Euphrate Ornoſpaten Meſopotamiae totius praeſidem multosque alios in ſua vota pertraxit. Et erat ſumma rei prope in manibus eius, cum per ignauiam finibus regni ab Artabano rege ſe exturbari

(3) p. 864.

paſſus eſt annis vix duobus poſtquam ingreſſus fuerat. (4) Abgarum puto, in tanta varietate fortunae neceſſitati obſecundaſſe, et eodom Taciti verba pertinere iudico, cum ait: *ſed fugae ſpecie diſceſſum, ac principio a gente Arabum facto, ceteri domos abeunt, vel in caſtra Artabani, donec Tiridates cum paucis in Syriam reuectus, pudore proditionis omnes exſoluit.*

Quid autem? an numos, quos antiquarii proferunt, Tiberii vultu ſignatos et ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ inſcriptos ad hos Edeſſenos ciues aequo iure referemus? nempe ita viſum fuit Lucae Holſtenio, (6) Ioanni Fideualenti, (7) Carolo Patino, (8) Henrico Noriſio, (9) et Ioanni Harduino. (10) Eſt autem numus ſignatus vultu Tiberii Auguſti cum epigraphe, T. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ in auerſa cum Liuiae imagine et titulo ΣΕΒΑΣΤΗ. ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ. Alter hunc in aduerſa titulum habet adſcriptum, ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ in auerſa ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΟΣ ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ pro quo Noriſius in alio legit ΕΔΕΣΣΕΩΝ. Idcirco Harduinus in indice epiſcopatuum, (1) *in numis antiquis* ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ *et* ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ. Sed manifeſti erroris tenentur. Non inficias eo, Stephanum Byzantium vtrumque ἐθνικὸν ponere his verbis, κατὰ μὲν τὰς ἐγχωρίους Εδεσσηνός, παρὰ δὲ τοῖς πλείοσι τῶν ἀρχαίων Εδεσσαῖος, *ciues indigenae Edeſſenos ſe*

(4) Tacitus L. VI. c. 31. ſeq. (5) ib. c. 44. (6) ad Stephanum p. 107. (7) In Colon. p. 145. in Indice numorum p. 403. (8) in Imperat. p. 298. (9) In Epochis p. 107. (10) In numis vrbium voce ΕΔΕΣΣΑ (1) T. XI. Concil.

ſe dicunt, plerique autem veterum Edeſſaeos. Eum in modum nonnemo ex turba hiſtoricorum, qui res ſub M. Aurelio aduerſus Parthos deſcripſerunt, apud Lucianum ſic fatus eſt: (2) Εὔρωπος κεῖται μὲν ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, σάθμὰς δύο τοῦ Εὐφράτου ἀπέχουσα· ἀπῴκησαν δ'αὐτὴν Εδεσσαῖοι. *Europus ſita eſt in Meſopotamia, duabus manſionibus ab Euphrate: condidere autem Edeſſaei.* Fuerit hic mos Graecorum Oſrhoënos dicendi Edeſſaeos, tamen cum indigenae et ciues ipſi Edeſſenos ſe vocarunt, teſte Stephano, non eſt veroſimile in publica moneta eos aliter ſcripſiſſe. Edeſſaei dicti ſunt ab iis, qui Edeſſae in Macedonia oppidanos ſic nuncupari meminerant et ex ignorantia idem ἐθνικὸν vſurparunt in Edeſſa Meſopotamienſi. Denique qui potuere Edeſſeni in Meſopotamia eos numos procudere, cum neque libera vrbs eſſet, neque adeo adſtricta ad obſequium Romanorum? ſi quis numus ex adulatione fuerit ſignatus, cur ab Abgaro rege ſignatus non eſt, cum penes reges ius monetae apud omnes populos fuit? et, ſi cui ciuitati eſſet priuilegio datum, inſigniri tamen eorum capitibus regum debuit numus, quorum ſub poteſtate vrbs contineretur. Edeſſae vero eo in populo, qui regum duro imperio ad orientalium morem gentium, amiſſa ſemel libertate, coerceretur, in ipſa regia, ea in vrbe, quae regi ſuo tamquam alteri parenti et conditori deuincta erat, numos ſine regis illius vultu et cum quadam liberi iuris ſui oſtentatione exſtitiſſe putabimus? At erat Edeſſa illa Ma-

(2) Quomodo hiſtoria conſcribenda p. 618.

cedoniae, quam Liuius *nobilem vrbem* vocat, alia conditione. (3) Ne quid dicam de Polybio et Strabone eiusque excerptis, Iuſtino, Ariſtide Rhetore, Antonini illo itinerario, Notitia Graeca, Conſtantini Porphyrogenetae thematis, Plinius quoque *Aedeſſam*, vt Claudius Ptolemaeus Αἴδεσσαν citat, quemadmodum hanc noſtram quoque dici ſupra monuimus et infra prolatis exemplis oſtendemus, inde etiam in codice Coisliniano Αιδεσηνοὶ. (4) Ab ea vrbe ἐθνικὸν apud Liuium gerit (5) *Antiphilus Edeſſaeus*, qui in exercitu Perſei regis cetratis dux fuit. At in concilio Antiocheno, CPlitano, Nicaeno, Chalcedonenſi, non *Edeſſaeos* ſe ſubſcripſere epiſcopi Aegeades, ſed *Edeſſenos*. Ioannes Cantacuzenus quoque in hiſtoriis paſſim illos in Macedonia non niſi Εδεσσηνὺς nuncupat, cum de ſedecim annorum obſidione agit, quam vrbs munitiſſima et ſitu et arte ſuſtinuit, Triballis cum Crale rege vi ſumma incluſam vrgentibus. Ex quo intelligitur, quam haud difficulter τὰ ἐθνικὰ τῶν πόλεων corrupta et confuſa ſint. Attamen numos omnes ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ ſub Auguſto, Tiberio, Hadriano, M. Aurelio, Alexandro Seuero, Caracalla, Iulia Mammaea, Gordiano, Philippo, quos ſtrictim ſine omni exceptione Meſopotamienſibus attribuunt, Edeſſae Macedonum, unde deiecti fuerant, reſtituo. Vnum ſub Gordiano Ioannes Fideualens iam extorſerat Triſtano, cum Ioannes Harduinus eum iterum aſſe-

(3) L. XLV. 29. (4) Bibliotheca Coisliniana Montfauconis p. 56. (5) L. XLII. c. 51. Haec vrbs in fragmento Geographico quod Codinus produxit et ex eo Io. Hudſon, Εδεσσα τὰ νῦν Μόγλαινα.

asserendum Edessae huic nostrae iudicaret. Nam *Aegaeam* Macedoniae, *Edessam*, et *Aegeadas*, *Edessaeos* dictos aliquando fuisse negat. Si quem auctorem eius nominis proferas, parata est proscriptio et vt commode vocauit Ioannes Sartorius, patruus meus magnus, ὀςρακισμὸς. Plinius tamen, quem solum deum suum putat, *Aedessam*, vt in multis aliis auctoribus quoque est, deprauate, edidit tamen. Sed nihil moror totam hanc Archontianam haeresin: si quos incautos decepit Harduinus, non erit diuturnus tam ridiculus error. Est autem praeter caput Gordiani, ita in naue seu auersa signatus numus: Roma sedet super tropaeo, poneeam stat figura muliebris cum cornu copiae, quae aeternae vrbi lauream imponit. Si hunc numum Edesseni nostri cuderunt, supra ingenium suum sapuisse videntur: nam in ceteris, quos infra cum vultu Gordiani exhibebo, merum rus est prae istius numi artificio et magnifico apparatu. Nihil vsquam nisi genius vrbis et fluminis, scrupea rupes et sidera. Haec perpetuo fere seruant in numis suis Edesseni, hoc idem ceterae fere vrbes in Mesopotamia.

XV. ܡܢܢܘ ܒܪ ܐܒܓܪ *Maanu bar Abgar*. Dionysius Telmariensis scribit, eum anno 2061. mortuo patri successisse et septem annos negnasse. Secundum nostras rationes regnare coepit Edessae, A. Abrahae 2060. Martio mense A. V. C. 798. a Christo nato XLV. Moses Chorenensis Ananum vocat, quod non longe recedit a Syriaco

nomine Mani. Nierſes Claienſis nomen eius non prodit, ſed item vt Moſes ille (quem ſequitur) a pietate patris deſciuiſſe ſcribit. Econtrario Cedrenus auctor eſt, (6) Abgari filium in patris inſtituto perſtitisſe, quod equidem interpretor de Abgari filio, Mano, Mani huius fratre, qui poſtea regnauit. Id mihi quoque indicare eſt viſus Procopius, (7) cum ſic ait: ὅς τις δὲ διεδέξατο τὴν βασιλείαν τῶν αὐτῷ παιδων ἀνοσιώτατος γεγονὼς ἁπάντων ἀνθρώπων, *is, qui Abgari ſucceſſor fuit, vnus ex eius filiis, ſceleratiſſimus omnium hominum exſtitit.* Ος τις τῶν αὐτῷ παίδων clariſſime demonſtrat, alios etiam Abgari filios notos fuiſſe Procopio. (*) Ex perfidia Mani huius intelligi poteſt, quantum a patriis moribus defecerit. Rem omnem Cornelius Tacitus ſic narrat. (8) Meherdates Vononis Parthorum regis filius, Phraatis nepos, obſidio datus erat Romanis. Inter Parthos Vardanes, Arſacides quidem, ſed non ortus Vonone rege, per inſidias ſublatus eſt de medio. Orta deinde contentione, pars in Gotarzen, quem Vardanes frater regno pepulerat, nonnulli in Meherdaten inclinarunt. Gotarzes tyrannidem vi occupat, Parthi vero impatientes morum eius, legatum mittunt Romam, qui regem peterent. Meherdates miſſus eſt, non parum gratulante ſibi fortunaeque populi Romani Clau-

(6) p. 177. ed. Pariſ. (7) p. 118. (*) Et Euſeb. us in Hiſt. Eccleſ. L. II. c. 12. Ελένην τῶν Οσροηνῶν βασιλίδα commemorare dicitur in titulo: ſin ipſum videas, reginam Adiabenorum dicit, quod Henricum Valeſium fugiſſe miror. (8) Annal. L. XII. 10. ſeq.

Claudio Caeſare : negotium datum C. Caſſio , qui Syriae praeerat , vt eum deduceret ad Euphratem fluuium. Caſſius ad Zeugma , Parthos illuſtres, quorum ex ſententia Meherdates rex petitus erat, in caſtra vocat, Meherdatem monet , *barbarorum impetus acres langueſcere cunctatione, aut in perfidiam mutari, itaque vrgeret coepta.* Abgarus vero Edeſſenus, qui eodem aduenerat , *iuuenem ignarum et ſummam fortunam in luxu ratum , multos per dies attinuit apud oppidum Edeſſam*, auctorque fuit ducendi per Armeniam ea anni parte , quae minime erat expeditioni opportuna : iam enim incipiebat hiems. Simul transmiſſus Tigris fluuius , et rex Adiabenorum viſus palam fouere Meherdaten et colere : clam Gotarzis conſilia iuuabat. Vbi Gotarzis exercitus appropinquauit , Itazes (id nomen Adiabeno erat) et mox Abgarus Edeſſenus, abſcedunt cum copiis, *leuitate gentili*, vt ait Tacitus, *et quia experimentis cognitum eſt , barbaros malle Roma petere reges , quam habere.* His nudatus auxiliis Meherdates, ceteris etiam ſuſpectis , caſui praelioque ſe permiſit. Victus et captus , praeciſis naribus ludibrio ſuo ſuperfuit. Inter haec nobis venit in mentem , poſſe ad defendendum Mani nomen interſeri , quod C. Cornelius incorruptam fidem non aſſidue tueatur. Habet ille neſcio quid , ex quo aſtutus magis , quam veri et aequi ſtudioſus animus deprehenditur. Sunt enim eius hiſtoriae quaſi quaedam picturae, excellentis ſane artis, ſed quae ab vitae imitatione ſtudio et induſtria nonnihil abhorrent. Vbi ille nobis Tiberium pingit, ni-

nihil illo fieri poteſt aſtutius, ſed vt verearis, ne is paullo fuerit integrior. Vbi Claudium, plena ſunt omnia ſtultitia, ſed vt metuas ne plus ingenii et leporis in Claudio fuerit. In Nerone efferata immanitas etiam quinquennii, ſed vt neque ipſe tam vecors fuiſſe, neque artes eius tantum vituperationis meruiſſe videantur. Erat iſthuc ſeculum, in quo eloquentia pulſa foro, contemtum ſuum vindicabat hiſtoriis cum flagitio prodendis. Et libertas illa erat, ſed quanta ſub ſtrictiori imperio eſſe potuit adulantis occulte maieſtati vnius, in ceterorum, qui ante eum fuerunt illuſtriori ab ſtirpe orti, vitiis proferendis. Ita, ne quid diſſimulem, nobis videtur, quoties Cornelium Tacitum legimus: non, quod putamus, quemquam alium, qui res geſtas memoriae prodidit, a praeiudicio fuiſſe vacuum (maius hoc eſt, quam vt ab homine poſtules) ſed, quod ita induxi animum, vt exiſtimem, Cornelium praeterea etiam in aliena turpitudine ingenio indulſiſſe. Dum Traiano illi ſuo optimo principi, vt vocabant, vitiorum et publicae vituperationis maculas, veluti bonus ciuis et patriae amans ab omni parte accurate pingit, ab aequo et vero deflectit ad philoſophiae quaedam praecepta. Ita Traiano nemo melior, erat enim optimus: ita incendi ad virtutem videbantur, quae poſtea erant futura principum ſtudia. Sed ea non fuit rerum prodendarum, vt geſtae ſunt, intemerata religio. Attamen non ita a veritate deſciuit Tacitus, vt res et facta confingeret. Manet igitur perfidiae reus Manus, vt fortaſſis non tam foedae, qualem

Taci-

Tacitus pinxit, ita, quanta in pium animum deuotumque sanctissimae religioni non cadit. Tacitus legatos Parthorum a Claudio Caesare in senatum esse introductos scribit, C. Pompeio, Q. Verannio Coss. A. V. C. 802. A. C. 49. Meherdates ante hyemem profectus in Syriam venit, et initio hyemis in Armeniam mouit. Quod autem Cornelius Tacitus regem Edessenum Abbarum seu Abgarum vocat, is familiaris veterum scriptorum error est, Abgaros sine discrimine Osrhoënos reges appellantium, vt Ptolemaeos Aegypti. In hoc Mano autem tanto facilius labi poterant, quod a patre *Maanu bar Abgar* citaretur. Moses Chorenensis scribit, Sanatrugum Ogae (ea Abgari Vchamae soror fuit) filium, Edessam cepisse et Ananum omnesque e domo regia masculos interfecisse. Possis etiam ex eo suspicari, hunc Manum a Sanatrugo e medio fuisse sublatum cum omni sobole domus, quod Manum fratrem successorem habuit. Quod de Edessa capta Moses Chorenensis commemorat, eiusce rei aliquid Procopius quoque indicare mihi videtur. *Sic autem ait*: ἀλλά τε πολλὰ ἐς τοὺς ἀρχομένους ἐξήμαρτε καὶ τὴν ἐκ Ρωμαίων δεδιὼς τίσιν προσεχώρισεν ἑκουσίως Πέρσαις, *cum multa alia flagitiose perpetrasset, tum vero etiam, cum Romanorum iram et vindictam metueret, sponte sua Persis se dedidit.*

XVI. ܡܥܢܘ ܒܪ ܐܒܓܪ *Maanu bar Abgar* frater Mani A. Abrahae 2067. vt habet Dio-

 ny-

nysius, regnare coepit: aut potius secundum nostram sententiam A. Abrahae 2067. mense Martio anni Dionysiani 52. Eo rege res magnas in Armenia gessit Corbulo A. C. 58. Nerone III. Valerio Messalla Coss. et aliquanto post tempore. Regnauit Abgarus annos quatuordecim. Hic mihi ille est, quem Cedrenus ob christianae religionis pietatem praedicat.

XVII. ܐܒܓܪ ܒܪ ܡܥܢܘ *Abgar bar Maanu* dicitur Dionysio successisse A. Abrahae 2081 et regnasse annos viginti. Ex nostra sententia regnare coepit A. Abrahae 2080. seu anni Christiani 65. Maio mense. Illum videtur Cedrenus prodere (10) a christiana pietate defecisse ad simulacrorum cultum. Ad hunc Abgarum refero numum illum, quem Nicolaus Haymus (1) e cimeliarchio Pembrochiano descripsit. Ab aduersa parte est facies Abgari cum titulo ΑΒΓΑΡΟ... ΒΑ... ab altera est vultus barbari inscriptus ΑΛΑΝΝΟϹ. *Certum est*, inquit Haymus, *imperantibus Caesaribus impressum esse numum, cum neque ante Claudium, neque post Gordianum Pium, vllius Abgari memoria apud scriptores exstat.* Putat deinde Abgarum aliquem Edessenum cum Alanicae gentis principe contra Parthorum potentiam societate inita, foederis atque amicitiae memo-

Tab. I. 1.

(10) p. 177. (1) Thesauri Britannici Tom. II. p. 57.



I

Æ

moriam in numo consignasse. Quod neque ante Claudium neque post Gordianum, Abgarorum exstare mentionem scribit, id quale sit, aut quomodo ei in mentem venerit, nescio. Vt autem numum ad hunc Abgarum Mani F. referrem, ex Alanorum rebus mihi persuasum est. Iosephus (2) ad annum quartum Vespasiani auctor est, Alanos, qui ad Tanaim et Maeotin colebant, quo Mediam et vicinas regiones depraedarentur, cum rege Hyrcanorum egisse, vt per portas Caspias transitum sibi concederet: eo patefacto aditu ex inopinato inuasisse Medos regemque Pacorum compulisse in loca inaccessa saltibus: inde processisse in Armeniam et Tiridaten regem praelio vicisse, in quo parum abfuerit, quin rex viuus caperetur. Iniecto enim laqueo, quo mos erat Alanis pugnare, vix se expediuisse regem, eoque dissecto, saluti suae fuga consuluisse: Alanos vero praeda onustos rediisse, qua via aduenerant. Hanc irruptionem insecuta est alia, quam Moses Chorenensis commemorat. Alani, inquit, qui Caucasum insederant, cum Georgianorum parte aliqua effusi in Armeniam, obuium habuere cum exercitu Artaxerxem regem. Perrupere tamen et ad Cyrum fluuium progressi, posuere castra, cum aduersam ripam Armeni tenerent. Interea adolescens Alanorum regis filius, forte ab exercitu deflectens, in Armenorum manum incidit. Alanus de filio solicitus, Satinicen filiam, formosissimam puellam et

(2) de Bello Iudaico L. VII. c. 27.

ingenio ſingulari, cum legatis miſit de pacis conditionibus et reddendo filio. Artaxerxes amore eius captus, pace compoſita, matrimonium cum Satinice iniit. Superfuit Artaxerxes vsque ad initia Hadriani, tunc enim anno primo et quadrageſimo, ex quo regnum adiit, deceſſit. Itaque circiter A. C. 76. Veſpaſiani octauo Armeniam obtinuit Artaxerxes. Bellum autem primis annis Artaxerxis, Domitiano tamen iam regnante, geſtum eſſe cum Alanis, e Moſe Chorenenſi intelligere nobis videmur. Cum igitur inter Armenos et Alanos pax eſſet confirmata et neceſſitudo, multae cauſſae intercedere poterant, quae Abgarum quoque Alanis deuincirent. Artaxerxes Sanatrugi erat filius, Ogae nepos. Oga ſoror erat Abgari Vchamae, ad quem auum hic Abgarus ſtirpem referebat. Itaque neceſſitudo Artaxerxis cum Alanis attingebat quoque Abgarum. Artaxerxem Parthi fouebant, quorum potentiam Romanae aemulam Oſrhoeni ſemper reſpexerunt. Idcirco et neceſſe erat, vt Artaxerxis amicitiam Abgarus ſequeretur. Alani autem tantum armorum ſuorum metum concitauerant apud vicinos Caucaſo et Tauro populos, vt Artaxerxe eos Oſrhoënis conciliante, non indigna res monumento eſſet. Saltem ad nullum Abgarum maiori veritatis ſpecie numus hic referri poteſt. Vultus Abgari in numo ſenilis eſt. Fuiſſe autem Abgarum hunc eo tempore ſenem, ex hoc poteſt cognoſci, quod circiter A. C. 83. qui Domitiani eſt tertius, numus videtur cuſus, cum Abgarus annum iam nonum et decimum re-

regnaret. Annus hic eſt ſextus et ſeptuageſimus, ex quo auus eius Abgarus Vchama regno potitus, ea vir aetate, qua non modo filium, verum etiam nepotem, hunc ipſum Abgarum, habere potuit.

Non erit alienum ab hoc loco, ſi, quibus maieſtatis inſignibus Edeſſeni reges vſi ſint, conſideremus. Pertinet enim haec contemplatio ad regni iſtius ſtatum illuſtrandum. In capite cydarin ſeu tiaram omnes reges Edeſſeni in numis gerunt. Tiara autem, vt ait Hieronymus, (3) *eſt genus pileoli, quo Perſarum Chaldaeorumque gens vtitur.* Erat enim promiſcue tiarae vſus in Perſia et Media et Meſopotamia omni atque Parthia. Quocirca Anacreon:

Κὰι Παρθαίυς τις ἄνδρας
Εγνώρισ' ἂν τιάραις.

Parthos cognoſcas ex tiaris. Perſis quoque Bactriisque et multis aliis gentibus barbaris τιάρας ϗ ἀναξυρίδας indui mos fuit, teſte Dione Pruſaeo. (4) Duo autem erant tiarae genera: alterum rectum, alterum, vt Hieronymus ad Fabiolam ſcribit, *rotundus pileolus, quaſi ſphaera ſit diuiſa, vt pars altera ponatur in capite,* quare et Sidonius Apollinaris: (5)

Flectit Achaemenius lunatum Perſa tiaram.

Hieronymus ſimilem dicit tiaram pileo Vlyſſeo. Habuit in animo aut oculis numum C. Mamilii Limetanei,

(3) In Danielem c. III. v. 31. (4) p. 628. (5) Panegyrico in Anthemium v. 51.

nei, in quo Vlyſſes cernitur, auctor gentis Mamiliae cum petaſo. Qualis iſthic eſt petaſus, quales Caſtoris et Pollucis pileoli permultis in numis ſunt, talia ad hoc tempus Perſae geſtant capitis tegumenta. Tali tiara etiam reges ſunt vſi, vt e numis Parthicis et monumentis Perſepolitanis perſpicuum eſt. Erant autem e byſſo tiarae eorum, qui ſummo honore προεδρίας dignati, amicorum regis titulo nuncupabantur, quorum erant in exercitu Darii Codomanni numero ad quindecim millia. Ergo apud Ioſephum (6) Darius Hyſtaſpis cydarin byſſinam promittit e tribus ſatellitibus illi, qui ſapientiſſimum reſponſum dediſſet. Sic iſte quoque, qui apud Valerium Flaccum (7)

viridem gemmis et eoae ſtamine ſyluae
ſubligat extrema patrium ceruice tiaram.

Color tiaris purpureus. Ouidius: (8)

Tempora purpureis tentant velare tiaris.

Erant quoque gemmis diſtincti, vt Themiſtius (9) vidit effigiem Parthorum regis in tabella pictam, gerentem capite tiaram hyacinthis et ſmaragdis inſignem. Ita nos etiam cernimus in numis Parthorum et Edeſſenorum regum et in monumentis Perſepolitanis. Diadema denique gerebant Perſarum et Parthorum reges nudo in vertice, vt in numis. Immo etiam tiaram ſtringebant apice. De Dario Codomanno Q. Curtius: (10) *cydarin Perſae regium capitis*

(6) Ant. Iudaic. L. XI. c. 4. (7) Argon. L. VI. v. 699. (8) Metamorph. L. XI. v. 181. (9) Orat. XXIV. p. 306. (10) L. III. c. 3

I

II

tis vocabant insigne : hoc coerulea fascia albo distincta circumibat. Dio Cassius , (1) Tigranem scribit et tiaram et diadema gessisse , cum ad Cn. Pompeium in castra veniret. Et Herodianus (2) Artabanum Parthum duplici diademate vsum fuisse prodidit. Dio Chrysostomus auctor est , (3) Parthorum regibus insignia regni fuisse sub auspiciis tradita , tiaram, sceptrum et diadema. Non vero solis regibus mos fuit tiaram vincire apice, verum etiam , vt Xenophon testatur, (4) regiae necessitudinis viris. Color huiusce diadematis erat pro cuiusque arbitrio. Regum diademata albo distinguebantur. Darius , vt supra cognouimus e Q. Rufo, caeruleam fasciam distinctam albo gerebat et Alexander M. purpuream distinctam albo, qualem Darius quoque gestauerat, sumsit, eodem teste. (5) Efficiam vt intelligatis ex numis, Edessenos reges et tiaram gestasse et diademate strinxisse tiarae imam extremitatem, quod a ceruice reiectis et fluitantibus fasceolis deuinctum fuit. Itaque tiaras e diuersis numis duos pingendos curaui, vt maiori in forma tanto luculentius incurrerent in oculos. In vno maxime differunt, quod alter tiaras perpetuo, et vt videtur, aureo acantho circumstringitur , alter vero vnionibus. Eadem plane in Parthicis. Quaeritur autem adhuc, qui tiarae sint recti , quos, Xenophonte teste , (6) Cyrus accepit a Medis et ad successores transmisit, summae maiestatis insignia , ita vt nemini liceret gerere, nisi regibus

Tab. I. 2. Tab. II 1.

(1) p. 29. (2) L. VI. c. 6. (3) p. 234. (4) Cyrop. L. VIII. c. 3. (5) L. VI. c. 6. (6) Cyrop. L. VIII. c. 3.

gibus. Solos reges geſſiſſe adfirmant nobis Ariſtophanes et eius Scholiaſta de Perſis, Ioſephus autem (7) et Dio Pruſaeus (8) de Parthis. Quos igitur dicemus rectos niſi eos, qui non lunatum in orbem circum tempora flecterentur, ſed rigidiores eſſent apices et altiores? Inſignis eſt eiusmodi tiara Tigranis regis apud Ezechielem Spanhemium. (9) Non magnam diſſimilitudinem cum eo habent tiarae Parthici in peruulgatis numis M. Antonii et Caeſaris Auguſti. In eo Spanhemius dubitat (10) atque a Romanis tiarae recti Parthorum formam ignoratam cenſet fuiſſe. Qui autem ignorare potuerunt, cum M. Antonius Artauaſden Armenorum regem eiusque inſignia Alexandriae duxit in triumpho? At ille, inquit, ſi de Armenico tiara concedendum, Parthicus ignorabatur. Nempe nihilo potuit eſſe diuerſus, cum Armeni reges Parthorum maieſtati et luxui nihil concederent, vsque ad regis regum titulum. Et quae eſt iſta fides numorum, ſi ne tiaras quidem regum inſignia ſine magno errore et vanitate oſtendunt? Hi igitur tiarae recti ſunt, qui inter arcana regni et regiae maieſtatis ſeruabantur. Neque vero idcirco adſeuerarim, eandem ſemper formam tiarae recti fuiſſe. Nam et CPlitani rectos tiaras et vulgo τιάρας dixerunt, qui nihil eius formae habebant, qualis in numis iſtis eſt, tantummodo altiores erant ceteris tiaris, vt apparet, ſi Zonaram, (1) conferamus cum

7) L. XX. c. 2. (8) p. 234. (9) De vſu numiſmatum T. I. p. 464. (10) ib. p. 452. (1) Zonaras T. II. p. 227.

cum numis Byzantiis et imaginibus Imperatorum quae paſſim exſtant. Neque auſi ſunt Edeſſeni reges iis vti, potentia et maieſtate inferiores Parthis. Quanta enim reuerentia apud Meſopotamiae et Syriae minores reges erga Parthicos reges regum fuerit, ab vno inſigni exemplo potes intelligere, quod proditum eſt a Ioſepho. (2) Nam cum Artabanus regno eſſet exutus a Parthis, confugit ad Izatem Adiabenorum regulum ſupplex. Obuius forte in via Izati ad pedes ſe abiecit obſecrans, auxilium vt ſibi ferret in priuati fortunam a regia poteſtate deiecto. Izates non modo eum bono animo eſſe iuſſit, ſed etiam in equum impoſuit atque vt minor maiorem pedibus proſequi inſtituit: nec niſi multum obteſtante Artabano, equum conſcendit. Artabanus in regnum ab eo reſtitutus, beneficii loco conceſſit, vt Adiabenus rex tiara recto vteretur et in aureo lecto accubaret. Non enim auſus fuerat illo recti tiarae inſigni vti, non conceſſo.

Inter ornamenta tiarae Edeſſeni luna et tres ſtellae ſunt. Ioannis Valentis amicus cum in Edeſſeno numo quatuor ſtellas cerneret, negotium expediuiſſe ſibi viſus eſt. *Stellae*, inquit, *in area, vtrum ad Elagabali ſacerdotium, an ad Edeſſenos ſpectent, videant eruditi: cum autem Strabo, Plinius et alii, Phoenices ab aſtronomiae peritia commendent, aliquam fortaſſe conſtellationem ab iis obſeruatam fuiſſe ſuſpicatur amicus.* Acutum quoque eſt, quod Ezechiel Spanhemius adfert

2. XX, 2.

ſert de ſideribus, quae in Parthicis numis viſuntur. Arſacen, vt Ammianus Marcellinus teſtatur, conſecratum fuiſſe: ex eo tempore Arſacidas ſe fratres ſolis et lunae vocitaſſe: Saporem ita ſe in litteris ad Conſtantium appellare. Haec vt quisque accipiat, nullo in diſcrimine pono. In tiaris autem Edeſſenis puto aſtra haec nihil aliud ſignificare, quam deuotos ſideribus cultuique eorum reges Edeſſenos. Aſtrum quod ſupra lunam eſt poſitum, ſolem indicat. Id enim pateſacere poſſum ex hoc inſigni numo, cuius in medio Iupiter ſedet dextera nitens aquilae capite, haſtam ſiniſtra puram tenens: infra
Tab. II. 2. ſunt Nereides, in circulo duodecim ſigna, quae ſol, ſtellae imagine, et luna obeunt. Hunc numum Paulus Pedruſius (3) et e Choulio Bernardus Monteſalco (4) exhibent. Iſthuc autem, vt ſol, aſtri figura, ſuper lunula ponatur, ſaepe cernimus in numis Carrharum ſub Caracalla et Elagabalo, in Abraxis Chiſletianis et paſſim in monumentis Monteſalconis. Apud Bonannum figura eſt fortunae, quae clauum nauis dextera, ſiniſtra cornua copiae duo gerit: in capite eadem lunula, quae in his numis eſt, atque ſupra eam clariſſima ſolis radiantis pictura. (5) Summa autem erat apud Edeſſenos religio ſolis, vt in omni Syria et Chaldaea vſque ad Homeritas, quos Philoſtorgius (6) teſtatur, ſoli et lunae ſacra feciſſe. Iulianus imperator (7) ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίου χωρίον Edeſſam vocat, *dicatam ſoli, inde vsque ab vltima memo-*

(3) Tom. V. Tab. XXI. (4) Tom. I. parte I. charta X. (5) Monteſalco T. I. p. II. Tab. 196. (6) Apud Photium Cod. XL. (7) p. 150.

moria. Solem Chaldaei *Baalem* ſeu *dominum* dixerunt. Cultum eo nomine etiam Edeſſae fuiſſe, Iacobus Sarugienſis libro de idolorum lapſu teſtatur. Daemon malus, inquit, سم باورهي لنبو ولبيل *Edeſſae poſuit Nabo et Belum.* (8) Vt *Belus* ſol eſt, ita *Nabo* eſt luna. Syriam deam Atargatin cultam Edeſſae fuiſſe Strabo (9) teſtatur. Sed is geographi error manifeſtus eſt. Nam Hierapolin Syriae cum Edeſſa eum confudiſſe ſupra oſtendi. Hierapoli ſane praecipue cultam deam fuiſſe, ex principio Deae Syriae apud Lucianum conſtat, qui Aſtarten lunam interpretatur. Non eſt igitur mirandum, cum Bardeſanes ille Edeſſenus, vt Gregorius Abulpharagius habet, (10) ſolem patrem et lunam matrem vitae appellauit. Duo alia aſtra occurrunt in numis Edeſſenis, vt infra locis ſuis animaduertes. Sunt autem Mercurius et Mars. Nam Iulianus teſtatur (1) Edeſſenos ſoli poſuiſſe συνέδρους Μόνιμον καὶ Αζιζον, quos Iamblichus Mercurium et Martem interpretatur. Μόνιμος, vt ſupra iudicaui, eſt corruptum ex معنو *Maanu*, quod nomen euaſit Syrorum hominum, vt in regibus Edeſſenis occurrit. *Azizus* vero Mars eſt. Nam عزيزا *Azizo*, *fortem et robuſtum* dicunt. Ex eo etiam euaſit nomen. Hortini in Faliſcis repertus eſt titulus: CVRANTE. TVRIO. SEPTIMIO. AZIZO. V. P. CVR. R. P. Azizus Emeſenorum rex Agrippae ſororem Druſillam duxit. (2) Et Ignatius co-

(8) apud Aſſemannum T. I. p. 327. (9) p. 125. (10) p. 125. (1) p. 190. (2) Ioſephus de B. I. L. II. c. 7.

cognomine Azizus Bar ſabta Iacobitarum patriarcha apud Aſſemanum. Ceterum hoc templum celeberrimum ſolis plenum fuit ſimulacris eximii operis, quod Gratianus Valentinianus et Theodoſius A. A. A. commemorant in lege lata ad Palladium ducem Osdrhoenae (3) A. C. 382. *Aedem olim frequentiae dedicatam* (placet Iacobi Gothofredi emendatio: *deum dicatam*) *coetui iam et populo quoque communem, in qua ſimulacra ſeruntur poſita artis pretio, quam diuinitate metienda*, (ſimulacra, inquit, diuinitatis vt fictae, ita celebratae, at pretii ab arte multo maioris, quam omnis iſta diuinitas eſt,) *iugiter patere publici conſilii auctoritate decernimus: neque huic rei obreptitium officere ſinimus oraculum* (Impp. reſcriptum) *vt conuentu vrbis et frequenti coetu videatur. Experientia tua, omni votorum celebritate ſeruata, auctoritate noſtri ita patere templum permittat oraculi*, (noſtri auctoritate reſcripti) *ne illic prohibitorum vſus ſacrificiorum huius occaſione aditus permiſſus eſſe credatur. Datum prid. Kal. Decembr. Conſtantinopoli Antonio et Syagrio Coss.* In Oſdroena templum nullum tantae celebritatis et iſta ſimulacrorum tum arte tum copia, quam ad Edeſſam, vbi Belus ſiue ſol colebatur cum ſinedris ſuis Monimo et Azizo. Haec ſacra cum mature deſererentur, templum tamen manſit ad coetus ciuiles: et ob feſtiuitates populares eo intempeſto hominum frequentia. Videtur Gothofredo Eulogius epiſcopus, qui tum Edeſſae fuit, ſuaſiſſe, vt

(3) Codice Theodoſiano L. XVI. Tit. X. L. 8.

vt clauderetur, eoue impetrasse Imperatorum rescriptum aliquod sine publici concilii auctoritate. Contra Palladius tetendisse videtur et a concilio, in quo tum cum Theodosio M. multi erant profanae superstitionis nobiles viri, facile expressisse, vt frequentia templo, aris et simulacris ab arte admiratio maneret. Theodosius concessit, quod absurdum non erat: cultum deorum illo in templo interdixit. Tamen cum, vt puto, prohiberi superstitio ab huiustempli simulacris et repelli non posset, ab eodem Theodosio Imp. dirutum et disiectum est templum, si, vt Gothofredus censet, Libanium audiamus. Is ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, sine nomine vrbis, rem ita deplorat:

Τί γὰρ δεῖ διαφθείρειν, οὗ τὴν χρείαν ἔνι μεταποιῆσαι; πῶς δ' οὐκ αἰσχρὸν, στρατοπέδον πολεμεῖν λίθοις οἰκείοις, καὶ στρατηγὸν ἐφεστηκότα παρακαλεῖν κατὰ τῶν πάλαι σπουδῇ πολλῇ πρὸς ὕψος ἀναβάντων, ὧν τὸ πέρας ἑορτὴν τοῖς τότε βασιλεῦσιν ἔθηκε; καὶ μηδεὶς οἰέσθω σὴν ταύτ' εἶναι κατηγορίαν, ὦ βασιλεῦ. κεῖται μὲν γὰρ πρὸς τοῖς ὁρέοις Περσῶν νεὼς, ᾧ παραπλήσιον οὐδέν, ὥς ἐστιν ἁπάντων τῶν τεθεαμένων ἀ-

Quid enim opus est disperdere cuius vsum licet vt transmutes? quomodo enim non turpe sit, si exercitus oppugnet proprios lapides et dux praesit hortetur que contra ea, quae dudum magno labore educta fuere in altum, quaeue cum essent perfecta, ab iis regibus, qui condiderant, festa sollemnitate dedicata sunt. Ne quis existimet, nos nunc te accusare Imperator. Situm est enim in finibus Persiae templum, cui nullum comparandum, vt

κύειν. οὕτω μέγιστος ἐγέγονε, τοῖς λίθοις τοσοῦτον ἐπέχων τῆς γῆς, ὁπόσον καὶ ἡ πόλις. ἥρκει γοῦν ἐν τοῖς ἐκ τῶν πολέμων φόβοις, τοῖς οἰκοῦσι τὴν πόλιν οὐκ ἔχουσι κἀκεῖνον προσεξελεῖν, τῆς ἰσχύος τοῦ περιβόλου πᾶν ἐλεγχούσης μηχάνημα. ἦν δὲ δὴ καὶ ἐπὶ τέλος ἀναβᾶσι πλεῖστον ὅσον τῆς πολεμίας ὁρᾷν οὐ μικρὸν πολεμουμένοις πλεονέκτημα ἀνθρώποις. ἤκουσας δὲ καὶ ἐριζόντων τινῶν ἐν ὁποτέρῳ τὸ θαῦμα μεῖζον ἱερῷ, τῷ μηκέτ' ὄντι τούτῳ, ἢ ὃ μήποτε πάθοι τοῦτο, ὅπερ ὁ Σαράπις. ἀλλὰ τοῦτο μὲν τὸ τοιοῦτο καὶ τοσοῦτον ἱερὸν, ἵν' ὑπερβῶ, τὰ τῆς ὀροφῆς ἀπόῤῥητα, καὶ ὅσα ἀγάλματα σιδήρου πεποιημένα κέκρυπτο τῷ σκότῳ διαφεύγοντα τὸν ἥλιον, οἴχεται καὶ ἀπόλωλε. θρῆνος μὲν τοῖς ἰδοῦσιν, ἡδωνὴ δὲ τοῖς οὐχ ἑωρακόσι. οὐ γὰρ ἴσον μὲν τοῖς τοιούτοις ὀφ-

ab omnibus qui viderunt, intelligi et cognosci potest: ita fuit maximum, ita lapidibus a solo in altum eductum, vt ipsa vrbs. Sufficiebat igitur in tumultibus, cum ciues vrbem capi non posse sentirent prius quam ab hostibus et ipsum occuparetur templum, vi munimentorum eius omnia oppugnantium molimina repellente. Denique si in summum tectum adscenderes, inde tota hostium castra conspici poterant, quod obsessis haud exiguum emolumentum erat. Erant etiam qui inter sese disputarent, quo in templo maior esset maiestas: in hoc quod nunc non est, aut in illo Serapidis, cui numquam tantam calamitatem contingere velim. Hoc vero tale tantumque templum, ne quid de incredibili eius culmine dicam aut de tot simulacris ex ferro dedicatis eadem in aede, quae nunc sub te-

θαλμοί τε ἢ ὦτα. μᾶλλον δὲ τοῖς οὐκ ἰδοῦσιν, ἢ λύπη ἢ ἡδονή. τὸ μὲν ἐκ τοῦ πτώματος, τὸ δ' ὅτι περ οὐ τεθέανται. ἀλλ' ὅμως οὐ τις ἀκριβῶς σκοπήσειεν, εἰ σὸν τοῦτο, τοῦ δε ἠτατημότος ἀνθρώπου, μιαροῦ ἢ θεοῖς ἐχθροῦ ἢ δειλοῦ ἢ φιλοχρημάτου, ἢ τῇ τικτόμενον αὐτὸν δεξαμένῃ γῇ δυσμενεστάτου, ἀλογίας μὲν ἀπολελαυκότος, κακῶς δὲ χρωμένου τῇ τύχῃ, δουλεύοντος τῇ γυναικὶ, πάντα ἐκείνῃ χαριζομένου, πάντα ἐκείνην ἡγουμένου, τῇ δ' ἀνάγκῃ πάνθ' ὑπηρετοῦντος τοῖς ταῦτα ἐπιτάττουσιν, ὧν τῆς ἀρετῆς ἀπόδειξις τὸ ζῆν ἐν ἱματίοις πενθοῦντων.

tenebris iacent luce carentia, periit, occidit. Luctus nunc eſt cernentibus, voluptas iis, qui numquam viderunt: neque enim ſortaſſe his vel oculi ſunt vel aures. Immo potius, his, qui non viderunt et luctus eſt et voluptas: luctus ex caſu templi, voluptas quod numquam viderunt. At ſi quis recte conſideret, non tuum hoc crimen eſt, ſed hominis neſarii et diis inimici, et ignaui et auari, et terrae, quae ipſum in lucem editum excepit, infeſti, qui, ſtultitia plenus fortuna ſua male abutitur, vxori autem ſeruit, huic omnia gratificatur, hanc omnibus anteponit et qui neceſſitate coactus omnia facit ex voluntate eorum, qui virtutem oſtentant ea in re, quod lugubribus veſtibus amiciuntur.

Erit deinde etiam de hoc templo dicendi locus. Is cultus deorum cum eſſet apud Edeſſenos, deorum aſtra

aſtra in tiaris acu picta fuerunt. At qui ex Abgaris chriſtiani fuere, eorum loco talem, qualem hic e numo damus, tiaram cum inſigni crucis geſtarunt. Tab. III. 1. Hieronymus in epiſtola ad Laetam: *regum purpuras et ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutaris pictura condecorat.* Quem conſtat primum Chriſto nomen dediſſe, Abgarus Vchamo, quantum in eo fuit, chriſtianam religionem confirmauit: ſed ab eius fide poſteri cupide deſciuerunt. Et quamquam chriſtianae eccleſiae ea in vrbe exſtiterunt, tamen profanae mentis adhuc plerique ciues fuere Ephraemi aetate, vt ex illius actis Syriacis conſtat. (4) Circum tiaram vides aureum nimbum, aut ex vnionibus contextum non modo magnificentiae cauſſa, ſed, vt opinor, ex primo inſtituto, ad exprimendam radiis diuinitatem et maieſtatem regum. Parthorum exemplo Imperatores Romani primum diadema et poſtea Byzantii etiam radiatum tiaram acceperunt, vt ex numis iterum apparet.

Dicam paucis de reliquo Edeſſenorum regum cultu. Veroſimile eſt, Parthorum in morem geſtaſſe ἀναξυρίδας et tunicam et chlamidem, quae Perſis dicta fuit candys. Xenophon in Cyro (5) memoriae proditum reliquit, tunicam fuiſſe purpuream et ſemialbam, candyn autem ὁλοπόρφυρον, anaxyridas ſeu femoralia βυσσινοβαφῆς. Tunicam purpuream μεσόλευκον, vt is ipſe obſeruauit, nemini conceſſum fuit

(4) Apud Aſſemanum T. I. n. 22. (5) L. VIII. c. III. 7.


IMP C M AVR ANTONINVS AVG
P M TR P XVIII
IMP VII COS III P P
P M TR P XVIII
IMP VII COS III P P

fuit geſtare, niſi regi. Ita Iulius Pollux (6) candya ὁλοπόρφυρον ſolis regibus vindicatam refert: purpuream vero candya geſtare licuiſſe, quibus iſtum honorem rex deferret. Idcirco Lucianus (7) hiſtoricum more ſuo ſic inſtituit, vt nullo praemiorum reſpectu commoueatur: *non*, inquit, *Artaxerxem metuat, vel ſperet candyn purpuream, vel torquem aureum.* Conſtantinus Manaſſes: (8)

Τὸν Πέρσην ἐκ τῆς κάνδυος καὶ τῆς ζωστῆς γνωρίσω,
καὶ κόραξ τὸν βαρβαρικὸν ἐκ τῆς μελαντηρίας.

Talem in modum candys purpurea videtur fuiſſe Edeſſenorum regum. Interiorem quoque tunicam eorum in numis cernimus. In vno numo candys ad talum eſt demiſſa: in altero tantum ad genua vsque eſt tunica ſine candy, ita vt anaxyrides ſeu femoralia appareant, non illae adeo largae circa crura, vt Arrianus (9) Perſarum et Armenorum anaxyridas deſcripſit, ſed ſtrictiores ad genua, vt in numo elegantiſſimo muſei Imperatorii, in cuius aduerſa eſt caput Romae cum titulo TVRPILIANVS. IIIVIR. MO. T. 2. in auerſa miles Parthus, qui in genua procumbens ſigna reddit: CAESAR. AVGVSTVS. inferiori regione SIGNA. RECEPT. Similis figura in numo aureo Parmenſis gazae, quem nobis oſtendit Paulus Pedruſius (10) inſcriptum conſulatu quinto Domitiani Caeſaris Auguſti. In his inquam numis ſub genu ſtrictiores ſunt anaxyrides, et quidem quales Herodotus

T

(6) L. VII. c. 13. (7) Quomodo conſcribenda hiſtoria p. 630. (8) p. 87. (9) in Tacticis c. 49. (10) Tom I. Tab. 9.

dotus (1) teſtatur Perſarum militum anaxyridas omnemque veſtitum fuiſſe, e corio. Genus veſtis autem, quam miles gerit, χαρδωτὸν vocat Pollux, κατὰ τὰς ὤμους ἐναπτόμενον. Praeter hunc corporis ornatum, ſceptrum quoque Edeſſenorum regum in numis reperimus, vt Cotyos et Sauromatae regum in numis apud Spanhemium. Sceptrum ſatis magnum fuiſſe, tum e numis apparet, tum ex comparatione Parthici ſceptri, de quo Statius in Thebaide (2) iuuenem Parthum canens, qui patris in loco ſuccedit,

viſusque ſibi nec ſceptra capaci
Suſtentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Sed redeamus ad iſtum Haymi numum, a quo digreſſi ſumus, opportuna occaſione inſignia regum Edeſſenorum explicandi. Alannus capite gerit eiusmodi aliquid, quod Iornandes in Geticis (3) obſcurius deſcribit: *Perſae brachia et crura lineamentis, caput tiara tegunt: eminent capitibus faſtigiatis Alani.* Dionem quoque adfert auctorem, (4) *qui dixit inter Getas* (quorum ſub nomine Alanos comprehendit) *primum Zarabos tereos, deinde vocitatos Pileatos, hos, qui inter eos generoſi exſtabant: ex quibus iis et reges et ſacerdotes ordinabantur.* In Dacis eadem ratio fuit. Petrus Patricius (5) in legationibus: ὅτι Δεκέβαλος πρὸς Τραϊανὸν πρέσβεις ἔπεμψε Πιλοφό-

(1) L. c. 71. (2) L. VIII. 292. (3) Murat. (5) p. 24. ed. Pariſ. (4) c. V. p. 194. ed.

Φόρυς. ὅτοι γάρ εἰσι παῤ αὐτοῖς οἱ τιμιώτεροι. πρότερον γὰρ Κόμητας ἔπεμπεν εὐτελεστέρυς δοκοῦντας παῤ αὐτοῖς εἶναι. *Decebalus ad Traianum legatos miſit Pileatos : hi apud eos* (Dacos puta) *ſunt honoratiores : prius enim Comites miſerat , qui apud eos inferioris ſunt gradus.* Cantoclarus improuide : *hi enim apud Parthos ſunt honoratiores.* Denique obſerua ΑΛΑΝΝΟC dici in numo , quod nos commonefacit apud veteres ſcriptores Αλάυνυς *Alaunos* fortaſſis corrupte ſcribi pro Αλάννυς *Alannos.*

XVIII. אבגר בר אחזי *Abgar bar Ajazeth*

De eo Dionyſius : *anno* 2101 *regnauit Edeſſae Abgarus bar Ajazeth annos ſex , menſes nouem.* Ex noſtris rationibus regnare incepit vtique A. Abrahae 2101. anno autem Chriſti 86. a Martio. Igitur vel ex hoc loco apparet , nos rectam viam in aetatibus regum inceſſiſſe , quoniam tandem Dionyſius a longo errore in eundem annum nobiſcum conuenit. Senem illum peruenisſe ad regnum ex eo colligo , quod in Edeſſeno chronico (6) relatum eſt , Abgarum anno Edeſſeno quadringenteſimo ſibi condidiſſe לאבגרא ממותה *monumentummortis ſuae* ſeu mauſoleum. Is annus incidit in annum quartum, antequam deceſſit. Itaque non rerum pertaeſus maturam mortis cogitationem ſuſcepit, ſed aetatis conditione admonitus probabilem.

Abgaro

(6) *p.* 389.

Abgaro rege defuncto, ob diuerſas procerum factiones interregnum fuit duos annos, teſte Dionyſio. Incepit igitur interregnum a Decembri A. C. 92.

XIX ܦܪܢܛܣܦܣ *Parnataſpates.*

Dionyſius tradit Abgarum eſſe mortuum anno Abrahae 2106. manifeſto errore calculi, quod menſium nouem rationem non haberet. Ex noſtra ſententia Parnataſpates regnare coepit anno Abrahae 2110. menſe Decembri anni Chriſtiani 94. Regnauit annos tres menſes decem.

XX. ܦܪܢܛܣܦܣ *Parnataſpates.*

De eo ſic Dionyſius *anno* 2113. *regnare coepit Parnataſpates menſes decem.* Ex noſtra opinione anno Abrahae 2114. anno Chriſti 98. menſe Octobri. Aſſemanus autumat, eum poſtea regem datum fuiſſe Parthis a Traiano. Et Xiphilinus quidem Parthamaſpatem datum ſcribit: (7) attamen in nominis conuenientia argumentum rei totum ponere non auſim.

XXI. ܡܢܘ ܒܪ ܐܓܙ *Maanu bar Ajazeth*

Dionyſius: *Poſt Parnataſpaten* Maanus bar Ajazeth

(7) p. 254.

I

II

III

IV

V

VI

VII

VIII

IX

zeth *regnauit annos* 16. *menſes octo.* Ex noſtra ſententia A. Abrahae 2114 ſiue Anno Chr. 99. menſe Auguſto regnare coepit. Ad hunc regem pertinet numus, quem ad Parthicos retulit Ezechiel Spanhemius. (8) In aduerſa eſt vultus, vt cernitis, ea omnium lineamentorum figura, quae in omnibus Edeſſenis regibus ſpectatur: in auerſa ſedet Edeſſae vrbis genius, qui ſiſtrum tenet, de qua re dicam infra. Ad προτομὴν regis nomen aut adſcriptum fuit nullum, aut obliteratum eſt. In altera area exſtant litterae ΥΚΓ qui eſt annus 423. Edeſſenus A. C. 111. Vt ad hunc Manum potius referam numum, quam ad Parthos et vultus plane Edeſſenus me mouet et vrbis genius, quamquam non ſatis accurate expreſſus videtur, et tota monetae quaſi natura Edeſſena a Parthicis formis abhorrens. Dio Caſſius hunc Manum vocauit Αὔγαρον ſiue Ἄγβαρον, diuerſum enim habent Vrſini atque Valeſii exemplaria, et quaedam quoque adiecit de Mano finitimae Arabiae phylarcha, vt poſſis ſuſpicari, Theodoſium Exiguum in excerptis aliquid iſto in nomine turbaſſe, aut quod magis fide eſt dignum, Dionem in nomine Augari et Mani offendiſſe. Iſtius temporibus regis Traianus Imperator ad bellum Parthicum profectus eſt in ſexto conſulatu A. C. 112. A. V. C. 865. Antiochiae hyeme ea fuit, qua Vipſanius Meſſalla, M. Pedo Virgilianus ordinarii conſules primi nundini ad Kalendas Martias magiſtratum geſſerunt, A. V. C.

T. IV. I.

(8) T. I. p. 449. et apud Bern. Montefalconem T. III. parte I. Tab. XLIV.

115. vt Henricus Noriſius in epiſtola conſulari accuratiſſime conſtituit. Itaque cum Traianus in propinquo eſſet, rex Oſrhoenus frequenter et legatos de pace et munera miſit, ipſe non venit, multa obtendens, quae ſe retinerent, reuera Parthi opes adhuc reſpiciens. (9) Hoc eſt, quod Suidas habet: Αὔγαρος βασιλεὺς, ὅσις ἐπὶ Τραϊανοῦ τοῦ βασιλέως ἦν καὶ δῶρα αὐτῷ προσῆξεν ἐκεῖσε ἀφιγμένῳ. Theodoſius in excerptis Dionis, (10) Manum ſcribit ad Traianum, cum in Meſopotamiam veniſſet, legatos miſiſſe de pace: at Traianum eum habuiſſe ſuſpectum, quod Adiabenorum regi auxilia tuliſſet, quae a Romanis intercepta et profligata fuerant. Itaque cum illum ad ſe venire iuſſiſſet, non multum moratus Traianus contra Adiabenos eſt profectus. At Oſrhoenus Arbandum filium ad Traianum miſit, adoleſcentem egregia forma, qui ſibi patrique Imperatorem conciliauit. Sic excerpta Valeſiana: (1) ὅτι ὁ παῖς ὁ τοῦ Αγβάρου τοῦ τῆς Αιδέσσης ἄρχοντος Αρβανδος καλὸς καὶ ὡραῖος ὢν, τῷ Τραϊανῷ ὡκείωτο. καὶ ἀπαντήσας τῷ Τραϊανῷ ὁ Σποράκης τὴν Αἴδεσσαν διερχομένῳ συγγνώμης ἔτυχεν. ὁ γὰρ παῖς λαμπρόν οἱ ἱκέτευμα ἦν. Quid hic Αρβανδος, vt Σποράκης; niſi ſi forte iſthuc ex ܒܪ ܡܥܢܘ Βαρμανος, hoc ex ܐܙܛ Αιαζάτης corruptum fuerit? Compoſitis Armeniae rebus Traianus Edeſſam (Αἴδεσσαν habent excerpta Valeſiana, ſed Εδεσσαν excerpta Theodoſii Exigui) venit. Hic vero Oſrhoenus rex et ab Arbando filio ad

(9) Theodoſii Excerp. p. 78. (10) p. 781. (1) Excerpta Valeſiana p. 710.

admonitus, et praesentissimo perculsus metu, obuiam processit Imperatori Romano filioque deprecante in amicitiam est receptus. Traianus vrbem ingressus lauto conuiuio accipitur, in quo Abgarus ille, siue magis Manus hic noster, filium saltantem produxit. Sic Theodosii Exigui excerpta Dionis. Suidas eodem respexit: *Εδεσσα πόλις Συρίας, ἃς ἦν ἀφικομένῳ Τραιανῷ ὑπαντιάζει πρὸ τῆς πόλεως Αὔγαρος, ἵππους τε δῶρα ἄγων ν' καὶ σ' καὶ βέλη ἑξακισμύρια. ὁ δὲ Τραιανὸς τρεῖς λαβὼν θώρακας, τἄλλα ξύμπαντα αὐτὸν ἔχειν ἐκέλευσεν. Edessa vrbs Syriae, in quam peruenienti Traiano ante vrbem obuiam processit Abgarus et munus obtulit equos ducentos et quinquaginta, arma vero ad sex millia: Traianus tantummodo tres thoraces ex illis accepit, cetera eum sibi habere iussit.* Eutropius: *Iberorum regem, Sauromatarum, Arabum et Osdroenorum in fidem accepit*, aut vt Paeanius eum conuertit Graece: Ἀραβίων καὶ Οσδροηνῶν τὰς βασιλεύοντας ὑποστρώνδυς ἐποιήσατο. Historia Miscella (2). *Hiberorum regem et Sauromatarum et Bosporanorum, Arabum et Hosdroenorum et Colchorum in fidem accepit.* Hoc, vt solet, ex Eutropio. Post paullo: *Antemusium, Seleuciam, et Ctesiphontem, Babylonem et Edessam vicit ac tenuit.* Codex Ambrosianus pro, *Edessa* posuit, *Messenios vicit ac tenuit.* Eutropius item: *Edessios vicit ac tenuit: vsque ad Indiae fines et mare rubum accessit.* Sed Paeanius: Σελεύκειαν τε καὶ Κτησιφῶντα καὶ Βαβυλῶνα προσεκτήσατο.

(2) p. 60. ed. Muratorii.

το. Μεσσηνίους τε μάχῃ νικήσας κτῆμά τε ἓν τούτους αὐτῷ ποιησάμενος, ἄχρις αὐτῶν ἐχώρησεν Ινδῶν ἓν τῆς Ευφράτης καλουμένης θαλάσσης. Hic ipſe ordo victarum vrbium nos ab Edeſſa abducit. Nam Manus rex Traiano auctor fuit, Anthemuſiam ducendi, quae vrbs infra Edeſſam haud ita longe ab Euphrate ſita fuit. Sic Suidas: πόλις ἐστι Μακεδονικὴ ἓν Ανθεμουσια γῆ. ὁ δὲ Τραϊανὸς ἐξελαύνει ὡς ἐπὶ Ανθεμουσιαν γῆν. ἐπὶ ταύτην γὰρ ἓν Αὔγαρος ὑφηγεῖτο ἱέναι. *Vrbs eſt Macedonica Anthemuſia et eodem nomine Anthemuſia regio, in quam Traianus impreſſionem fecit, auctore et duce Augaro.* Inde ab Anthemuſia Traianus Seleuciam, Cteſiphontem, Babylonem cepit, denique et Meſſenios vicit. Meſſene inſula erat in Tigri fluuio ſita, in qua Athambilus rex fuit, quem a Traiano captum ſcribit Xiphilinus. (3) Vetus hic tamen error eſt, qui Eutropii codices inuaſit: nam eius fide Sex. Rufus: *Oſdroenorum loca et Arabum occupauit.* Ceterum ad hunc Manum regem trahendum puto Procopii locum, in quo ſic ait: (4) χρόνῳ δὲ πολλῷ ὕστερον Εδεσηνοὶ ἀνελόντες τῶν βαρβάρων τὸς σφισιν ἐνδημοῦντας φρουρούς, ἐνέδοσαν Ρωμαίοις τὴν πόλιν, *tempore autem multo poſt, Edeſſeni praeſidio Parthorum ſublato, vrbem Romanis tradiderunt*

XXII. ܡܢܝ ܒܪ ܡܢܝ *Maanu bar*

De

(3) p. 253. (4) p. 118.

De eo Dionyſius: *anno Abrahae* 2130. *Maanus bar Maanu regnauit annos* 23. *et transfugit ad Romanos.* Ex noſtra ſententia regnare coepit A Abrahae 2131. A. C. 116. menſe Aprili. Manum hunc forte in caſtris apud Traianum, cum pater moreretur, fuiſſe puto et ab Imperatore in fidem eſſe receptum iureiurando dato, poſt vbi ab Romanis deficere *multas gentes* cerneret, cum copiis ſuis clam Traiano diſceſſiſſe Edeſſam, eam autem perfidiam Traianum vltum fuiſſe, ſublato regno et Oſrhoëne *in* prouinciae formam redacta. Vide quemadmodum haec inuenerim: Suidas: ὁ δὲ περὶ Μάνον ἀπεχώρησε δεξιάς τε παραβὰς, ἃς βασιλεὺς ἔδωκε ᾗ ὅρκους πατήσας, ὃς ὤμοσε. *Manus autem receſſit, fidem dextera imperatoria firmatam fallens et iuſiurandum.* Hoc excerptum e veteri ſcriptore ad nullum aliumquam hunc ipſum Manum recte accommodari poteſt. Id ego acciditſſe puto in communi ceterarum gentium defectione, eo tempore, cum Traianus in mari Erythraeo nauigaret. Fama rei excitus ad vindictam, Luſium Quietum cum copiis miſit, qui Cteſiphontem recepit et Edeſſam ἐξεπολιόρκησε ᾗ διέφθειρε ᾗ ἐνέπρησε, *occupatam a fundamentis diſiecit et incendit.* Sic habent Dionis excerpta. Traianus vere ineunte A. C. 116. Cteſiphontem intrauit. Eadem aeſtate defectionem perſecutus eſt Luſius. Rebus compoſitis Traianus eundem aduerſus Indaeos in Cypro, Cyrenaica et Aegypto rebellantes miſit, quos ille in ordinem redegit ſuperſtite Traiano: nam Hadrianus ſub auſpiciis imperii Luſium de medio ſuſtulit. Teſtes Dio et Spar-

tianus. Res igitur in Aegypto et Cypro geſſit Luſius A. C. 117. quo anno, decima die Auguſti Traianus deceſſit, et anno ante Edeſſa grauem ſenſit iracundiam victoris. Videtur autem Luſius is eſſe, quem Menologium Baſilii Porphyrogennetae vocauit Λυσίαν ἡγεμόνα, ſub quo Barſimaeus Epiſcopus Edeſſae et Sarbelus, eiusque ſoror Babaea paſſi ſunt martyrium. (5) Non igitur eſt ſpernendus Gregorius Malatienſis, cum ſic ait: (6) القضاة من قبل الروم *iudices ab Roma* miſſos Roham, regno ſublato. Et videtur Traianus eum in modum res Meſopotamiae in prouinciam redactae ordinaſſe, vt apud Claudium Ptolemaeum explicatae ſunt. Iuxta Armeniam Anthemuſia erat prouincia, ſub ea Chalcitis, ſub hac Gauſanitis et verſus Tigrim fluuium Acabene, ſub Gauſanitide Tingene et in magno Euphratis tractu Ancobarites prouincia. Oſrhoënen nullam habet Ptolemaeus, quod a Traiano in imperatoriis diphtheris videret in Anthemuſia cenſeri Εδεσσαν, quae in MS. Anglicano vno, quo vſus eſt Hudſonius, vt altera quoque Macedoniae, Αἴδεσσα. Nullam item Osrhoënen Agathemerus, qui poſt Seueri tempora ſecundum Henr. Doduellum fuit. Quod autem Gregorius Malatienſis ſcribit Edeſſenum regnum ſublatum eſſe quarto Hadriani anno, de eo ſic ſentio. Hadrianus Imperator pacis ſtudio omnia trans Euphratem reliquit, vt Aelius Spartianus et Eutropius teſtantur. Neque vero Parthis prodidit prouincias, ſed ſine praeſidio et procuratoribus Ro-

(5) T. II. p. 143. 145. ed. Vrbinatenſis. (6) p. 121.

Romanis ſui iuris liberas eſſe iuſſit. Sic Manus regnum recuperauit. Hanc totam hiſtoriam Iulius Africanus videtur narrauiſſe ad annum quartum Hadriani: Gregorius item videtur non totam, vt erat in Africano, ſed partem minimam ex toto ordine excerptam inſeruiſſe eidem anno. Tamen Meſopotamienſes potius anno tertio libertatem nacti ſunt Hadriani beneficio, quam quarto. Quarto anno Hadrianus res in Moeſia ordinauit ſeque contra Sarmatas et Roſſalanos muniuit. At ſuperiori anno, cum in Palaeſtina ageret, propior fuit Meſopotamiae cura. Scriptores vero noſtri nullum certum tempus ediderunt: tantum ſub auſpiciis imperii produnt. Aelius Spartianus in Hadriano: (7) *Parthos in amicitia ſemper habuit, quod inde regem retraxit, quem Traianus impoſuerat: Armeniis regem habere permiſit, cum ſub Traiano legatum habuiſſent: a Meſopotamiis non exegit tributum, quod Traianus impoſuit.*

Exſtat numus aeneus, quem Buxbaumius ex oriente attulit. In aduerſa eſt Hadriani Aug. vultus cum hoc titulo: . . . ΔΡΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ in auerſa ΑΒΓΑ . . . inſcribitur huiusce regis vultus. T. IV. 2. Ex hoc numo duo intelliguntur: primum, Mano huic quoque nomen dignitatis cauſſa fuiſſe Abgarum: neque enim ad alium regem pertinet numus. Secundum haec intelligitur, ex eo tempore, cum Traianus Edeſſam tenuit, atque cum Hadrianus regem reſtituit, Oſrhoënos reges Romano imperio fuiſſe ob-

(7) c. 21.

ſtrictos. Nam ab hoc vsque tempore ſignatum numum Edeſſeni regis inuenimus nullum, in quo non ſit etiam προτομὴ Romanorum Imperatorum. Videntur tamen Edeſſae fuiſſe factiones ad Parthos trahentium res urbis et toparchiae. Hoc in tumultu Manus a Vale bar Sahru pulſus عبر لبيت رهومیا *diſceſſit in terram Romanorum*, ſic enim haec Syriaca commode interpretari poſſumus. Hoc quod Dionyſius ait, accidit A. V. C. 892 A. C. 139. ſi annos 23. regnauit Manus. Dionyſius ſimul auctor eſt, Valen annos duos regnaſſe et poſtea Manum reſtitutum alios duodecim annos rerum fuiſſe potitum: cum autem ſummam annorum, quos regnauit, omnium edit, efficit annos, exceptis iis quos Romae fuit Manus, ſex et triginta. Ergo annus integer detrahendus Vali, aut in menſibus praetermiſſis aliqua confuſio est orta. Nolo tamen quidquam mutare, quoniam metuo, ne Dionyſius in calculo ineundo lapſus, annum integrum addiderit Mano, praeter Edeſſenorum actorum fidem. Nodum illum non facile quisquam ſoluet. Tempus vero, quo Romam diſceſſit Manus Abgarus, cum Iulii Capitolini teſtimonio congruit. Is enim auctor eſt, ſub initio imperii Antoniniani Romam veniſſe Abgarum. *Abgarum regem ex orientis partibus ſola auctoritate deduxit: cauſſas regales terminauit.* Hadrianus deceſſit VI. Id. Iulii A. C. 138. atque ex eo die Antoninus imperauit, vt Ioannes Vignolius in columna Antonini Pii nos docuit. Venit ergo Romam Manus ſub initium ſecundi anni. Regales cauſſae, quas Antoninus auctoritate terminauit, comprehendunt etiam

etiam res Edeſſenas. Eſt igitur Vales a praeſidibus Syriae pulſus, aut Romanorum minis regno deiectus.

XXIII. ܘܐܠܒܪ ܣܗܪܘ *Val bar Sahru.*

Dionyſius : *A. Abrahae 2154 regnauit Vales bar Sahru, annos duos.* Nobis ab eodem anno, hoc eſt, ab A. C. 139. menſe Aprili. Nomen Arabicum fuit. Nam فال *Val*, *valentem* et *ſaluum* ſignificat, et زهر *ſahar*, *lucentem* et *florentem.*

XXIV. ܡܥܢܘ ܒܪ ܡܥܢܘ *Maanu bar Maanu.*

Dionyſius : *Poſt Valen regnauit Maanu bar Ajazeth, poſtquam ab Romanis rediit, annos duodecim : ſumma omnium annorum quibus regnauit, anni 36. exceptis his, quibus Romae fuit.* Quod eum Manum bar Ajazeth vocat, is plane lapſus eſt memoriae, vt facile agnoscas. Ex noſtra ſententia poſt reditum regnauit Manus ab anno Abrahae 2156. Aprili mense A. C. 141. Huic puto tribuenda ea, quae ſupra de Abgaro Vchama Procopius tradidit, vt Auguſto perſuaserit amorem patriae ſibi cordi eſſe, vt deinde reuerſus Edeſſae ἱπποδρόμιον condiderit. (8)

(8) V. ſupra p. 20.

XXV. ابگر بن مانو *Abgar bar Manu.* Dionyſius : *anno* 2169. *regnauit Edeſſae Abgarus Mani filius annos* 35. Nobis A. Abrahae 2168 A. C. 153. Aprili menſe. Huius Abgari ſunt numi ſub L. Vero et M. Aurelio Antonino cuſi. Nam cum M. Antoninus a Nonis Martiis A. C. 161. Antonino Pio ſucceſſit et XVI. Kal. Aprilis A. C. 179 obiit, vt oſtendit Ioannes Vignolius, tota imperatoria aetas in huius Abgari tempora incidit. Multo autem magis L. Veri. Ergo ad hunc Abgarum referendi ſunt numi Lucii et Marci apud Carolum Patinum in
T. IV. numismatis imperatorum Romanorum (9) Primus
p. 4. exhibet L. Verum, ſecundus M. Aurelium. In auerſa vtriusque eſt Abgari vultus cum hac inſcriptione : ABΓAPOC. BACIΛEYC. Ioannes Harduinus in hiſtoria Auguſta (10) hunc M. Antonini numum ſic explicat : *Societatem ſe cum Romanis iniſſe Abgarus hoc numo teſtatur: Parthorum regulus, vt videtur.* Solemne hoc eſt Harduino, ſocietatem barbarorum cum Romanis crepare, viſo aliquo numo cum imperatoris et principis barbari vultu, vt irridere poſſit ſcriptores et traducere veterem fidem. Is quoque in hiſtoria Auguſta (1) producit e gaza regis Franciae numum argenteum inſcriptum : ΛOYKIA-ΛA CEBACTH et in auerſa MANNOC ΘIΛOPΩ-MAIOC BACIΛEYC. Harduinus ſic fatus eſt ad hunc

(9) p. 207. 192. p. 10 780. (1) p. 779.

hunc numum: *Lucilla ſedens dextra ſpicas, laeua haſtam puram tenet: Parthorum rex amicum ſe Romanorum, non iisdem ſubiectum et obnoxium, dicit.* Sed vt Harduinus ludos etiam in hoc numo facit, ita velim animaduerti, Ioannem Valentem numos omnes nimium elegantes producere, non imitatione vera, ſed ex ingenio et arte deſcriptos. Ergo tiarae, qui in his *duobus numis* abhorrentem a ceteris formam exhibent, nihil veri habere videntur. Numum autem Manni. Philorhomaei Petrus Seguinus, iſtius Mani, quem Dio Caſſius tradit Traiano ſuſpectum fuiſſe, quod ad Imperatorem vocatus non veniret et Adiabeno auxilia mitteret, ſiue filio attribuit, ſiue nepoti. Hanc opinionem Laurentius Begerus, nam is quoque numum e gaza Regis Pruſſiae produxit, (2) cupide amplexus, Cererem interpretatur mulierem cum haſta pura et duabus ſpicis ſedentem atque eodem trahit Dionis teſtimonium, L. Verum deſidiae amore apud Antiochiam cum Lucilla egiſſe, cum res contra Parthos a legatis gererentur, huic autem turpitudini velamentum impoſuiſſe curam commeatus, quam ſuſceperit. Igitur cum Mannus frumento et omni commeatu ſubuenerit, ea cauſſa Lucillam hunc numi ſignati honorem ei habuiſſe putat Begerus. Paene mihi perſuadet ſuam et Seguini ſententiam, vt hunc numum, quem e Begero appono, ceteris numis Abgarorum inſeram. Tantummodo in hoc quoque numo nimia elegantia T. IV. 5.

non

(2) T. II. p. 678.

non ex imitatione vera, ſed ex artis aemulatione me offendit. Cuſus eſt intra annum Chriſti 163. quo anno Lucillam ad L. Verum deductam fuiſſe in Aſiam Pagius nos docet, et A. C. 165. quo anno idem Pagius de Parthis triumphatum eſſe multis argumentis cognouit. Vnum me maxime a Seguini et Begeri opinione retrahit, quod in hoc numo Mannus ille dicitur, qui ſuo in numo dictus fuit Abgarus. Niſi diuinare licet, numum a Lucilla ipſa Antiochiae cuſum huic errori nominis occaſionem eſſe nactum eam, quod Abgarus bar Manu diceretur, nihil aliud ſcrupulum nobis eximere poteſt. Is autem honos, nulli regi barbaro a Romanis eſt tributus. Quare ſit potius hic Mannus Philorhomaeus, qui ipſe numum ſuum Lucillae vultu inſigniuit, alterius toparchiae regulus, praeſertim cum nihil ſimilitudinis inter hunc numum et ceteros Edeſſenos intercedit. Sunt a Romanis illo tempore res geſtae, quae et metum iniicerent ſuperbis et amicos in fide atque officio continerent. Anno extremo Antonini Pii bellum Parthi appararunt, initio Marci et Lucii ſuſceperunt, fugato Atilio Corneliano, qui Syriam adminiſtrabat (3) et Seueriano Celta legato Romani exercitus in Armenia ab Othryade duce Parthorum caeſo cum legionibus. (4) Syri etiam defectionem agitabant. Hoc e Capitolino coniicimus accidiſſe, (5) cum L. Verus ab Vrbe eſſet profectus ad bellum Parthicum. Profectus eſt A. C. 161.

Vt

(3) Spartianus in Marco c. 8. (4) Xiphilinus p. 270. Lucianus in Pſeudomante p. 764. 765.

vt Antonius Pagius contra Henricum Noriſium vere contendit. Ex eo tempore, dum L. Verus vrbes deſidioſi in morem obit, dum Laodiceae aut ad Daphnen aut Antiochiae agit, per Statium Priſcum et Auidium Caſſium et Marcium Verum Cappadociae praeſidem bellum confectum eſt, Babylone et Cteſiphonte captis, aſſertaque Armenia. (6) Quarto autem anno confectum eſſe, Capitolinus teſtatur. In tanta Romani nominis fortuna, Meſopotamiae vrbes victoribus adulatae ſunt, in quibus Carrheni quoque ſe Philorhomaeos et Aureliam vrbem vocarunt apud Ioannem Valentem in numis. (7) Atque de hoc bello Corinthius ille, cuius Parthica Lucianus (8) perſtringit et foede lacerat, Ἐδέσσα μὲν δὴ ὅτω τοῖς ὅπλοις περιεσμαραγεῖτο, *ita tum Edeſſa armis circumſtrepebat.* Verum ex tot ſcriptoribus, qui bellum Parthicum per vera et falsa prodiderunt, nullus hodie exſtat, vt tenuis memoria ſuperſit. Et L. Verum quidem ſui mores Syris ceterisque ridiculum faciebant, *ſed confecto bello, regna regibus, prouincias vero comitibus ſuis regendas dedit Verus,* vt ait Capitolinus. Eam ab cauſſam tam accurate annotarunt Edeſſeni in chronico (9) L. Caeſarem cum fratre Parthos Romanis ſubieciſſe, anno imperii quinto, hoc eſt, A. C. 165. quo anno debellatum triumphatumque eſſe diximus. M. Antoninus autem

(6) Spartianus in Marco c. 8. et in Vero c. 7. Eutropius l. VIII. c. 5. Sex. Rufus c. 21. (7) de coloniis Imperatorum t. 1. p. 179. (8) Quomodo conſcribenda hiſtoria p. 617. (9) p. 390.

tem poſt L. Veri mortem toti Aſiae praeeſſe iuſſit Auidium Caſſium, qui Parthos fregerat, vt memoria rerum geſtarum tanto obſequentiores retineret Meſopotamienſes.

XXVI. ܐܒܓܪ ܣܘܝܪܘܣ *Abgar Seuerus.*

De eo Dionyſius: *anno 2203. regnauit Abgarus Seuerus cum filio annum I. menſes VII.* Ex noſtra quoque ſententia ab A. Abrahae 2203 ſeu A. C. 188. Aprili menſe regnauit.

XXVII. ܡܢܢ ܒܪ ܐܒܓܪ *Maanu bar Abgar.*

Dionyſius: *poſt eum regnauit Maanus filius eius annos XXVI.* Magna eſt in annis Abgari Seueri et Mani filii et Abgari nepotis confuſio. Primum enim Abgarum ad Seuerum Imperatorem vsque ſuperfuiſſe, agnomen Seueri indicat. Vnde enim hoc nomen Romanum duxiſſet? a Septimio Seuero patruo imperatoris? a Seuero autem imperatore adhuc priuato? neutrum forte nouiſſe poterat Abgarus, aut alicuius facere. Neque Abgarus primis Seueri imperatoris annis cognomen Seueri accipere potuit, cum a Syriacis exercitibus coleretur in propinquo Peſcennius Niger. Igitur hic error Dionyſii regnum Abgari Seueri breuiori ſpatio neque intra Septimii Imp. auſpicia definientis, ex eo videtur ortus, quod Abgarus annum vnum, menſes ſeptem regnauit

uit ſolus, poſtea autem in ſocietatem regni accepit Manum filium. Alter eſt error, quod Dionyſius Manum annos 26. regnaſſe perhibet et tamen filium eius Abgarum anno Abrahae 2216. ſucceſſiſſe prodit hoc eſt, A. C. 200. Et verum hoc poſtremum eſſe e chronico Edeſſeno conſtat. (10) Illius enim fide Abgarus bar *Maanu anno Edeſſeno* 513. Nouembri *menſe, rebus iam praefuit, hoc eſt, A. C.* 201. *Septimius Seuerus contra Didium Iulianum ab exercitibus* Germanicis ad Carnutum imperator dictus A. C. 193. Idibus Aprilibus, ocius Romam duxit et triceſimo die, ab eo, quo venerat in vrbem, aduerſus Peſcennium Nigrum profectus eſt. Huic Syria omnis et Aſia dicto audiens erat, reges vero et ſatrapae trans Euphratem legatos miſerant gratulaturos et opem ſuam pollicituros, vt Herodianus ſcribit. (1) In ceteris Abgarum quoque et Manum reges legationem miſiſſe, non alienum a fide videtur. Peſcennius victus eſt A. C. 194. et a militibus Antiochiae occiſus. Interea Oſrhoeni et Adiabeni tempus nouandi res rati, Niſibin obſederunt, vt eſt in Theodoſii Exigui excerptis Cocceianis (2) et repulſi a Seueri partibus, Peſcennio debellato, legatos miſerunt ad Seuerum non excuſatum, quod iniuſte fecerant, ſed gratiam ſibi habendam poſtulantes, tamquam Seueri cauſſa arma cepiſſent. Et oſtentabant ſe in primis, quod Peſcennii milites obtruncaſſent. Miſerunt etiam munera, ſpolia item et captiuos ſe

(10) p. 390. 417. (1) L. II. c. 31. (2) p. 848.

reddituros polliciti: at praeſidia de caſtellis, quae armis ceperant, deducere nolebant et tributum detrectabant: immo iubebant quoque, vt de ſua regione milites Romani deducerentur. Hac cauſſa bellum illatum eſt Oſrhoenis. Seuerus imperator, vt Xiphilinus ex Dione habet, traiecto Euphrate Niſibin petiit, et ad eam vrbem conſedit, Laternum vero Candidum et Laetum diuerſis itineribus contra rebelles proficiſci iuſſit, qui et regionem depopulati ſunt et vrbes occuparunt. Quibus rebus geſtis Seuerus ἀξίωμα τῇ Νισίβει δοὺς, vrbem equiti Romano regundam tradidit, ipſe autem aduerſus Clodium Albinum duxit, gratioſum et nobilem hominem. Haec tutiſſime credimus Dioni Caſſio, illorum temporum ſenatorio viro. Aelius Spartianus tantummodo ſic habet: (3) *circa Arabiam plura geſſit, Parthis etiam in ditionem redactis, nec non Adiabenis: qui quidem omnes cum Peſcennio ſenſerant.* Audiendus igitur non eſt Herodianus, (4) cum Seuerum regiones vltra Euphratem non attigiſſe ſcribit. Quod autem Parthos ſubactos refert Spartianus, id de Oſrhoenis quoque interpretor, de quibus idem ille Aelius: (5) *Perſarum regem Abgarum ſubegit.* Et Aurelius Victor: *Agarrum Perſarum regem ſubactum* dixit, Agarrum pro Abgaro. Cum vero Oſrhoenos modo Perſas, modo Parthos nominant, id eo factum, quia poſtremis temporibus vlteriora Euphratis, quae Parthorum fuerant, Perſae tenuere. Ergo etiam Eu-

(3) c. 9. (4) L. III. 16. (5) c. 18.

Eutropius et Sex. Rufus *Anthemusiam magnam et opimam Persidis regionem* dicunt, quae in Mesopotamia erat et ex instituto Traiani ipsam Osrhoenen comprehendebat. Quare cum in numis et lapidibus L. Septimius PARTH. ARAB. ADIABENICI titulos retulit, sub Parthico Osrhoeni regis victi gloria comprehensa est.

Ceterum mihi propemodum persuasum est, Abgarum Seuerum illum esse, quem cum Mano filio commemorauit Iulius Africanus in extremo aliquo Cestorum libro. Habemus excerpta τῶν Κεςῶν Graece tantummodo edita a Melchisedeco Theuenoto e duobus MSS. regiis et vno Colbertino. In his cum dixisset, quanto temporis interuallo telum a iactu metam feriat et vt non interruptum iter teli vna nocte et die vicies mille stadia conficere possit, quaue id arte et ingenio peragi velit, illius ludicri testes citat Sirmum Scytham et Bardesanem Parthum. Tum vero ita fatur, quantum nos quidem corruptelis foedissimis deprauatum exemplar secuti, animo percipere possumus: εἶδον ϗ αὐτὸς, ἐναγκάρȣ τȣ̃ βασιλέως Μάννȣ τȣ̃ παιδὸς αὐτȣ̃ (haec puto transposita esse et corrupta, neque enim quis Enancarus rex esset, vel ipse Boiuinus, vir summa doctrina, indagare potuit: ego sic emendo: εἶδον ϗ αὐτὸς, Μάννȣ τȣ̃ Αυγάρȣ τȣ̃ βασιλέως παιδὸς) πολλάκις πειράσαντος, ἐμȣ̃ ὑφηγησαμένȣ *vidi*, inquit, *ipse, cum Mannus filius Abgari regis saepe me praeeunte (praecipiente) idem experiretur.* Iu-

 lius

(6) In veterum Mathematicorum collectione Theuenotiana p. 300

lius Africanus in Syria egit et pro Nicopolitanis ſeu Emauntis vici ciuibus legatione ad Alexandrum Seuerum Imp. aliquanto poſt tempore defunctus eſt. Inieciſſe autem eum in Ceſtis mentionem huius Abgari ex Georgio Syncello (7) cognoſcere mihi videor. Nam cum iſthic nouem Ceſtorum libros Alexandro Seuero a Iulio Africano dedicatos commemorat, ſic ait: Ἀφρικανὸς Ἀβγαρόν φησιν ἱερὸν ἄνδρα, τῷ πρώην Αὐγάρῳ ὁμώνυμον βασιλεύειν Ἐδέσσης κατὰ τούτους τοὺς χρόνους. Hic ὁ πρώην Αὔγαρος videtur eſſe aut Abgarus Seuerus, cuius etiam mentionem iniecerat aut Abgarus Vchama. Praeterea vero illo in loco Ceſtorum Iulius Africanus de Manno narrat, cum aliquando ſub meridiem venarentur, accidiſſe, vt vrſa e luſtro impetum faceret adeo praeferocem, vt omnes prae metu latebras et fugae capeſſendae vias quaererent, Manum vnum ceteros bono animo eſſe iuſſiſſe atque illico duabus ſagittis confixiſſe ferae oculos. Ipſum Bardeſanem Parthum, quem poſtea narrat ſagittandi ſic peritum fuiſſe, vt telis illis ſuis hominis effigiem exprimeret, veluti aliquis pictor, Edeſſenum fuiſſe reor, quod nomen ipſum indicat, quemadmodum ſupra expoſui. Et Oſrhoeni item vt Parthi in ſagittando eximii fuerunt, quod infra demonſtrabo ex Herodiano. Victo Albino A. C. 198. vt nos docuit Pagius, ciuili bello adhuc occupabatur Septimius Seuerus, (8) cum Parthi maximis copiis inuaderent Meſopotamiam. Totam ferme occuparunt, vix a Niſibi repulſi virtute

(7) p. 359. (8) Xiphilinus p. 324.

tute Laeti. Cum ad opem afflictis rebus ferendam Seuerus Imp. festinaret in orientem, transfugit ad eum Ἄβγαρος Ὀσροηνῶν βασιλεὺς et traditis obsidio filiis sagittarios multos auxilio adduxit, vt habet Herodianus. (9) An, quia a Parthis Edessa pulsus erat? Sed adhuc incertum manet, an is sit Abgarus Seuerus, an Manum hunc Abgari filium Herodianus vocet *dignitatis nomine* Abgarum. Profectus est Imperator ad Parthicum bellum A. C. 199. atque isthuc bellum confecit A. C. 202. Nam cum a Parthico bello rediisset Antiochiam, data Antiocho Caracallae virili toga, eum secum consulem esse iussit et statim in Syria consulatum iniit, vt Aelius Spartianus auctor est. (10) Ex eo compertam habemus veram temporis rationem.

Sed nondum nos expedire possumus ex laqueis, quibus heic constricti tenemur, nisi nobis coniectura dea sit praesens et propitia. Mei est periculum ingenii, non alterius, quis mihi igitur hanc audaciam inuidebit, cum ita censeo? Abgarum Seuerum superfuisse admodum senem bello Parthico primo, et a Septimio Seuero restitutum in Edesseno regno, ex quo Pescennianae factionis studio exciderat, cognomen Seueri, honoris caussa accepisse: at secundo bello Parthico Manum Abgarum regem obnoxium fuisse Seuero Imperatori. Et ad hunc Manum refero numos tres, quos Buxbaumius ex oriente attulit. Non possum ad Abgarum Seuerum, quo-

(9) L. III. c. 27. (10) c. 16.

quoniam vultus in his numis vigorem aetatis prae ſe fert, non decrepitam ſenectutem, qualem in eo fuiſſe oportuit, qui altero anno filium adſciuit ſocium. Non poſſum quoque hos numos referre ad Abgarum Mani filium, Abgari Seueri nepotem ob lineamentorum in vultu diſcrepantiam et quoniam hi numi in tiaris aliquid profani ritus et ſuperſtitionis habent, cum Abgarum Mani filium chriſtianae pietatis amantem fuiſſe conſtat, idque crux in tiara
T. IV. 6. eius confirmat, vt dicam poſtea. Primus numus habet Septimii Seueri Imp. vultum inſcriptum: CEOYHPOC atque Abgari vultum cum titulo AB---- BACI---- Alter inſcriptus eſt in aduerſa
T. IV. 7. CEOYHPOC. AYTOKPA. et in auerſa ABΓAPOC
T. IV. 8. BACIΛEYC omnibus litteris. Tertius plane depraua tum habet nomen Imperatoris Seueri in hunc modum CEOYHCIOC. V. (quod V corruptum A eſt ex Αυτοκράτως) in auerſa ABΓAPOC BACIΛEYC. Ad eundem Abgarum etiam refero hunc numum, quem e gaza Regis Pruſſiae Laurentius Begerus (1) atque e Begero Bernardus Montefalco in ſpiſſo antiquitatum veterum ſyntagmate exhibuere. (2)
T. IV. 9. Tantummodo in tiara ſibi aliquid permiſſiſſe videtur Begerus, vt eum reſtitueret ex ingenio. Titulus aduerſae CEOYHP. auerſae ABΓAPOC.

XXVIII.

(1) Theſ. Brand. T. III. p. 130. (2) T. III. Parte II. Tab. XLIV.

XXVIII. אבגר בר מנו *Abgar bar Maanu.* Dixi iam ſupra, videri mihi, hunc Abgarum anno Abrahae 2216. A.C. 200. regnare coepiſſe. Nam ita Dionyſius habet et A. 201. eum vtique regem fuiſſe, e Chronico Edeſſeno conſtat. Dixi item, *patrem Manum* cum filiis ad Septimium Seuerum in caſtra veniſſe A. C 199. Itaque paullo poſt, defuncto patre, Abgaro regnum Edeſſenum reſtituit Imperator, profligatis in Meſopotamia Parthorum factionibus. Chronicon Edeſſenum tradit, (3) Anno Seleucidarum 513. A.C. 201. Edeſſam ab eluuione aquarum eſſe deſolatam. Nam fons e maiori palatio Abgari Magni profluens, tam inſolitis auctibus redundauit, vt atria, porticus, aedesque regias repleret. Rex ipſe repentino perturbatus malo, in montem imminentem profugit, vbi officinae regiorum opificum erant. De hoc fonte Eggehardus Vragienſis in hunc modum ſcribit: (4) *A diebus antiquis inexpugnata nunquam manum dederat vrbs illa ampla paganis* (hoſtibus ethnicis) *eo quod muris vltra humani operis qualitatem firmis, fluuio quoque intus ebulliente, omni etiam ſitu naturali populique et victuum muniatur fertilitate.* Dum de hac eluuione aquarum conſultatur, nocte ea tanta vis imbrium cecidit, vt Daiſan fluuius, quem Scirtum vocabant Macedones, die et menſe non ſuo, excedens ripa, planitiem omnem inundaret. Ac cum curſus eius ab vrbe cataractis ferreis coerceretur, partem moenium disiecit. Abgarus e turri, quae פרסיא *Perſarum* vocabatur, aquas contem-

(3) p. 3. (4) p. 585. ed. Eccardi.

platus, consilia omnia in vanum adhibuit. Quippe quod muri parte, qua occasum spectat, prostrata, et palatio euerso, immissus in vrbem fluuius, qua data via, domos, austrum versus et boream fluuio obiectas labefactauit et praecipites dedit.

Eadem procella هيكلا دعدتا دقريسطينا *templum ecclesiae Christianorum* corruit. Oppressum est hominum ad millia duo: plerique somno sopiti. Sedata tempestatis et fluminis violentia et aquis residentibus, de proferendo fluuii alueo consilia agitata sunt, effectumque per architectos, vt quam amplissimus esset. Nec tamen satis erat cautum repentinis inundationibus, quod in Daisanum quinque et viginti torrentes aucti et suis et alienis aquis se effunderent. Itaque rex cum antea iussisset, vt opifices, qui iuxta Scirtum in porticibus merces exposuerant, longius a flumine considerent, nunc etiam prouidit, vt ab Octobri ad Aprilem mensem noctu in alias aedes concederent, vtque Mesopotamienses praesidiarii quini excubias agerent in ea muri parte, qua vrbem fluuius alluit, qui vbi aquas augeri sentiant, ciues monerent, poena constituta, si quis neglexisset. Palatium vero ad scaturigines fontis Abgarus reparauit, hibernum autem construxit دبيت تبرا *quod in Tabara monte.* Regem secuta nobilitas in vicinia palatii aedes condidit, qua eminentissima vrbis pars erat, cui nomen بيت سحريا *Sabaritarum regio.* Vectigalia rex ad quinquennium remisit et ciuibus et pagorum castellorumque incolis. Ita ciuitas frequentia oppidanorum et aedificiorum est exornata. Haec مر يهب بر شمش *Mar Jahab bar Schamesch* et قيوما بر مجرطط *Ka-*

Kajuma bar Magartat, ſcribae Edeſſeni in actis conſignarunt et بردين وبوليد *Bardin* et *Bulid* praefecti archiui in tabulario memoriae cauſſa poſuere. Haec aut acta aut conſcripta ſunt poſt A. C. 205. aut interpolata ſunt ab auctore Chronici Edeſſeni. Nam ad annum Edeſſenum 517. qui init A. C. 205. exeunte, palatium *illud regium* ab Abgaro aedificatum eſſe, chronicon teſtatur. Ergo ad A. 513. plurium acta annorum conſignata fuere. Quod de eccleſia chriſtianorum ponunt notarii, id argumento eſt, homines, qui haec ſcripſerunt, profanos fuiſſe. Scripſere enim iis verbis, veluti religio chriſtiana nihil ad ſe pertineret, ſed ad ciues quosdam vrbis. Abgarus rex autem chriſtianus vtique fuit. Nam ad Olympiadis CXLIX. 1. qui eſt extremus Abgari huius, Euſebius: Αφρικανὸς Αὔγαρόν φησιν ἱερὸν ἄνδρα τῷ πρώην. Αυγάρῳ ὁμωνυμον βασιλέα Εδέσσης, *Africanus Augarum dicit, ſanctum virum cognominem Abgari, qui ante eum fuit, regem Edeſſenum exſtitiſſe.* Profeſſionem qualemcunque chriſtianae religionis, titulo ſanctitatis cohoneſtauit. Nam plerique, qui in Meſopotamia et finitima Syria religioni veri numinis fauebant, profanitatis retinentes fuerunt. Vt ille ipſe Iulius Africanus, quas, deum immortalem praeſtigias et ſuperſtitiones impie credulus Ceſtis intexuit? Nec chronologia eius vanitate caruiſſe videtur Boiuino. Iam Bardeſanen quid dicam? qui apud Abgarum auctoritate praepolluit, quemque Epiphanius (5) Abgaro

(5) Haereſi 56.

Edeſſenorum principi viro ſanctiſſimo familiarem fuiſſe ſcribit et ſimul adiutorem eruditionisque ſocium. Hic Bardeſanes Edeſſenus fuit, vt ſupra demonſtraui. Edeſſenum chronicon (6) eum natum refert, A. Sel. 465. XI. Iulii A. C. 154. Epiphanius aetatem Abgari regis viuendo exceſſiſſe Bardeſanem ſcribit, ad Antoninum vsque : puta Antoninum Elagabalum : erat autem tum ſexagenarius et aliquanto maior. Hic Bardeſanes quidem contra Abidam aſtrologum libro de fato diſputauit et inanitatem aſtrologorum hariolationumque proſcidit, ipſe tamen inueteratos errores non ita depoſuit, vt iisdem chriſtianam religionem non deformaret. Quamobrem S. Ephraemus Syrus, diaconus Edeſſenus, ſaepe et vehementer in Bardeſanem ſectaeque iſtius homines inuectus eſt. Vt Bardeſanes inſtituerat ingenii ſui commenta caeleſti veritati admiſcere, ita Harmonius filius eius carminibus incredibili ſuauitate multos peruertit atque opinionibus paternis adſociauit, quae nihil admodum a Valentinianorum deliriis diſcreparunt. (7) Bardeſanes ipſe apud Euſebium (8) ſcribit, in Oſrhoene plerosque Opi ſeu Rheae eſſe caſtratos, hoc autem tempore Abgarum regem mandata dediſſe, qui eam turpitudinem in ſe admitterent, illorum quoque manus vti praeciderentur: ex eo in Oſrhoene ſe neminem mutilare. Erat autem et Hierapoli et omni in Syria atque Meſopotamia ille

(6) p. 389. (7) Vid. Aſſemanus T. I. p 48. (8) In praepar. euang. L. VI. c. 10.

I

II

III

IV

V

VI

VII

VIII

Æ

IX



Æ

X

XI

XII

Æ

XIII

le furor frequens qui deinde etiam reſuſcitatus eſt, vt Conſtantinus ſeueriſſima lege coercuerit. (9) Perperam Carolus Patinus illa ſub Abgaro Vchomo rege contigiſſe cenſuit. (10) Ceterum Bardeſanes quoque auctor eſt, eam praeterea legem in Oſrhoene fuiſſe, vt non modo adulterii conuictae capite plecterentur, verum etiam, ſi qua eſſet tantummodo flagitii iſtius ſuſpicio, poenas vti darent. (1)

Abgarum hunc chriſtianum profeſſione fuiſſe, *etiam numi* teſtantur, in quibus tiarae non ſuperſtitionis foetorem prae ſe ferunt, Beli et ceterorum deorum aſtra, ſed inſigne deuoti Chriſto animi, crucem. Primum e Carolo Patino accepi. (2) Eſt in aduerſa *Seueri* Imperatoris vultus, inſcriptus A. CEΠ. CEOYHPOC in auerſa vultus Abgari, cum titulo BACIΛ. MEΓ. ABΓAPOC. Βασιλεὺς Μέγας Αβγαρος. Vides hic in tiara ornatum crucis in modum. Alium ornatum numus habet, quem e gaza regis Francorum adfert Spanhemius, (3) inſcriptum BACIΛ. MEET. ABΓAPOC. In titulo credo chalcographi inſcitiam peccaſſe, cum in numo MEΓ. eſſet ſcriptum: talia errata in elegantiſſimo opere exſtant prope infinita. Sed eximius plane eſt, quem ex Baudelotio exhibet Spanhemius, in aduerſa inſcriptus CEΠT. CEOYP. in auerſa BACIΛ. Λ. AIΛ. CEΠT. ABΓAPOC Βασιλεὺς Λέκιος Αἴλιος Σεπτίμιος Αβγαρος, vbi in tiara vtique diſertiſſimum eſt

T. V. 1.

T. V. 2.

T. V. 3.

(9) Codice L. IV. tit. XLII. (10) in numis Imperatorum p. 192. (1) ib. apud Euſebium. (2) l. c. p. 227. (3) p. 535.

ſignum crucis. Alium quoque Baudelotius habuit numum cum epigraphe BACIΛEYC. AIΛ. CEΠTI MIOC. ABΓAPOC. Ioannes Harduinus, cum ex Baudelotio illos numos in hiſtoria Auguſta (5) produxiſſet, quem ſolet, fumum vendit. *Duxit Abgarus Seueri Auguſti filiam Aeliam Septimiam, quam Seuerus ſuſceperat ex prima coniuge filia M. Antonini et Fauſtinae: idcirco Abgarus L. Septimius Aelius eſt.* Dii eum odio habuere, qui auſus eſt ludificari ingenuos et liberos homines ſuis illis vafris cauillationibus. Atque vt ille in nomine Abgari longam fabulam apparat, ita Ezechiel Spanhemius ſuſpicatus eſt, aliquem ex Abgari maioribus ab Aelio Antonino Pio id nominis arripuiſſe aut a L. Aelio Vero. Sed nemo maiorum Abgari L. Aelius eſt dictus, neque hic Abgarus opus habuit, vt ſe ab Antonino Pio aut L. Vero nuncuparet, tametſi quisquam alius rex Edeſſenus ante eum ſe nominari eſſet paſſus. Ego potius cenſeo, totum iſthuc nomen adulationi in Antoninum Commodum eſſe tribuendum. Nam quis neſcit, quanti L. Aelium Commodum fecerit Septimius Seuerus? ea cauſſa etiam filium M. Aurelium Antoninum vocauit, veluti illam in domum adoptatus eſſet. Poteſt igitur fieri, vt Commodi reſpectu, quem Septimius Imp. in caelum laudibus ferebat, Abgarus ſe familiae Aeliae inſeruerit et filium quoque ſuum Antoninum vocauerit, vt infra declarabo. Scire autem

(5) p. 801. operum.

tem hoc potuit Abgarus : fuit enim Romae. Nam de nullo alio explicari poteſt, quod in Auito Dio Caſſius Xiphilini (6) habet , Aurelium Zoticum Smyrnaeum adductum eſſe in vrbem tanta pompa , quanta neque Augarus dignatus fuerit Seueri, neque Neronis temporibus Tiridates. Atque tametſi Zoticus vi eſt adductus in vrbem, tamen non ideo etiam Abgarus, quoniam neque Tiridates Armeniae rex aliter quam accipiendo diademate Romam venit. Neque ita inſaniebat Septimius Imp. vt captiuos magno cum honore acciperet , quemadmodum homo obſcoeniſſimae vanitatis Auitus.

Quo autem tempore Romae fuiſſe dicam Abgarum ? Edeſſae eum fuiſſe A. C. 201 et 205 exeunte aut 206 ineunte e chronico Edeſſeno comperimus : itaque veroſimile eſt, Imperatorem , cum A. C. 202 a Parthica expeditione decederet in Vrbem , ſecum duxiſſe Abgarum honoris cauſſa. Interfuit igitur decennalibus Septimii Imp. A. C. 203. ac forte etiam ludis ſecularibus A. C. 204. Tum ille rex , qui tam magnifice fuerat acceptus , titulo quoque Βασιλέως Μεγάλου auctus eſt, qui ex eo tempore in numis ſignatus fuit. Sic etiam in chronico Edeſſeno : ابجر ملكا ربا *Abgar rex magnus*, ex tabulis publicis dicitur , quae poſt A. C. 205. conſignatae fuere. Spanhemius quidem exiſtimat , eo *magnum* dici Abgarum , quod reges Edeſſeni اكابر *Acabir* , hoc eſt , *magni* et filii eorum اصاغر *Azagir* mi-

(6) p. 371.

minores citarentur. Et prouocat ad catalogum Gaſſaniorum regum apud Pocokium. Sed nihil ille Gaſſaniorum regum catalogus ad Abgaros noſtros. Aegre igitur facere voluit Parthis Imperator, qui ſe *reges magnos* et *regum reges* ferebant. Quae cauſſa etiam fuit, vt Antiochus Commagenus vetuſtis opibus ingens et inſeruientium regum ditiſſimus, *rex magnus* a Romanis nuncuparetur. In numis ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΕΠΙ.ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ *Rex magnus Antiochus Epiphanes Commagenorum.* Sic etiam Caeſarion *rex regum* ab Antonio IIIviro eadem cauſſa dictus; ne nunc alia quoque exempla proferam.

Hic tamen Abgarus per inſidias M. Aurelii Caracallae regno eſt exutus. Is enim cum Parthicum bellum meditaretur et ab Alexandria veniſſet in Meſopotamiam, (7) Edeſſam petiit. Ibi cum ad eum Abgarus tamquam ad amicum acceſſit vocatus, in vincula coniectus eſt. Edeſſa rege deſtituta, capta eſt. (8) Cauſſam calamitatis illius in excerptis Valeſianis Dionis Caſſii (9) conſeruatam habemus. Scribit autem, Abgarum Oſdroenorum regem, poſtquam imperium in populares ſatis firmaſſe ſibi viſus eſt, omne crudelitatis genus ἐς πρώτους ἀυτῶν *in optimates et principes gentis viros* exercuiſſe, cum eos ſpecie quidem ad Romanos mores tranſire cogeret, reuera autem potentia ſua abuteretur. Haec cauſſa aliquam habet ſpeciem, quod ſpadones graui edicto fieri vetuit Abgarus. Caracalla Edeſſae hibernauit (10) atque

(7) Herodianus L. IV. c. 21. (8) Dio Caſſius in fragmentis apud Zonoram T. I. p. 613. et apud Xiphilinum p. 352. (9) p. 746. (10) Aelius Spartianus p. 717.

que inde Carrhas petiit ſubverem. A Martiale occiſus eſt die natali, ipſis Megalenſibus VIII. Id. Apriles, vt Spartianus: vt autem Dio Caſſius VI. Iduum. Eutropius (1) in Oſdroene apud Edeſſam defunctum refert et funere elatum publico, quod cum non intelligeret Sex. Rufus Eutropii compilator, ſic ſcripſit: *in Oſdroene apud Edeſſam propria morte obiit et ſepultus eſt.* Naturali fato defunctum dicit, quoniam Eutropius *defunctum*, ambiguo vocabulo prodiderat. Edeſſae ſepultum addit Rufus, cum Eutropius elatum publico funere ſcripſiſſet, ſine mentione loci. Mortuus eſt autem prope Edeſſam, cum Carrhas peteret, vt Spartianus diſerte habet. Georgius Syncellus (2) occiſum ſcribit, πρὸς Καρίαις καὶ Εδέσσῃ, πόλεις δ'αὗται τῆς Οσροϊνῆς, *inter Carrhas et Edeſſam, quae Oſrhöenae vrbes ſunt.* Sic etiam Gregorius Malatienſis (3) et multi alii. Macrinus reliquias eius Antiochiam miſit ad matrem, vt Herodianus teſtatur. (4) Incidit mors Caracallae in A. C. 217. Aprilem ineuntem A. V. C. 970. A. Abrahae 2232. qui a ſuperioris anni Septembri menſe procedebat, ſeu in A. Abrahae 2233. qui a Septembri A. C. 217. proceſſurus erat. Igitur Dionyſius Telmarienſis ad hunc A. Abrahae 2233. *heic regnum Oſrhoënum corruit, poſtquam annos trecentos quinquaginta duos ſteterat: poſt id tempns Romanis obnoxii fuere Edeſſeni.* Eadem cauſſa Iulius Africanus

Z Ab-

(1) p. 200. (2) p. 356. ed. Paris. (3) p. 126. (4) L. IV. 13.

Abgarum ſuum ſanctiſſimum virum ponit ad annum primum Olympiadis 249. qui exorſus eſt illo A. C. 217.

Duo filii huius Abgari commemorantur in veteri lapide ad D. Pauli baſilicam eruto, quem primus Iacobus Sirmondus ad Sidonium Apollinarem (5) produxit atque ex eo Reyneſius (6)

ΕΚΤΟΝ ΕΠ ΕΙΚΟΣΤΩι ΠΛΗΣΑΣ ΕΤΟΣ ΑΒΓΑΡΟΣ ΕΝΘΑ
ΤΑΡΧΥΘΗ ΜΟΙΡΩΝ ΩΣ ΕΠΕΚΛΩΣΕ ΜΙΤΟΣ
Ωι ΦΘΟΝΟΣ ΩΣ ΑΔΙΚΟΣ ΤΙΣ ΑΠΕΣΒΕΣΕΝ ΑΡΧΟΜΕΝΟΝ ΦΩΣ
ΛΥΠΗΣΑΣ ΤΟ ΓΕΝΟΣ ΚΑΙ ΦΙΛΙΟΥΣ ΕΤΑΡΟΥΣ
ΤΥΜΒΟΝ Δ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΕΩι ΘΕΤΟ ΤΟΥΤΟΝ ΑΔΕΛΦΩι
ΟΙΣΙΝ Ο ΠΡΙΝ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΒΓΑΡΟΣ ΗΝ ΓΕΝΕΤΗΣ.

Iacobus Sirmondus ita latino carmine expreſſit:

Qui ſex bisque decem compleuerat Abgarus annos,
Parcarum duro eſt hic ſitus imperio.
Primaeuam exſtinxit lucem cui liuor iniquus,
Moerore adficiens et genus et ſocios.
Germano hunc tumulum fratri dedit Antoninus,
Abgarus olim rex queis genitor fuerat.

Fue-

(5) L. I. Ep. 8. (6) In ſyntagmate p. 330.

Fuerunt igitur duo fratres, Antoninus, vt videtur, maior, et Abgarus minor, qui viceſimo ſexto aetatis anno obiit: filii Abgari τῦ πρὶν βασιλέως, *eius, qui dudum rex fuit.* Mortuo Antonino et genus omne Abgarorum et neceſſarii dolore adfecti ſunt. Igitur praeter hunc Antoninum alii ex ſtirpe regia fuerunt, ſiue Romae, ſiue Edeſſae. Abgarus Seuerus admodum ſenex regno potitus eſt, vt ſupra oſtendi. Si igitur ſeptuaginta annos natus ad regnum venit, potuit habere Manum filium annorum quinque et quadraginta et nepotem Abgarum annum iam agentem viceſimum: igitur hic Abgarus paene quinquagenarius fuerit, cum regno exueretur: et potuit tum habere filium natum annos quatuor et viginti, ſiue hunc, cui Antonini nomen dedit, ſiue aliquem alium, qui A. C. 242. cum a Gordiano bellum gereretur aduerſus Perſas annos propemodum quinquaginta fuerit natus. Et eſt is Abgarus, quem ſub Gordiano regem in numis cernimus ea vultus forma, quae talem aetatem deceat. Medio inter haec tempora, quibus Edeſſa capta eſt, et quibus Abgari iterum partem regni recuperarunt, interuallo, haec inſcriptio poſita eſt Romae fratri ab Antonino in priuata domus ſorte et honeſto exilio. Videntur autem in honore fuiſſe Romae Abgari. AeliusLampridius (7) in Alexandro Seuero: *cum quidam ex honoratis vitae ſordidae et aliquando furtorum reus per ombitionem nimium ad malitiam adſpiraſſet, idcirco*

(7) c. 28.

quod per reges amicos ambierat, admiſſus, ſtatim in furto praeſentibus patronis detectus eſt, iuſſusque a regibus audiri, damnatus eſt re probata: et cum quaereretur a regibus, quid apud eos paterentur fures; illi reſponderunt crucem. Crux orientis reges indicat. Qui alii, ſi non hi ipſi τὸ γένος τῶν Αβγάρων reges tum Romae fuerunt?

HISTORIAE OSRHOENAE ET EDESSENAE

E NVMIS ILLVSTRATAE

LIBER QVARTVS

Quo inſtatu res Edeſſenorum fuerint, vsque ad illud tempus, cum in Saracenorum poteſtatem redacti ſunt.

CVm Antoninus Caracalla Edeſſae hiberna-ret, Abgarum regem in vincula coniecit, Oſrhöenen in prouinciae formam redegit, vrbem Edeſſam coloniae et metropoleos dignitate mactauit. Aelius Spartianus: *Edeſſam in Oſrhoëne in prouinciae formam redegit, amico rege Abgaro non victo, ſed vincto perfidiſſime.* Coloniam autem Edeſſam et metropolin in tot numis ab eo tempore vocari reperimus. Apud Ioannem Harduinum eſt numus Caracallae inſcriptus: ΚΟΛ. ΕΔΕCCΑ. Apud Ioannem Valentem (1) Caracalla ad medium

(1) De coloniis T. II. p. 35.

vsque corpus capite laureato eſt, titulo hoc: AYTO.
T. V. 4. KAIC. MAP. AYP. ANT. auerſa habet duo capita turrita et velata, inter quae ara cum igne ſacro, epigraphe KOΛΩ. MAP. EΔE. Hunc numum Carolus Patinus quoque produxit, (2) nihil de eo adfirmare auſus. At Ioannes Harduinus mutilum putat numum fuiſſe et legi oportere. M. AYP. EΔECCA. Ioannes Valens tamen auctoritatem Patini non refugit et explicat vt ſit: Κολωνία Μαρκία Εδεσσα. Tertius numus in Patino, Valente et dudum in Huberto Golzio cum capite vno turrito et velato KO-
T. V. 5. ΛΩ. MAP. EΔECCA id verum eſſe confirmat. Lucas Holſtenius ad Stephanum (3) tribus in numis M. Aurelii Caracallae vidiſſe ſe teſtatur apud Franciſcum Gotifridum, ſummum virum, AY. AN. EΔECCA, quod interpretatur *Aurelia Antonia Edeſſa.* Quartus numus apud Ioannem Valentem mu-
T. V. 6. lierem exhibet turritam et velatam, quae ſiniſtram habet poſitam in rupe ſuper qua ſedet, dextera vero duas ſpicas tenet, pedibus calcat nudam figuram aqua emergentem. Quintum Patinus expreſſit KOΛ.
T. V. 7. EΔECCA. Ad pectus quid gerat, non explicauit. Sextum habemus in theſauro Mauroceniano, (4) quem doctiſſimus Antiquarius MHT. KOΛE. ΔECCHP. legit, cum, vt Ezechiel Spanhemius animaduertit, (5) legendum fuit, MHT. KOΛ. EΔECCHNΩN. Sic Triſtanus in numo Alexandri Se-

(2) In numis Imper. p. 243. (3) p. 107. (4) p. 130. (5) T. I. p. 602.

Seueri ΜΗΤΡΟΠ. ΔΕΣΣΗΝΩΝ ad *Deſſam* ſuperioris Aegypti refert : Holſtenius vero recte exiſtimat in numo fuiſſe ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ. Quae etiam Spanhemii et Harduini opinio eſt. His nos iungimus duos aeneos numos , quos Buxbaumius ex oriente attulit, cum vultu M. Aurelii Caracallae et coloniae genio turrito velatoque inſcriptos COΛ. MET. ANTONIANA. T. V. 8. 9.

II. *Dicam* non modo de his, ſed etiam de ceteris *numis*, qui mox ſequentur, vna atque eadem opera. Tria autem in vniuerſis conſideranda duco. Primum auerſae effigiem, ſecundum coloniae nomen, tertium metropoleos dignitatem. In auerſa effigie eſt genius vrbis ſignatus. Plerumque eſt muliebris figura capite turrito et velato, quae in rupe ſedet, ſub qua ex aquis προτομὴ genii alterius emergit. Quod turrita eſt, id munimenta vrbis indicat : quod velata, id vero ſacram et principem fuiſſe , argumento eſt. Eſt enim ſuffibulum, quales virgines veſtales Romae gerebant , cum ſacris operarentur : *veſtimentum album praetextum quadrangulum oblongum , quod fibula comprehendebatur*, vt ait Feſtus. Etiam ceteros ſacerdotes publicos ſuffibula habuiſſe, cum ſacra facerent, tum Ioſephus Scaliger e lege in ſacrario deae Opeconſiuae fixa docet, tum e numis imperatorum ſacrificantium manifeſta res eſt. Rupes accliuem vrbis ſitum explicat et ſub ea eſt genius Scirti fluminis. Haec adeo ſunt nota, vt nihil magis. Nam quid ego veterem ſuperſtitionem repetam ab ſtirpe, quemadmodum ſuos montibus et arboribus et fluuiis rebusque

que aliis genios tribuerint, qui pro natura et conditione eorum per σύμβολα pingebantur, imitatione eiusce rei ad christianos vsque peruagante. Sic e codice seculi decimi, in quo catena Patrum in Psalmos est, Bernardus Montefalco (6) adfert hominem nudum violaceo panno ima corporis obtegentem, ramo viridi coronatum, dextera imposita capiti, sinistra truncum arboris complexum, cum epigraphe Ορος Βηθλεεμ. In eodem codice mulier ab umbilico ex aquis emergit, remum sinistra humeroque sustinet, dextera ori admota cum titulo, Ευθρὰ θάλασσα. Est etiam tertius genius montis Sinai, sinistra innixa in saxo, dextera radicem arboris tenens. Ad Eustathii Thessalonicensis (7) aetatem pictores summis montium φαντασίας ζώων appingere solebant, vt leonis, vt aliarum animantium, χειρογραφοῦντες μιμητικῶς τὴν ἀλήθειαν, hoc est, vt opinor, prouti seu natura seu species montis cuiusque arcano symbulo significari poterat. Hic genius Edessae vrbis manu tenet ante aram, siue pateram, vt in vno nostro Alexandri Seueri et in alio apud Valentem, (8) quod deuotam diis et sacrificantem pro incolumitate imperatoris populique Romani vrbem significat, siue spicas, fertilitatis et annonae symbolum, quam summam fuisse, vel ex Vilermo Tyrio ostendemus infra. In postremo aliquantum ambigo, potest enim fieri, vt flos sit aliquis, qui et ipse ad reli-

(6) in Palaeographia p. 11. (7) In parecbolis Homericis p. 1368. ed. Rom. (8) de coloniis p. 119.

religionem pertineat. In aliis numis genius ille vexillum tenet, vt in vno Valentis, coloniae ſymbolum, in aliis ſiſtrum, vt in vno Alexandri Seueri et Mammaeae, (Harduinus panarium mauult) aut colum, vt in alio eiusdem imperatoris apud Ioannem Fidealentem. (9) Et doctiſſimus antiquarius quidem etiam hic ſe putat ſiſtrum videre, ſed reuera colus eſt. Ceterum et colus pertinet ad religionem deae Syriae, de qua Lucianus, (10) habere eam aliquid et *Mineruae* et Veneris et Lunae et Rheae et Dianae et Parcarum et altera manu ſceptrum, altera vero colum tenere, in capite geſtare radios et ceſtum. Sidera, quae iuxta genium vrbis apparent, iam ſupra ex ſuperſtitione Edeſſenorum explicui. In duobus Ioannis Valentis numis Luni dei ſignum ante caput vrbis ſtat, eadem ſpecie cultuque, vt in numis Carrharum, vrbis vicinae. Vuildius (1) adfert numum Caracallae, in quo caput genii velatum atque turritum eſt, iuxtaque cernitur cornu copiae, vbertatis inſigne, cum litteris . . . . ONINIA quas ille interpretatur *Edeſſa Antoniniana*. In vno, quem ſupra e Patino exhibuimus poſtremum, incertum manet, an ipſo in numo ſiſtrum fuerit ad pectus genii, an colus. Eſt etiam numus apud Io. Valentem, in quo duo capita turrita et velata, alterum altero maius, ſe reſpiciunt ſuper ara. Duo capita ſuſpicatus eſt Fidealens, aut duos eſſe genios vnius vrbis, cuius moris exemplum, quod ſciam, exſtat nullum, aut alterum

(9) ib. (10) p. 675. (1) p. 176. (2) p. 35.

terum genium ſuperioris, alterum inferioris eſſe vrbis, quod ille argute diuinauit. Nam, vt ex iis, quae in Abgaro diximus, conſtat, pars maior vrbis poſt eluuionem Scirti translata fuit in editiorem regionem collis eius, qui includebat veterem vrbem.

III. Haec igitur vrbs colonia facta eſt Romana: militaris vtique, vt erant coloniae imperatorum omnium. Dicta autem eſt *Marcia* et Μαρκία Αυρηλία Αντωνειανὴ, vt Valens recte ſane legit, a M. Aurelio Antonino Caracalla. Ioannes Harduinus maluit Μάρκο-Αυρηλία Αντωνειανὴ legere, ſed illum Ezechiel Spanhemius iam in ordinem redegit. Vno tantum dicam verbo, hoc, in quo ſibi placet Archontianus ſenex, a Graeci ſermonis conſuetudine abhorret: attamen etiam hanc eius fallaciam inter noua ſeculi inuenta dedicauit Iobertus. Non autem tantummodo coloniae ius accepit Edeſſa, ſed etiam metropoleos dignitatem, et vt opinor, praecipuam totius Meſopotamiae. Ioanni Harduino, qui Phoenīciae ad Libanum metropolin Edeſſam fuiſſe contendit, ita ſatisfecit Noriſius, vt is ſententiam emendarit. Carrhae antea Metropoleos primae dignitatem tenuerunt. Teſtimonio eſt numus M. Aurelii Philoſophi apud Ioannem Valentem (3) in aduerſa inſcriptus, MAP. AYP. ΦΙΛΩΡ. M. A. αἰϱ. hoc eſt, vt ille eximius vir explicuit Μάρκῳ Αυϱηλιῳ Φιλωϱωμαῖοι μητϱοπόλεως πϱώτης αιϱ ſeu anno centeſimo vndecimo: in auerſa autem AYP. KAP-

(3) T. I. p. 179.

ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΩΡ. Μ. Α. Αυρηλίων Καρρηνῶν Φιλωρωμαίων μητροπόλεως πρώτης. Ioannes Valens A. 101. διὰ παραράματος, itaque cetera quoque quae habet, luxata pulcri corporis membra ſunt. Non potuit illa epocha Carrharum ab alio anno initium capere, quam a C. Memmio Regulo, L. Verginio Rufo Coss. ſeu A. C. 63. quibus conſulibus, aut potius, cuius anni exitu Corbulo in Meſopotamia res magnas geſſit, quas Cornelius Tacitus deſcribit. (4) *Non inſenſum, nedum hoſtili odio Corbulonis nomen etiam barbaris habebatur*, vt is ait, ita enim meruerat vir ſumma continentia et aequitate. Si ab eo anno Carrhenorum epocham numeres, et quidem ab Septembri, vt eorum populorum inſtitutum poſtulabat, numus ille cuſus eſt A. C. 173 exeunte aut A. C. 174. Quod autem aliud illa epocha poſtulat, quam vt exiſtimemus magna aliqua dignitate adfectas fuiſſe Carrhas a Nerone. Quid igitur? dicemus coloniam a Corbulone eſſe deductam in illam vrbem? nempe non iſta tunc erant tempora, vt hoc nobis in mentem venire conueniat. An iam tum metropoleos primae honore dignata eſt? Opinor equidem, nec ſatis tamen mihi ipſe fido. Sub M. Aurelio primum exſtat numus L. Aurelii, in quo colonia dicuntur Carrhae. An L. Verus eam deduxit confecto bello Parthico? Carrhae vtique cauiſſe ſibi videntur, ne, ſi qua alia metropolis, vt mos erat Romanis, in Meſopotamia pro-

(4) L. XV. 26. ſeq.

uincia conſtitueretur, de primatu diſceptari poſſet, eum igitur ex priuilegio occuparunt. Sed primae metropoleos dignitas Carrhenis poſtea ademta eſt. Nam in numis Antonini Caracallae dignitatem primae metropoleos non apponunt, quod ſuſpectum eſt: in numis vero Elagabali et Alexandri, Carrheni ſecundam metropolin vrbem ſuam appellant, (5) quae eſt directa confeſſio. ΚΑ. ΚΟ. ΜΗ. ΠΟΛ. Δ Κάῤῥα κολωνία μητρόπολις δευτέρα, in Antonini Elagabali numo: tum in numo Alexandri Seueri, ΚΑΡΡΑ. ΚΟΛ. ΜΗ. ΜΕC. Δ Κάῤῥα κολωνία μητρόπολις Μεσοποταμίας δευτέρα. Quam nunc dicemus Carrharum in locum priman metropolin Meſopotamiae fuiſſe? Nempe Edeſſam opinor. Ita viſum fortaſſis fuit Antonino Caracallae, ſingulari eam in vrbem in qua hibernabat, ſtudio. Sed intercedunt eruditi viri, qui ſeu Emiſam ſeu Amidam primae metropoleos in Meſopotamia titulo auctam fuiſſe, e numo quodam Francicae gazae coniiciunt. Is eſt cum προτομῇ Alexandri Seueri cuſus, dextera haſtam, ſiniſtro humero clupeum geſtantis. Inſcriptio, quae doctis viris crucem fixit haec ab aliquibus editur: EMI. KO. MH. MECCOΠ. in area, A. Ezechiel Spanhemius in Iuliani Caeſares ad Emiſam ſeu Εμισαν vrbem refert numum, (6) paullo poſt autem (7) ſententiam retractat et ΕΔΕ. putat in numo fuiſſe cuſum, vt ſit ΕΔΕCCA. At Io. Har-

(5) Apud Valentem T. II. p. 78. 116. (6) p. 96. (7) p. 491.

Harduinus in numis vrbium, primum firmo admodum, vt videtur, argumento Emiſam in numo non exprimi contendit, eam vrbem praeterea longius a Meſopotamia et Euphrate ſitam in finibus Phoeniciae fuiſſe monet. Tum vero Edeſſam non poſſe reponi oſtendit, quod litterae MI nimis diſerte in numo legantur, quodque Edeſſa non tribus tantummodo *primis litteris in numis occurrat*, quamquam poſtremum hoc e numis confellitur. Ergo AMI *Amidam* legit, quae etiam in notitia Hieroclis accleſiaſtica inter metropoles recenſetur. Contra ea Ioannes Valens EMI in numo diſerte legi adfirmat, (8) vt non poſſit non eſſe Emiſa : tum Amidam metropolin fuiſſe negat, neque enim extare numos, vt de Emiſa iam ſub Antonino Caracalla, a quo iſtam in vrbem colonia iuris Italici deducta eſt: (9) metropoles vero eccleſiaſticas argumento non eſſe, vrbem aliquam ciuili priuilegio fuiſſe metropolin. Quod ſi ita eſt, fuerit, inquit, alia cis Euphraten regio, cuius metropolis eſſet Emiſa, alia vltra Euphratem, in qua Edeſſa primum, Carrhae autem ſecundum locum tenuere. Sic Valens. Durum hoc eſt mehercle. Sed ſi EMI plane legitur in numo, vt Emiſa ſit, coniectura Harduini labefactatur, quae alioqui eſt nobilis, neque enim ex dignitate metropolitanae eccleſiae abſurde colligit, fuiſſe antea tempus, cum ciuium eminentia ea in vrbe praeualeret. Quod numi exſtant nulli, tem-

(8) T. II. p. 120. (9) Noriſius in epochis p. 97.

porum illa iniuria esse potest. At inuictum est Harduini argumentum, longe a Mesopotamia sitam esse Emisam. Mihi fere in hunc modum videtur. Primum illud A in area ad genium vrbis, potest fieri, vt non ad MH. pertineat: longe enim reiectum est, propemodum quanto interuallo ipsa Emisa ab Euphrate. Tum vero Mesopotamiam ego aliam in Syria quaero, non istam tamen Valentis. Sunt illic fluuii duo Orontes et Chrysorrhoas, qui regionem ambiunt, vt Euphrates et Tigris, quae regio ob eam causam facile Syris جزرتا *insula* atque بيت نهرين seu *Mesopotamia* appellata fuerit. Nostris vtique scriptoribus verum prouinciae nomen in qua Emisa fuit, non proditur. Plinius ad Cyrrhesticam trahit, Ammianus, Vlpianus et Stephanus ad Phoenicen, vicinas ad borapelioten et austrum regiones, Ptolemaeus ad Apamenen, ab Apamia vrbe Oronti et Emisae vicina. Si quis mihi molestus esse velit, malim equidem ad declinandam inuidiam in Harduini sententiam pedibus ire, quam etiam in antirrhetico defendit, vt Ezechiel Spanhemius, grauissimus numorum censor ante nos fecit, quam cum Valente Mesopotamiam cis Euphratem extendere ad Orontem. Fuerit igitur Emisa prouinciae suae metropolis, fuerit et Amida Mesopotamiae, vt Nisibis quoque, sed serius, sub M. Philippo Imperatore: manet tamen, Edessam ab Antonino Caracalla praerogatiuam ante Carrhas esse nactam. In notitia antiqua (10) etiam Edessa

(10) p. 61.

Edeſſa vocatur, ἐπαρχίας Οσροήνης μητρόπολις. Sed haec ſequioris ſunt aetatis.

IV. In tantam dignitatem Edeſſa euecta, Antoninus, vt ante diximus, Carrhas petens interfectus eſt a Martiale. Nicephorus Patriarcha in chronographia, (1) ἐσφάγη μεταξὺ Βαΐων καὶ Εδέσσης. Nihili illud *Βαΐων*, quod Ioſephus Scaliger facile videre potuiſſet: *repone Βατνῶν*, quae vrbs inter Edeſſam et Carrhas ſita fuit. M. Opelius Seuerus Macrinus ab exercitu imperator eſt ſalutatus, cum nondum appareret, eum caedis auctorem fuiſſe. Hic cum adeo prope Edeſſam haberet caſtra, quanto interuallo Batnae ab illa vrbe diſtabant, erat autem vnius diei iter, ſeu metu, ſeu adulatione Edeſſenos mouit, vt vrbem ſuam coloniam Opelianam Macrinianam appellarent. Numus eſt apud Io. Valentem (2) inſcriptus M. O. C. MAKPINOC. CEB. in auerſa MHT. KOΛ. EΔECCA cum nullum adhuc inſigne factum Macrini aut beneficium in vrbem exſtaret. At Harduinus ex Fucaltianis cimeliis titulum numi recenſet AYT. K. M. O. C. MAKPINOC in auerſa, A. O. M. EΔECCA. Αντωνειναγὴ Ωπελιαγὴ Μακριναγὴ Εδεσσα. Iulius Capitolinus in Macrino: (3) *pugnauit et contra Parthos et contra Armenios et contra Arabas, quos Eudemonas vocant, non minus fortiter, quam feliciter.* T. V. 10.

IV. De Antonino Elagabalo Georgius Syncellus (4) ſic habet: τινὲς δὲ τῆς ἑώας σρατιωτῶν ἐπιβυ-

(1) p. 304. (2) T. II. p. 66. (3) c. 12. (4) p. 357.

βυλεύσαντες αὐτῷ Αντωνῖνον Αὐρήλιον ἀνηγόρευσαν βασιλέα Εδεσηνὸν. Emenda Εμεσηνὸν. Emeſae enim non Edeſſae et natus fuit Elagabalus et ſacerdotio dei ſui perfunctus eſt. Illo imperatore tentorium Iacobi Edeſſae conflagrauit, de quo ſupra dixi. Thomas de Pinedō ad Stephanum (5) *non credo*, inquit, *nec ſunt ferendae fabulae, quae nec ad pietatem, nec ad mores conducunt.* Edeſſeni autem primum cum Elagabali nullum in Edeſſam exſtaret inſigne meritum, abrogato Macriniano cognomine, ne forte Imperatorem nouum offenderent, tantum metropolis et coloniae dignitatem inſcripſere in numo Iuliae Maeſae, quae Elagabali et Alexandri auia fuit. Numus eſt
T. V. 11. apud Ioannem Valentem, (6) qualem hic vides. Illi iunximus numum Elagabali inſcriptum ANTΩNEINOC C. . . AYT. KAI. in auerſa MHT. KOΛ.
T. V. 12. EΔECCHNΩN. quem ex oriente attulit Buxbaumius. Apud Io. Valentem (7) eſt numus, qui in-
T. V. 13. ſcribitur: AYT. K. M. AYP. ANTONEINOC. cum Elagabali laureato capite: auerſa habet mulierem turritam et velatam ceteraque ornatam vt ſuperioribus in numis. Spicas duas tenet. Valens in aliis ſe caniſtrum frugibus plenum vidiſſe teſtatur. Titulus eſt: MAP. AYP. KOΛ. EΔECCA. Alium deinde citat Valens eodem typo, in aduerſa inſcriptum: AYT. KAI. M. ANTΩNEINOC. CEB. in auerſa MAP. AYP. ANTΩ. EΔECCA. Μαρκία Αυρηλία Αντωνειναινὴ Εδεσσα. Hunc in cimeliis Fucal-

tia-

(5) p. 253. (6) p. 109. (7) p. 80.

tianis Harduinus quoque vidit. Tertium denique Ioannes Valens inſpexit, in quo titulus fuit ΑΥΡ. ΑΝΤΩ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCHΝΩΝ. Hi numi cuſi videntur primis Elagabali initiis cum maiorem Meſopotamiae curam gereret, quam cum poſtea eam ſine praeſidio reliquit. Ita enim Alexander Seuerus ad Senatum Romanum de rebus ſuis concionatus eſt: *multos Perſarum cepimus, terras Interamnanas, (Meſopotamiae ſcilicet,) neglectas ab impura illa bellua recepimus.* Sic Aelius Lampridius ex actis Senatus. (8)

V. At Herodianus (9) Alexandri laudibus magnopere detraxit, cum toto illo bello infeliciſſimum fuiſſe prodidit et ab Artaxerxe victum fugam atque latebras circumſpexiſſe. Lampridius tamen (10) nominatim Herodianum perſtringit et Eutropius Rufusque, *Alexandrum quaſi fato quodam in exitium Perſicae gentis natum, Perſarum regem viciſſe*, praedicant. Iulius Capitolinus quoque (1) Herodianum reprehendit, *quod Maximino in odium Alexandri plurimum fauerit.* Sed non prorſus abſurda atque abhorrentia a vero Herodianum ſcripſiſſe, ex Dionis Caſſii excerptis intelligi poteſt. Is ab Alexandro conſul iterum eſſe iuſſus, impenſe eius ſtudioſus, non tamen diſſimulat, veluti excuſans, defectione et tumultu exercituum res Romanas in Meſopotamia eſſe adflictas. Nam cum de Artaxerxe rege diſſeret, ita verba facit: (2) ὅτος τ' ἦν Φοβερὸς ἡμῖν ἐγένετο, οὐχ ὅτι αὐτὸς λόγου τινὸς ἄξιος ἦν

(8) c. 56. (9) L. VI. c. 5. (10) c. 57. (1) in Maximinis c. 13. (2) Apud Xipilinum et in excerptis Valeſianis p. 769.

ναι δοκεῖ, ἀλλ' ὅτι οὕτω τὰ στρατιωτικὰ ἡμῖν διάκειται, ὥστε τοὺς μὲν ἂν προσιέσθαι αὐτῷ, τοὺς δὲ οὐκ ἐθέλειν ἀμύνεσθαι, *is nobis terrori fuit, non quod ipſe aliquo in loco haberi mereretur, ſed quod eo in ſtatu res militaris apud nos eſſet, vt pars adeo ad eum transfugerent, alii pugnare nollent.* Acta Senatus, ad quae Lampridius prouocat, ſeu vanitatis aliquid habuere admiſtum, ſeu commodius explicanda eſt Alexandri concio. Nam motus illi orientales, vt ex Agathia Myrenaeo (3) cognoſcimus, ad quartum annum Alexandri et ſub quinti initia maxime concitati ſunt, cum Artaxerxes Perſa Artabano Parthisque deuictis Perſicum regnum reſtaurauit. Tum vero Artaxerxes, vt Dio habet, (4) Meſopotamiae et Syriae inhiabat, omnia, quae ditionis Perſicae olim fuerant, ſub iugum miſſurus. Herodianus excurſiones eius per Meſopotamiam commemorat. Ea igitur ſola Elagabali culpa fuit, quod Meſopotamiam aduerſus repentina non ſatis munitam reliquerat: Alexandri autem ea laus eſt, quod prouinciam confirmauit. Bellum hoc exortum eſt A. V. C. 980 A. C. 227 vt Pagium potius, quam Noriſium ſequamur: nihil enim eſt verius. Expeditio autem ab Alexandro demum A. C. 229. ſuſcepta eſt et A. C. 230. VII. Kal. Octobres triumphatum. Nam tametſi aliqua accepta eſt clades, tamen tanto Perſarum cum detrimento coniuncta fuit, vt quatuor annos pacis ſimiles induciae eſſent. Fasciculus temporum: (*) *Xerxem regem*

(3) L. IV. c. 11. (4) L. c. (*) Piſtorii T. II. p. 44. 6.

I
Æ

II
Æ

III
Æ


IV

V

VI
Æ

VII

VIII

IX

X
Æ

XI
Æ

XII
Æ

regem Perſarum maximo bello oppreſſit et ſic venit ad Edeſſam ciuitatem Abagari. Sic fere annum ipſum tenemus, cum ab Edeſſenis ſpe et fiducia virium Romanarum erectis numi ſignati ſunt. Primus ex his, quos Buxbaumius ex oriente aduexit, eſt cum capite laureato Caeſaris et titulo. . . . ΥΤ. Κ. Μ. Α. ΣΕΥ. ΑΛΕ. . . . Αυτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αυρήλιος Σεουῆρος Αλέξανδρος: in auerſa genius vrbis ſedet in rupe iuxta Scirtum et tres ſpicas altari fumanti admouet dextera: ante eum genium eſt maius aſtrum, pone ceruicem minus. Beli et Nabonis deorum, hoc eſt ſolis et lunae inſignia, ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝ. . . . . In altero numo Buxbaumiano eadem auerſa cum litteris in margine diſparentibus, in aduerſa CEB. ΑΥΤ. . . . ΞΑΝΔΡΟC. Tertius idem fere, niſi quod Edeſſa pateram dextera gerit, vt in Buxbaumiano deprehendimus. Hic numus a Ioanne Valente dilucide magis eſt editus, vt vides quarto loco, niſi ſi ea non numi virtus fuit, ſed Valentis elegantia, quae omnibus in numis artem magis conſectata eſt, quam naturam. Non tamen metuo, ne quid Valens titulo adiecerit ex ingenio, ita autem habet in aduerſa ΑΥΤΟΚ. ΜΑΡ. ΑΥΡ. CΕ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC in auerſa autem ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝ. Numus denique eſt apud Io. Valentem, quem hic quintum ſignauimus, inſcriptus ΑΥ. Κ. Μ. CΕ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. in auerſa genius vrbis dextera tenet vexillum et ita inſcribitur: ΚΟΛ. ΜΗΤ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ. Ioannes Valens ex eo coniecturam ducit, ab Alexandro Edeſſae coloniam

T. VI. 1.

T. VI. 2.

T. VI. 3.

T. VI. 4.

T. VI. 5.

militum Romanorum deductam fuiſſe. Verum quidem eſt iſthuc, in exercitu Alexandri multos fuiſſe milites male adfectos, quos recreandos curauit Alexander, quod Herodianus teſtatur, vt facile ad credendum induci poſſim, aliquos ex his Edeſſae cepiſſe ſedes : ſed ea non protinus fuit colonia deducta. Nam ius et decus coloniae Romanae iam antea vrbs adepta, illo non indigebat amplius : neque ſi qui aliquam in vrbem, quae colonia eſſet, recentes immigrarunt, ea idcirco colonia deducta fuiſſe dicebatur: non enim adhibebantur augurum et pontificum caeremoniae. Eſt vtique vexillum hoc coloniae, ſed non nunc primum deductae. Atqui, inquit Valens, ante hunc numum ſub Alexandro ſignatum, nullum vidimus Edeſſenum alium cum vexillo. Nempe vero neque omnes numi exſtant, et ſi omnino nullus cum vexillo antea cuſus fuiſſet, nihilo tamen minus tot tituli coloniae ius Edeſſae tribuunt. Numi quoque reperiuntur apud Triſtanum, (5) Occonem (6) et Patinum, (7) *inſcripti* ΜΗΤΡΟΠ. ΔΕCCΗΝΩΝ. et ΩΛΕ. ΔCCΗΝΩΝ. quos illi Deſſae in Aegypto attribuunt. Sed hos numos Ezechiel Spanhemius atque ſecundum eum Harduinus et Fideualens Edeſſae vindicarunt. Perfacile iſthuc παράδειγμα fuiſſe optimorum virorum, ex numis Edeſſenis, quos manu et oculis verſaui, intellexiſſe mihi ſum viſus. Contemplatus etiam ſum numum inter Buxbaumianos elegantem ſane Alexandri Seueri cum

(5) p. 405. (6) p. 438. (7) p. 282.

eum corona radiata et Mammaeae vultu, hac epigraphe: IM. A. C. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. . . . . in auerſa genius vrbis ſiſtrum tenet ad aram, cum maiori et minori ſidere, inſcriptus . . . HT. KOΛ. EΔE. . . Hunc numum Ioannes Valens quoque habet, ita ad capita imperatoris et matris inſcriptum: AYT. K. M. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. IOYΛ. MAMMAIA. *CEB.* Sed in auerſa genius colum tenet, (quem tamen Valens ſiſtrum appellat, vt picturae huic diffidere nos oporteat) et quatuor aſtra circum ſe habet: titulus eſt idem, qui in Buxbaumiano MHT. KOΛ. EΔECCHNΩN. Harduinus e cimeliarchio Mediceo ita citat numum: MH. KO. EΔECCHNΩN *dea turrito capite ſedet ſuper monticulis cum panario et ſtellis duabus: ad pedes, viri ex amne emergentis effigies*: AYT. KAI. M. AYP. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC *cum Mamaea matre.* Vt non tantum Alexandri vultu, verum Mammaeae quoque ſuos ſignarent numos Edeſſeni, id eo factum puto, quod Mammaea multum apud filium imperatorem potuit. Et videntur id ſenſiſſe Edeſſeni aliquo beneficio per matrem impetrato, cum exercitus Romanus Edeſſa tranſiret. Et Alexander, quod Herodianus refert, (8) ſagittarios multos ἐκ τῆς Οσροηνῶν χώρας contra Perſas inſtruxit. Cum de Germaniarum defectione nunciaretur, eosdem ſecum duxit. Sicuti Herodianus, ita etiam Lampridius: (9) *habuit in apparatu*

T. VI. 6.

Tab. VI 7.

(8) L. VI. c. 16. (9) in Alexandro c. 61.

tu Germanico etiam Oſdroēnos , quos Maximinus ad ſe recepit.

VI. Herodianus ait, Alexandrum ſecum duxiſſe Maurorum ἀριθμὸν πάμπολυν καὶ τοξοτῶν Ὀσροηνῶν τε καὶ Ἀρμενίων , ὧν ἦσαν οἱ μὲν ὑπήκοοι, οἱ δὲ φίλοι καὶ σύμμαχοι , *magnam multitudinem ſagittariorum et Oſrhoënorum et Armeniorum , ex quibus alii erant ſubiecti, alii amici et ſocii.* Mauros dicit ſocios , Oſrhoënos et Armenios ſtrictiori ſeruitute deuinctos. Oſdroëni ſagittarii, teſtimonio Herodiani et Iulii Capitolini (10) poſtea a Maximino Imp. defecerunt : *fuit etiam* , inquit Iulius, *ſub eo factio , deficientibus ſagittariis Oſdroënis ab eodem ob amorem Alexandri et deſiderium , quem a Maximino apud eos occiſum eſſe conſtabat , nec aliud perſuaderi potuerat.* Hi ducem ſibi praefecerunt Tycum, ſeu Ticum, vt erat in membranis Palatinis, ſeu, vt Herodianus habet , Quartinum. In eo ſe torſit Iſaacus Caſaubonus et Herodianum corruptum fuiſſe cenſuit : nam nihil eſt vero magis conſentaneum , quam Titum Quartinum fuiſſe appellatum. Sane ita quoque apud Herodianum fuiſſe, argumento eſt, quod Trebellius Pollio Dexippo et Herodiano auctoribus vitam huius tyranni percenſens, Titum vocat. Idem memoriae traditum reliquit, T. Quartinum hunc tribunum Maurorum fuiſſe antea et ab Maximino inter priuatos relictum , coactum vero a militibus imperaſſe ſex menſes. Aliis teſtibus , ab Ar-

(10) Iulius Capitolinus in Maximino c. 11.

Armenis ſagittariis, quos Maximinus, vt Alexandrinos quoque et oderat et offenderat, princeps et imperator eſſe coactus eſt. Miratur hic atque haeſitat Pollio : ſed non magnae operae eſt conciliare inter ſe ſententias. Nam Mauros (quos credo ille Alexandrinos dicit) et Armenos et Oſrhoenos ſagittarios, vnum corpus conſtituiſſe, ex Herodiano tenemus. Vir *fuit* T. Quartinus, vt ait Trebellius, domi *foris*que in re publica perquam probabilis. Vxor ei Calpurnia, *foemina ſancta et venerabilis*, e veteri Piſonum domo, quae poſt mariti mortem ſacerdos fuit. Herodianus hunc Titum τῶν ἀπὸ ὑπατείας καὶ Φίλων Αλεξάνδρου fuiſſe praedicat, quod fruſtra vellicauit Caſaubonus. Quid enim prohibet, conſularem dicere, quamquam inter ordinarios conſul non fuit ? Sicuti eum milites inuitum purpura circumdederunt et alio apparatu imperatorio, armisque ſuis, ita ſexto poſt menſe, vbi Magnum conſularem virum a Maximino deficientem oppreſſum accipiebant, poenitere conſilii ſui milites coepit. Itaque T. Quartinus in tentorio dormiens, ab amico, cui Macedoni nomen fuit, obtruncatus eſt. Sagittarii Oſdroeni et Mauri cum Maximino Imp. in gratiam redierunt et aduerſus Germanos profecti, non contemnendam in bello operam praeſtiterunt. (1) Edeſſeni ſub Maximino, apud quem ciues ſui militabant, numum hunc percuſſerunt, qui apud Valentem exſtat, inſcriptum, T. VI. 8.

AY-

(1) Capitolinus c. 11. et Herodianus l. c.

AY. Γ. IO. MAΞIMEI. CEB. *Autocrator C. Iulius Maximinus Aug.* In auerſa eſt caput vrbis geniale: MHT. KOΛ.. EΔECCA.

VII. Poſtquam per Alexandrum imperatorem induciae cum Artaxerxe Perſarum rege conuenerunt, quatuor annorum pax ſecuta eſt. Choſroes Artaxerxis filius rebellauit, cum Romani bello Germanico et inteſtinis ſeditionibus occuparentur. Ergo Gordianus tertius, orientis pacandi cauſſa cum exercitu eſt profectus. Iulius Capitolinus (2) ſic habet: *per Syriam in Antiochiam venit, quae a Perſis iam tenebatur: illic frequentibus praeliis pugnauit et vicit, Sapore Perſarum rege ſubmoto, Antiochiam recepit, Carrhas atque Niſibin, quae omnia ſub Perſarum imperio erant: rex ſane Perſarum tantum Gordianum principem timuit, vt, cum inſtructus eſſet et ſuis copiis et noſtris*: (nam ſub Alexandro exercitus Romani pars defecerat ad Perſas et praeſidia Romana in Meſopotamia Syriaeque parte aliqua conceſſerant poſtea in ditionem barbarorum) *tamen ciuitatibus ipſe praeſidia ſponte deduceret, easque integras ſuis ciuibus redderet, ita, vt nihil, quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret.* Haec tam praeclare facta confirmantur etiam ex Gordiani ad Senatum litteris, in quibus Miſitheo praefecto et ſocro gratiam habet, quod conſiliis eius res ita conſtitutae fuerint, vt dignitas imperii poſtularit. Carrhas iſthic ſe dicit imperio Ro-

(2) in Alexnadro c. 26.

Romano reddidiſſe et ceteras vrbes. In his ſane Edeſſam metropolin primam et multo clariorem vrbem potius nominaſſet, quam Carrhas, niſi in fide Romanorum manſiſſet. Ex Agathia Myrinaeo (3) intelligo, poſt Artaxerxis regis mortem, quae in annum quartum Gordiani incidit, Saporem Romanas prouincias maximis cladibus adfeciſſe. Eodem tempore *Gordianus vxorem duxit Miſithei* filiam et poſt *paullo expeditionem ſuſcepit resque in Meſopotamia geſſit* A. C. 241.

VIII. Ea tempeſtate res Edeſſenae aliam conditionem ſubierunt: quae qualis fuerit, e numis intelligere mihi videor. Nam et metropoleos coloniaeque dignitas illa in vrbe manſit et ſpecies tamen aliqua regni Oſrhoeni reſtituta eſt. Apud Valentem (4) numus exſtat inſcriptus AYT. K. M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CEB. in auerſa autem MHTPO. ΚΟΛ. ΕΔΕCCHNΩN. Ante muliebre caput turritum et velatum columna ſtat, in qua Diana dextera telum, ſiniſtra ſcutum tenet. Inter eos vero numos, quos *Buxbaumius* ex oriente attulit, vnus quoque eſt, qui Gordianum cum ſcuto et haſta pura exhibet, ab auerſa autem genium ſedentem in rupe cum ſpicis et Scirti fluminis daemone. Titulus et in capite et in naue obtritus. Nihilo igitur imminuta fuit ſiue coloniae, ſiue metropoleos praerogatiua in Edeſſa vrbe, Gordia-

T. VI. 9.

T. VI. 10.

(4) p. 145.

diano Imp. Et nè quis putet, illos numos quos retulimus, expeditione Perſica Gordiani vetuſtiores eſſe, hoc autem tempore Edeſſae ablato coloniae et metropoleos iure, vrbem cum territorio in poteſtatem Abgari regis conceſſiſſe, en tibi apud Valentem quoque (5) Furiae Sabiniae Tranquillinae numum: ΦΟΥΡ. CABINIA TPANKIΛΛINA CEB. in auerſa idem τύπος, qui in ſuperiori Gordiani numo, eadem inſcriptio MHTPO. KOΛ. EΔECCHNΩN. Iam vt ſupra oſtendi, ducta Tranquillina, in orientem mouit Gordianus, vt hic numus conſecratus ſit praeſenti numini Auguſtae, aut etiam bello confecto. Neque enim diuturnum fuit. A. C. 243. Romae quinquennalia celebrauit Gordianus. Praeterea exhibebo infra numum Edeſſae coloniae ſub Decio Traiano Imp. vt manſiſſe ius ſentias. Si colonia manſit, metropoleos praerogatiua non fuit ablata vrbi, cui bene cupiebat imperator. Igitur excepta Edeſſa vrbs eſt, cum Oſrhoene cum ſuis caſtellis Abgaro regi traderetur. Nec fas erat, colonos Romanos ſeruire barbaro regi. Quam ob cauſſam Edeſſenum chronicon ceteriquè orientales ſcriptores, huius Abgari nullam rationem habuere. Deſiiſſe reges Edeſſenos ſub Caracalla conſentiunt.

IX. Frequentes autem ſunt numi Abgarorum regum ſub Gordiano. Ex illis ſimul intelligo, duos fuiſſe Abgaros, eodem tempore: vnus enim ſenili vul-

(5) p. 155.

I

Æ

II

Æ

III

Æ

IV

Æ

V

Æ

VI

Æ

VII

VIII

Æ

IX

X

XI

vultu, alter iuuenili in flore cernitur. Apponam primum numos Abgari ſenis. Primus caput Gordiani laureatum habet cum aſtro maiori, inſcriptum... ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CEB. et in auerſa Abgarum ad pectus vsque, ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛΕΥC. Hunc Buxbaumius ex oriente attulit: et is fortaſſe eſt, quem Patinus quoque vidit. (6) Sed nos primum citabimus Buxbaumianos a nobis inſpectos: ſunt enim complures. *Alter inſcriptus eſt circum Gordiani caput laureatum...* ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. *in auerſa* ΑΒΓΑ... ΒΑCΙΛΕΥC. Tertius duabus litteris mirifice corruptis ΑΥΤΟΚΡ. Μ. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC in poſteriori area ..... C. ΒΑCΙΛΕΥC. Quartus integrior in priori area ΑΥΤΟΚΡ. Μ. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CEB. in auerſa ΑΒΓΑΡΟC.... Quintus eſt elegantiſſimus et integerrimus ΑΥΤΟΚΡ. Μ. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CEB. et ad Abgari caput ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛΕΥ. Tres qui ſequuntur, nihil ſingulare habent: ſuperuacanea opera eſt mea, ὀρθογραφίας, quae in litteris iſtis occurrit, naeuos aut rationem explicare: vultuum omnium tanta eſt congruentia, quanta poteſt maxima. Poſtremo illum e Patino numum, quem antea dixi, ſubieci, vt comparari queat. Hi igitur ſunt numi Abgari ſenis a me viſi.

T. VI. 11. T. VI. 12. T. VII. 1. T. VII. 2. T. VII. 3. T. VII. 4. 5. 6. T. VII. 7.

X. At Buxbaumius alium numum ex oriente nobis attulit, Abgari regis iuuenili vultu et vigore.

(6) in numiſmatis Imp. p. 301.

T.VII. 8. Gordianum Imp. ad pectus vsque exhibet cum scuto et hasta tituloque, vt vides, paullulum obtrito : AYTOKP. . . . . NOC. CEB. in auersa ABΓAPOC. BACIΛEYC. Hoc ipsum, quod in armis est Imperator, mihi indicare videtur, numum esse cusum eodem tempore, quo cum maxime Gordianus contra Persas bellum gerebat. Is tantillo tempore, quod in orientem egit et patrem opinor Abgarum, quem Roma secum duxerat, Osrhoenes regem esse iussit atque illo defuncto, filium eodem in regno confirmauit. Abgarum igitur senem puto esse eum, quem supra Abgari postremi regis filium Romae egisse ex inscriptione ostendi. Et vt tum suspicatus sum, fuerit admodum quinquaginta annorum, cum a Gordiano in Osrhoeno regno collocaretur. Ab ea autem aetate non refugit vultus huius Abgari in numis, quemadmodum alter Abgarus, filius eius annos viginti aut paullo amplius habere videtur suis in numis. Non igitur duos hos Abgaros a Ioanne Tristano et Carolo Patino confundi patiemur. Duos alios numos produxit Patinus, quorum in altero Abgarus eques conspicitur manum protendens, in altero coram Gordiano imperatore sine candy stat et sinistra sceptrum tenet, dextera tiaram tangit. Tristanus illum Abgarum ab Artaxerxe fugatum, a Gordiano restitutum fuisse censet, in quo Patinus acquiescit, tantummodo addit, Abgarum hoc cultu testari, *se aut in pace aut in bello gratias acturum.* Respicit Patinus isto dicto tum equitem tum stantem Abgarum, atque in eo sibi placet. In priori numo

T.VII. 9. 10.

ipsa

ipſa equitantis et manum protendentis figura aduentum indicat. Ita enim in numis illius aetatis, vt in numo Elagabali, qui inſcribitur ADVENTVS. AVGVSTI et Philippi vtriusque cum titulo ADVENTVS. AVGG. et in multo vetuſtioribus, vt in Philippi Macedonis apud Begerum. (7) Credo autem hunc Abgarum, defuncto patre in caſtra veniſſe ad Gordian[illegible] corporis exercitum ſalutare Romanum. Triſtanus quidem Abgarum camelo vectum producit, (8) cum titulo ΕΔΕCCΕΩΝ. ſed hic numus mihi non ob vnam cauſſam ſuſpectus eſt. Spanhemii de Triſtani ſcito quidem et eleganti attamen praecipiti in interptetandis numis ingenio iudicium, vt mitiſſimi et honeſtatis amantiſſimi viri ita probo, vt nihil Triſtani ſolidae laudi, cui faueo, detractum velim. Fuluius Vrſinus ſibi perſuaderi eſt paſſus, verum iſtum Abgari numum eſſe. Sic enim ille ad annales Taciti, (9) *Hic* (Abbarum quem vocat Tacitus) *in numismate aereo Gordiani Pii Imperatoris dicitur* ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛΕΥC. *in cuius numiſmatis altera parte caput ipſius regis diadematum cum titulo, ſi recte memini,* ΕΔΕCCΕΩΝ *ſignatum eſt: in alio autem eiusdem Gordiani numiſmate item aereo, rex ipſe camelo inſidens impreſſus eſt, cum eodem titulo: camelus autem Arabum inſigne eſt.* Qui poterat ille Abgarus Taciti ſub Claudio Imp. in numo Gordiani temporibus ſignari? Et titulus ΕΔΕCCΕΩΝ quo alio in aere, qua in membrana eſt viſus? Vereor ne equum Patini in

(7) T. I. p. 248. (8) T. II. p. 520. (9) l. XII. c. 12.

in numo, Triſtanus et Vrſinus crediderint eſſe camelum. Quem autem regem camelo vectum in oriente accepimus? Redeo ad Patini numos. In altero eorum omnia ſunt precarii regni tunc maxime in caſtris a Gordiano ſuſcepti. Gordianus imperator cum paludamento et corona ſtat concionantis in morem dextera ſublata, ſiniſtra orbis terrarum σύμβολον tenet. At Abgarus adoleſcens ſtat ſine toga et candyc plane Tigranes rex Armeniae aditurus ad Cn. Pompeium et χιτῶνα μεσόλευκον et candyn ὁλοσώρφυρον poſuit. (10) Atque vt Tigranes ante pedes Magni diadema abiecit, ita Abgarus tiaram manu attingit, veluti poſiturus, ſeu veluti manu tangens tiaram honoris cauſſa, vt mos erat orientalium, nunc maxime dicat:

Tuus eſt, Romane, quod optes,
Explorare labor: mihi iuſſa capeſſere fas eſt:
Tu mihi quodcumque hoc regni, tu ſceptra Iouemque
Concilias.

Sceptrum tenet non rectum, ſed pone verſum, veluti *qui aderat ad imperandum, vel ad parendum potius*, vt Tullii ioco vtar. Lubet enim iocari, vbi Ioannes Harduinus iterum, vt Imperatorum Romanorum maieſtatem irrideat, magnifice ſe iactat in Abgaro. Accipe, quae ille in hiſtoria Auguſta dicat: (1) *Imperator laeua tenet orbem Romanum: Abgarus Parthorum regulus laeuam enſi, dexteram tiarae admouet: vel-*

(10) Dio Caſſius p. 29. Plutarchus in Pompeio p. 637. (1) p. 830. operum ſelectorum.

veluti in ſe ſuſcipiens pro virili orbem Romanum coniunctis viribus animisque cum Gordiano tutandum. Alium numum Harduinus apud Chamillartum vidit inſcriptum : AYTOK. K. M. ANT. ΓOPΔIANOC. CEB. capite laureato, in auerſa AYTOK. ΓOPΔIANOC. ABΓAPOC. BACIΛEYC. *Gordiano ſedenti cum haſta Abgarus ſtans et mitratus bacillum imperatorium laeua gerens dextera victoriam porrigit : foederatum regem haec ſymbola ſignificant.* Quippe vero foederatum more Romano, vt parum diſtaret a conditione ſerui. Ne illud quidem Harduinus aliquo argumento aut veritatis ſpecie, quod numos ad A. C. 240. ponit.

XI. Nulla ab hoc tempore memoria Abgarorum regum, non in numis, non in noſtris aut Syriacis monumentis. Breue videtur fuiſſe regnum Abgari huius, cum Philippo Gordiani parricidae diſpliceret Abgarus beneficio Gordiani deuinctus. Priſtinam Edeſſae libertatem e numo Decii Traiani apud Io. Valentem (2) cognoſce. Caput Decii laureatum eſt, cum hac epigraphe : AY. ΔEKIOC. CEB. caput Edeſſeni genii velatum et turritum, KOΛ. EΔEC-CA. Ad hunc numum praeſtantiſſimus vir annotauit : videri eum ſignatum, cum Decius L. Priſcum bello perſequeretur: illum autem Priſum Syromacedonum fuiſſe praeſidem, teſte Zoſimo, et profectum in Syriam eſſe, legi apud Ioannem Chryſoſtomum de T. VII. 11.

(2) p. 197.

de Iunencio et Maximo martyribus. Zoſimus tradit (3) L. Priſcum in Syria exercitibus praefectum fuiſſe a Philippo imperatore, huius autem Philippi fuiſſe fratrem L. Priſcum. Καὶ Πρίσκον μὲν ἀδελφὸν ὄντα, τῶν κατὰ Συρίαν προεστήσατο στρατοπέδων: tum Myſiae et Macedoniae copias traditas Seueriano Philippi genero. Hoc ita prouiſum videtur a Philippo A. C. 244. aeſtate, cum imperium adiiſſet. At Decius res nullas cum L. Priſco Syriae praefecto geſſit. Nam Aurelius Victor de hoc Priſco diſerte: *Per eos dies L. Priſco qui Macedonas praeſidatu regebat delata dominatio, Gothorum concurſu, poſtquam direptis Thraciae plerisque illo peruenerant: qua cauſſa Decio, quam potuit maturrime Roma digreſſo* et quae ſunt reliqua. Nequidquam Valens hic pro Macedonia, Syromacedonas reſcribit: nam omnia Victoris verba cohaerent, ſi nihil immutetur, quod contra fit, ſi quid moueas. Neque ἄκυρον quidquam in Victoris hoc loco eſt. Nam aut Philippus extremo tempore fratrem e Syria reuocauit ad Macedoniae praefecturam, aut Decius ipſe, vt in propinquo obſeruare eum poſſet, quem quacumque de cauſſa trucidari noluit. Superfuit ſane L. Priſcus vsque ad A. C. 251. eo enim anno, qui ſecundus imperii erat, Decius aduerſus eum et Getas mouit. Iam ante Ioannem Valentem Baronius Cardinalis Decium contra Perſas profectum prodidit e ſubleſtae fidei actis S. Mercurii, vt oſtendit magno et excellenti ingenio vir,

(3) L. I. c. 19.

vir, Antonius Pagius. Quare nihil huiusmodi nobis de numo Edeſſeno in mentem venit, quod Valenti. Signandae monetae cum Decii vultu nulla alia cauſſa Edeſſenis fuit, quam quod imperaret.

XII. C. Vibius Trebonianus Gallus Auguſtus impar erat tanto imperio, cum clades accepta Decii caſu Perſas excitaret. Hi, teſte Zoſimo, (4) Meſopotamiam occuparunt et in Syriam vsque progreſſi in armis, Antiochiam orientis metropolin ceperunt. Niſi Perſae ipſi hunc victoriarum ſuarum modum poſuiſſent, Aſia omnis fuiſſet intercepta. Non credo Zoſimo de omni Meſopotamia ſtrictim dicenti, atque interpretor Meſopotamiae eam partem, quae ad Tigrim ſita eſt, Perſarum in poteſtatem conceſſiſſe: nam Edeſſa ne quidem petita eſt a Sapore. Quae erepta erant Romano imperio P. Licinius Valerianus imperator vt recuperaret, in orientem profectus eſt, ſed ſexto demum anno imperii, vt poſſis intelligere, Perſas ſub Gallo iauaſiſſe Meſopotamiam, ſub primis autem annis Valeriani et Gallieni paullatim eſſe progreſſos. Hic autem imperator, vt erat ſegnis, vt res imperii Romani in ſumma perturbatione fractae iacebant, miſerabilem caſum ſubiit, vt ne quidem ſatis conſtet, praelione aduerſo victus in poteſtatem Perſarum venerit, an in colloquio cum Sapore rege ex inſidiis ſit captus. Trebellius Pollio *victum ſeu fraude ſeu aduer-*

(4) L. I. c. 27.

uerſa fortuna dixit. Victor Schotti: *in Meſopotamia ſuperatum, mox etiam captum.* Zonaras (5) Perſas ſcribit Edeſſam obſediſſe, eos vero Valerianum non auſum adoriri, priusquam Edeſſenos milites crebris eruptionibus magnas clades hoſtibus inferre cognouit: adortum deinde Perſas, aduerſo praelio caeſis Romanis, ipſum cum ſatellitibus viuum hoſtium in manus veniſſe. Alii tradunt, Valerianum, cum Edeſſae ageret et milites fame vrgerentur, ſeditionibus exagitatum profugiſſe ad Perſas, ſeque et legiones tradidiſſe: exercitum, re cognita, eſſe dilapſum: et tum vero primum Antiochiam a Sapore eſſe captam. Sic enim Georgius Syncellus: (6) τῷ δὲ Ρωμαϊκῷ στρατῷ λιμώξαντος ἐν Εδέσῃ ᾗ διὰ τοῦτο ταραχθέντος, Ουαλεριανὸς πτοηθεὶς ᾗ χηματισάμενος ἐπὶ δευτέραν ἴεναι μάχην, ἑαυτὸν προέδωκεν τῷ Περσῶν βασιλεῖ Σαπώρῃ, συνθέμενος ᾗ τὴν αὐτῷ στρατιὰν προδώσειν. ὃ δὲ ἀιθόμενοι Ρωμαῖοι μόλις διέφυγον, ὀλίγων ἀναιρεθέντων. Cui teſtimonio non opponi debet Zoſimus, cum omnia ſtrictim et negligenter narrat, nec tamen contradicere videtur. Cum interim Gallienus ſumma ſocordia Romae ageret, Calliſtus Romanorum dux Saporem paene oppreſſit Edeſſamque metu liberauit. (7) Ad haec credo tempora acciderunt, quae in Petri Patricii excerptis Conſtantinianis legimus: (8) Saporem magno in diſcrimine Euphratem traieciſſe, exercitibus Per-

(5) T. I. p. 629. (6) p. 381. (7) Georgius Syncellus p. 382. (8) p. 25.

Perſicis, qui in Meſopotamia remanſerant, congratulantibus, quod commilitones ſeſe maximis periculis expediuiſſent: at metum ſuperfuiſſe conſternatis ob praeſidiarios Edeſſenos, itaque miſiſſe Choſroem in vrbem, qui oſtenderent, ſe nullo vano metu ex agro hoſtili diſcedere, ſed vt feſtos quosdam dies concelebraret, itaque contendere ſe et monere, *ne qua moleſtia* ſuas copias adficerent, ſe illis omnem Syriacam monetam, quam haberet ſecum ex rapinis, munifice largiturum, ſi conquieſcant. Praeſidiarii eam conditionem acceperunt atque e manu miſere Perſas, quos prope circumuentos, vt feras in cauea adoriri potuiſſent. Pugnatum eſt igitur ad Antiochiam aut certe in agro Syriaco, vnde receptus erat Zeugma et traiecto Euphrate in vicino Edeſſae agro Batnaeo. Poſt paullo Baliſta praefectus Valeriani M. Fuluium Macrianum patrem et filios eius Q. Macrianum Fuluium et Quietum Fuluium ad imperium extulit. Hi quoque rem Romanam in Syria et Meſopotamia aduerſus Perſas ſuſtinuerunt, donec Macrianus vterque contra Aureolum et Gallienum duxit. Tum enim Quietus ſolus cum Baliſta orientem tenuit. Caeſis autem Macrianis patre et filio, Odenathus Palmyrenus rem publicam ſuſcepit, deficientibus ad eum a Quieto et Baliſta vrbibus. Aggreſſus eos Emeſae Odenathus, praelio ſuperior a Gallieno Imp. dux orientis conſtituitur. Omnia e Zonara. (9) Hic ille cum Per-

 ſis

(9) T. I. p. p. 633. adi ſis Trebellium Pollionem in tyrannis.

ſis non ſemel conflixit, victorque regiones, quas ceperant, recuperauit. Receptae ſunt Carrhae in vicino Edeſſenis agro, tum Niſibis et ceterae deinceps vrbes, donec Cteſiphontem vsque peruentum eſt. Tanta fortuna et virtute ſua Odenathus niti atque non iam pro duce orientis ſe gerere, verum in numis quoque ſummum Αυτοκράτορος faſtigium ſignare fauente et Syria omni et Meſopotamia. Hoc vero Gallienus Imperator Senatusque Romanus cum impedire non poſſent, vltro ei detuliſſe dicuntur Trebellio Pollioni. Haud ita multo poſt Odenatho Emeſae interfecto per inſidias Maeonii conſobrini ſui, Zenobia Odenathi vxor, mulier fortis imperium magno animo ſuſceptum, maiori virtutis fama geſſit. Claudius Imperator eam paſſus eſt regnare: ſed Aurelianus Auguſtus Zenobia deuicta Meſopotamiam recepit. Etiam Carus Imp. in Meſopotamia contra Perſas res geſſit et cum Perſae rurſum ſe efferrent, Diocletianus Alexandriae Aegyptique rebus compoſitis Galerium Maximianum Caeſarem cum copiis contra eos miſit. Ancipiti belli iſtius principio, res ſecundas fuſis fugatisque Perſis et non modo Meſopotamia omni, ſed etiam quinque trans Tigrim fluuium gentibus in poteſtatem redactis conſecutae ſunt. Haec A. C. 297. geſta docet Pagius.(10)Claudius Mamertinus:(1)*Credo itidem opimam illam fertilemque Syriam, quam velut amplexu ſuo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano ſponte ſe dederent*

(10) Vide Rufum, Eutropium, Zonaram. T. I. p. 641. (1) In Panegyrico ad Maximianum Herculeum. c. 7.

rent regna Perſarum : verum haec Iouis ſui more, nutu illo patrio, quo omnia contremiſcunt et maieſtate veſtri nominis conſecutus eſt. Lactantius de mortibus perſecutorum, (2) *Maximianus Caeſar inſidiis ſuis barbaros, quibus mos eſt cum omnibus ſuis ad bellum pergere, multitudine impeditos et ſarcinis occupatos non difficulter oppreſſit : fugatoque Narſeo rege, reuerſus cum praeda et manubiis ingentibus, ſibi attulit ſuperbiam, Diocletiano timorem.* Non laudo, quod detrahere videtur maximis rebus geſtis, odio hominum et temporum taedio. Pax ex eo annos quadraginta fuit, quod Perſae in maximi apparatum belli impenderunt, donec extremis Conſtantini Magni annis illa procella erupit. Diocletiano adhuc imperante, magnam cladem Edeſſa accepit ab eluuione aquarum. Nam chronicon Edeſſenum atque etiam Aſſemanno citante Dionyſius Telmarienſis ad A. Edeſſenum 614. A. C. 303. Diocletiani viceſimum, menſe Maio referunt, fluuium Scirtum, murorum parte, quae orientem ſolem reſpiciebat, deiecta, magnam in vrbe ſtragem aedium hominumque et pecorum edidiſſe et rebus totius Edeſſeni atque Carrheni agri vniuerſis.

XIII. In illa alta pace, qua Conſtantinus Magnus orientem rexit, ordinatio prouinciarum facta eſt, qualis perpetua futura eſſet, multaque ob eam caus-

(2) c. 9. Adi Petrum Patricium in excerptis de legationibus p. 26. ed. Paris.

cauſſam ex priſcis inſtitutis aut abrogata ſunt aut reformata in melius, non pauca tamen etiam e priſcorum imperatorum conſtitutione ſunt relicta. Incertum tamen eſt, Diocletianusne an Conſtantinus M. Meſopotamiam in duas prouincias diuiſerit, Meſopotamiam propriam, in qua metropolis Amida et Oſrhoenen, in qua Edeſſa fuit. Noriſius Cardinalis tamen ſuſpicatur, ne ſub Conſtantino quidem, ſed ſub Conſtantio filio illam ordinationem orientis eſſe factam. Nam in Nyceno concilio, inter Meſopotamiae epiſcopos primus ſubſcripſit *Aetholaus* Edeſſenus et A. C 341. iam regnante Conſtantio, in Antiochena ſynodo: *prouinciae Meſopotamiae Aetherius Edeſſenus.* In ſynodi CPlitanae ſubſcriptionibus vero eſt: *Prouinciae Oſdroenae Eulogius Edeſſenus. Prouinciae Meſopotamiae Mareas Amidenſis.* Synodus CPlit. coacta eſt A. C. 359. quintis Conſtantii Aug. quinquennalibus, anno poſt finem conſecuta. Ex eo tempore in notitiis imperii et eccleſiae atque in libello prouinciarum Romanarum ſub Theodoſio, Aſia omnis in Aſiaticam dioeceſin, quae Aſia proconſularis fuerat priſcis temporibus, Orientem et Pontum diuiditur. Orientis prouinciae praeter Syriam vtramque, Phoenicen, Iſauriam, Ciliciam, Cyprum, Euphrateſiam, erant Meſopotamia propria et Oſrhoene atque Sophane proxime Armeniam. Armenia enim ipſa in Ponto cenſebatur. Theodoretus, vt primo dixi libro, his fere temporibus Osrhoenen ad occidentem Euphrate definit, ad orientem Aſſyria ſeu Adiabene Perſicae ditionis prouincia trans Tigrim. In notitia eccleſiae ad Edeſſam metro-

tropolin vrbes contributae reperiuntur, Carrhae, Batnae, Callinicum, Birtha. Birtham puta illam ad Tigrim, quae Adiabenae vicina fuit. Rhesainam quoque et Himerium sub ea metropoli censeri video. Synecdemus Hieroclis, (3) ἐπαρχία Ροσρωήνεν (recte Anselmus Bandurius Οσρωήνης) ὑπὸ ἡγεμόνα πόλεις θ'. Sunt autem Edessa, Constantia siue Tela, Theodosiopolis (quamquam ea potius in Armenia censebatur) Carrhae, Batnae, Noua Valentia, Leontopolis quae et Καλλινίκη, Birtha. Ἐπαρχία Μεσοποταμίας ὑπὸ ἡγεμόνα πόλιν ἁ Αμιδα. Duces igitur duo fuerunt, ἄρχοντας vocat Iustinianus Imperator, (4) alter Osrhoenes alter Mesopotamiae, ille tanto illustrior, quanto maior atque firmior prouincia Osrhoene erat: vterque sub Comite orientis. Ad alendos milites praesidiarios vtriusque ducis descripta fuere praedia inde vsque ab Alexandro Seuero. Sic Aelius Lampridius in Alexandro, (5) apponam enim totum locum, quia legem imperatorum quam mox subiungam, mirifice illustrat: *Sola quae de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus et militibus donauit, ita vt eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec vnquam ad priuatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent: addidit sane his et animalia et seruos, vt possent colere quod acceperant: ne per inopiam hominum vel per senectutem possidentium desererentur rura vicina barbariae.* Recte Cau-

(3) p. 48. in imperio Orientalii Bandurii (4) Nouella VIII. cap. XV. (5) c. 58. *Sola* cum dicit, puto a *solo* multitudinis numero quamquam inusitato dicere, *terras. Terras, quae de hostibus captae sunt.*

Cauſabonus *barbariam* dictam oſtendit quamcumque regionem extra Romanum orbem : prouidentia Alexandri tamen maxime Meſopotamiae fundos limitotrophos contra Perſas inſtituiſſe videtur, vnde ſummum diſcrimen metuebatur. Cognoſcitur ex lege Theodoſii Iunioris et Valentiniani III. limitaneos milites, *ex priſca diſpoſitione*, agros limitaneos cum paludibus omnique iure ab omni munere vacuos pro ſuo compendio ipſos curauiſſe et araſſe. (6) At illam diſpoſitionem diuorum imperatorum priuatae cupiditates interuerterunt, occaſionem, vt videtur, nactae e Conſtantini M. liberalitate. Dicitur enim primus legem tuliſſe, vt oppida, villae, agri, emeritis Comitibus et Ducibus aliisque militaris ordinis aſſignata, ad eorum quoque in vniuerſum haeredes transirent. (7) Sapienter Alexander legi ſuae de limitaneis militibus adiecerat, ſic agros adſignatos etiam in haeredum poteſtate futuros, ſi militarent. At hi paullatim, illorum exemplo, qui a Conſtantino agros non limitotrophos acceperant, agros quoque ſuos limitaneos tamquam priuatum peculium heredibus non militantibus tranſcribebant, aut vt e Theodoſii et Valentiniani ſuperiori lege conſtat, vendebant. Hanc fraudem Gratianus, Valentinianus et Theodoſius A. A. A. edicto ad praefectum praetorii coercuerunt, Honorio Nobiliſſimo Puero et Euodio Coss. A. C. 386. Ita edicunt Imperatores : (8) *Omnes*

(6) Cod. Lib. XI. Tit. 59. L. 3. (7) Franciſcus Balduinus nitidiſſimus ICtus in Conſtantino Magno p. 92. ed. Gundl. (8) Cod. L. XI. Tit. 61. L. 8.

Omnes fundi patrimoniales per Meſopotamiam et Oſdrochenam prouincias, quos conſtat, diuorum retro principum ſanctionibus limiti deputatos, ad ius priſtinum ſine vllius adſertionis reuocentur obſtaculo, praebituri omnia, quae antea impendenda neceſſitatibus limitis praeberi conſueuerant : ita vt nulli penitus audiantur, qui aut reſcripto aut adnotatione dominium vel emphyteuſin, vel conductionem quolibet genere largitatis de noſtra liberalitate meruerint. Idem ſtatuit Theodoſii Iunioris et Valentiniani III. prouidentia, Theodoſio Aug. XVII. et Feſto Coss. A. C. 439. lege lata ad Florentium praefectum praetorii : (9) *Nulli iam in poſterum licere praecipimus, patrimoniales ſeu limitrophos vel ſaltuenſes fundos, qui per tractum orientis poſiti ſunt, ad ius transferre priuatum, ſiue demto ſiue ſaluo canone iuris fundorum immutatio poſtuletur : legis temeratores quinquaginta librarum auri poena coercentes : tam videlicet petitorem, quam officium quod petitionem concedit : licet adnotatio noſtra vel diuina pragmatica contra vetitum proferatur.* In haec tantum modo tempora conueniunt, quae habet expoſitio totius mundi a Gothofredo primum edita, dein ab Hudſono. *Noſtra terra Meſopotamia et Osdroena.* In Meſopotamia. *Sunt ergo Niſibis et Edeſſa : quae in omnibus viros habent optimos et in negotio valde acutos et bene nantes* (*nauigantes*, vt viſum eruditis) *praecipue et diuites et omnibus bonis ornati ſunt. Accipientes enim a Perſis ipſi in omnem terram Romanorum venden-*

(9) ib. L. 13.

tes et ementes iterum tradunt, extra examen (aes) *aut ferrum. Istae autem ciuitates semper stantes, dum et Imperatoris sapientia,* (scil. stabit) *habentes menia inclu-ta bello, semper virtutem Persarum dissoluunt: seruen-tes negotiis et transigentes cum omni prouincia bene: Deinde Osdroenae Edessa et ipsa ciuitas splendida.* Vi-des ex postremis auctorem hunc scripsisse supra: *Sunt ergo Nisibis et Amida.*

XIV. Sub extremis annis Constantini Persae Tigri-tanas regiones infestarunt, eo imperator in orientem duxit. Mox legati Persarum aduenerunt de pace, quod Eusebius testatur, vt res optimis conditionibus tran-sigi potuerit, nisi Imperator diem obiisset supre-mum. Postquam filii eius imperium diuisum A. C. 337. V. Id. Septembres auspicati sunt, Constantius orientem tenuit, infida pace, praesertim cum pars Armenorum deficeret ad Persas, nec adhuc aperto bello. Eo tempore, cum Constans a Maxentio vita est priuatus et Constantina soror natu maxima An-nibaliani vidua Vetranionem vnum e ducibus Caesarem pronunciauit, Edessae agebat Constantius, (10) et tunc maxime Amidam et Telam condebat, (1) seu potius communiebat, compositisque Armeniis et Arabum latrociniis vindicatis, excursiones faciebat vltra Tigrim in Persicas prouincias. Postea cum Mag-nentii et Vetranionis factiones ad tyrannidem occu-pan-

(10) Philostorgius Photii editus a Iac. Gothofredo p. 551. Athanasii epist. ad Socratem in H. E. L. I. c. 23. et in Historia Tripart. L. IV. c. 28. (1) Assemanni Bibl. Or T. I. p. 395.

pandam vlciſceretur, tum vero Perſae ſumma vi Niſibin obſidere et oppugnare A. C. 350. (2) Vt oppugnarint vrbem, vt repulſi ſint, Iulianus Imperator deſcribit. Rurſum pax ſine foedere et iureiurando fuit. At A. C. 353. dux Perſarum Nohodares in Oſrhoenen irrumpere tentauit et Batnen mercatibus, ſub Septembris ſeu anni Edeſſeni initio, feruentem adoriri. (3) Haec quoque conſilia euentus fruſtratus eſt. Frequentes iam erant Perſarum excurſiones, Romanis quieſcentibus. Nam Muſonianus praetorio praefectus, adſumto ad deliberationem Caſſiano Meſopotamiae duce conſilia Perſarum ex tuto ſpeculabatur. At vbi Antoninus ex opulento mercatore Rationarius Apparitor ducis Meſopotamiae, tum Protector, cum ſuis transfugit, Perſae hunc autorem nacti, Niniuen cum maximis copiis adorti ſunt A. C. 359. *Interea*, inquit Ammianus Marcellinus, (4) *Sabinianus, inter rapienda momenta periculorum lectiſſimus moderator belli internecini, per Edeſſena ſepulcra, quaſi ſundata cum mortuis pace, nihil reformidans, more vitae remiſſioris fluxius agens, militari pyrrhicha ſonantibus modulis pro hiſtrionicis geſtibus, in ſilentio ſummo delectabatur, ominoſo ſane et incepto et in loco.* Hic Sabinianus armorum in oriente magiſter, exigui corporis et animi vir, vix ad leue in conuiuio iurgium, ne dum ad armorum ſtrepitum impauidus, vt ille ait, (4) otio vacabat. Idcirco Ammianus eum καταγελάζων

(2) Iulianus Imp. Orat. I. p. 27. Orat. II. p. 62. (3) Ammianus Marcellinus L. XIV. 4. (4) Ammianus L. XVII. I. c. 7. (4) L. c.

λάζων *lectiſſimum belli moderatorem* dixit. In reliqua obſcuritate ſic interpretare Marcellinum: Sabinianum in ſummo rerum diſcrimine ad Edeſſam vrbem intra ſepulcra caſtra habuiſſe et conſilio ſtolido et loco in futurum ominoſo. A Niſibi rex Perſarum Amidam mouit. Tum vero Vrſicinus magiſter equitum, ſed per calumniam a priſtino ſtatu deiectus (iuſſus enim eſt Sabiniani ſub imperio eſſe) Sabinianum ad opem vrbi ferendam aſſiduis litteris hortabatur. (5) Sabinianus tamen quieſcere decreuit. Sic Amida ſumma vi expugnata eſt a Perſis. Erant ea in vrbe Galli milites, qui nocte quadam ex vrbe eruptione facta, tantam in exercitu Perſico cladem ediderunt, vt ab hac parua manu maximas copias profligari potuiſſe vulgo ferrent, ſi repentinum militum facinus prudentia tribunorum fuiſſet moderata. Ea cauſſa Conſtantius Auguſtus cum poſt excidium Amidae Edeſſam venit, centurionum Gallicorum, qui in conflictu ceciderant, armatas ſtatuas apud Edeſſam loco celebri poni iuſſit. (6) Cum Perſarum rex Singaram et Bezabden caperet, Conſtantius inita cum Armenó ſocietate, Edeſſae, *dum agmina vndique conuenientium militum et rei cibariae abundantes copias opperitur, diu moratus, poſt aequinoctium egreditur auctumnale*, vt ait Ammianus. (7) Exploratis deinde hoſtium, qui ad Tigrim caſtra habebant, conſiliis, nihil vltra mouit. Magis enim eum vrgebat Iulianus per tumultum a militibus impera-

(5) ib. L. XIX. 3. (6) ib. L. XIX. c. 6. (P) L. XX. 11.

perator dictus. Igitur modico in Meſopotamia praeſidio relicto, ipſe contra Iulianum profectus Mopſicrenis in Cilicia obiit. Conſtantii ſtatuam ab Edeſſenis per ludorum licentiam impune euerſam eſſe, Libanius teſtatur, de quo alibi.

XV. At Iulianus maximarum rerum ſpem animo conceperat, victoriam de Perſis et Chriſtianorum internecionem. Traiecto Euphrate ad Batnas appulit, municipium Oſdroenae, vt Ammianus (8) teſtatur. An Edeſſam quoque venerit, controuerſiam facere videtur Zoſimus. (9) Ait enim, cum Iulianus Batnas peteret, Edeſſenum populum vniuerſum ei occurriſſe et coronam obtuliſſe et fauſtis acclamationibus imperatorem inuitaſſe in vrbem. Ὁ δὲ, inquit, ἀποδεξάμενος ἡ ἐπιςὰς τὴ πόλει ἡ ὅσα ἔδει χρηματίσας ἐπὶ Κάῤῥας ἐβάδιζε, *Iulianus vero acceptis muneribus vrbem ingreſſus et decretis, quae fieri oportebat, Carrhas petiit.* Sed ſi recte inſpicias Zoſimi mentem, Batnas, non Edeſſam ingreſſum dicit et Batnis Ammianus tradit oſtento territum *curſu propero veniſſe Carrhas.* Sane Theodoretus ſcribit, (10) eum Edeſſa ad laeuam relicta, Carrhas petiiſſe, offenſum religione ciuium. Sozomenus quoque teſtatur, eum maxime infenſum fuiſſe Edeſſenis, quod eorum eccleſia floreret. Eam cauſſam puto,

(8) Ammianus L. XXIII. 2. (9) L. III. c. 12 (10) L. III. c. 26.

quamobrem Iulianus Imp. S. Genellum Paphlagonem Edeſſae potiſſimum ſummo ſupplicio adfecit, de quo Menologium Baſilii Porphyrogennetae Imp. (*) Is enim Gemellus Imperatorem adiit Ancyrae in Galatia, vt de Chriſti religione abiurata cum eo expoſtularet: Imperator eum tormentis excruciatum ſecum duxit, ἡνίκα ἔφθασαν εἰς Ἐδεσσαν πόλιν, *cum Edeſſam veniſſent*, ſubulis candentibus humeros perforauit, et clauis ferreis in capite defixis, excoriauit. Non ſane ipſe, ſed per miniſtros et tribunos ſuos, qui Edeſſae fuerunt. Memoria eius die ✠. Decembris. Quod Zoſimus vniuerſum populum Edeſſenum ſe obuiam effudiſſe Iuliano ſcribit, id ſupra de Batnaeis interpretatus ſum, qui et ipſi Edeſſeni erant. Effuderint ſe tamen etiam ab Edeſſa profani homines, quorum tunc magna adhuc fuit in vrbe copia, (1) pars maior populi ab Iuliani animo in chriſtianam pietatem abhorruit. Conſtat etiam ex Ephremi actis Syriacis, (2) Iulianum, vbi Carrhis ſacrificaſſet, proceres quosdam miſiſſe, qui Edeſſenis impias deorum caeremonias ſuaderent, at populum eos eieciſſe vrbe, Iulianum vindictam diſtuliſſe. Inter haec Iouianus Edeſſam venit et in eccleſia S. Mariae per totam noctem precatus, Iulianum interiturum eſſe caeleſti oraculo cognouit. Annotarunt Edeſſeni in chronico, (3) anno ſuo 674 menſe Iunio Iulianum imperatorem occidiſſe. Recte, vt Antonius Pagius nos docet, VI. Kal.

(*) Tomo II. p. 21. editionis Vrbinatenſis. (1) S. Ephremi acta Syriaca apud Aſſemanum Biblioth. Orient. T. I. p. 33. (2) ib. p. 51. (3) p 397.

Kal. Iulias A. C. 363. Res apud exercitum Romanum ſumma in perturbatione erant, cum Iouianus Auguſtus a militibus dictus, non modo Tranſtigritanas prouincias iniqua pace deſtituit et Armenos ſocios, ſed etiam Niſibin munitiſſimam vrbem et maximum totius orientis propugnaculum Perſicis inuictum armis tradidit. (4) Tam caro et reditum emit et triginta annorum inducias. Inde Edeſſam venit Iouianus. Nam Philoſtorgius Photii prodidit memoriae, (5) iſthic ad eum adiiſſe Candidum et Arrianum de controuerſiis cum Athanaſio. Eodem referenda eſt inſcriptio legis in Codice Theodoſiano, (6) quae *Iouianum et Valentinianum Coss.* perperam ſubnotatos habet, vt Iacobus Gothofredus iam animaduertit. (7) Nam Saluſtius, qui anno illo 363 cum Iuliano Cos. fuit, ſub Iouiano Imp. in honore manſit, anno autem poſt Iouianus cum Varroniano Nobiliſſimo puero conſulatum iniit. Cum Iouiano Cos. Valentinianus numquam fuit. Non diu Edeſſae egiſſe videtur Iouianus. Nam Zoſimo teſte, oppida raptim obiit, donec venit Antiochiam. Confirmat id quoque Ammianus, iſtius comes expeditionis. Edeſſam ne nominat quidem, quod nihil magnae rei ea in vrbe geſtum fuerat. Nam Candidus et Arrianus Imperatorem morari non potuere. Antiochiam in Hyperberetaeo menſe, ſiue Octobri Iuliano venit, vt auctor eſt Theophanes Byzantius. (8) Anno autem

(4) Ammianus L. XXV. 7. Zoſimus L. III. 31. (5) P. 111. ed. Gothofr. (6) Codice VII. Tit. 4 de erog. militaris annonae L. 9. (7) In notis ad Philoſtorgium p. 330. (8) Thophanes p. 45. ed. Par.

tem poſt 364. IV. Kal. Martias in Dadaſtanis deceſſit. Edeſſae legem tulit, quam ſupra citaui: *E vicenſimo non amplius lapide milites ſibi iubemus paleas conuectare. Dat. V. Kal. Octobr. Aedeſa, Iouiano et Varroniano Coss.* Verum eſt, quod Gothofredus ad Philoſtorgium monuit de Coss per errorem editis: nam non placet, quod deinde in Codice ſubdubitauit, an potius *V. Kal. Febr.* emendaret, quo menſe Iouianus Edeſſae verſari non potuit.

XVI. Erat nunc amiſſa Niſibi ſummum orientis praeſidium et propugnaculum Edeſſa, dum interea Sapores inuaſit Armeniam. (9) Inde Perſae Meſopotamiam ſic vexabant, vt Valentem ad pacandam prouinciam neceſſe fuerit in Perſas mouere. (10) Sed lenta fuit expeditio. Nam Valens ante A. C. 372. vt Pagius docet, Antiochiam non venit. Iſthic hiemem totam commoratus, vere primo Hierapolin Syriae petiit et inde duxit in Perſas. Rebus nullis geſtis rediit Antiochiam in hiberna. Hoc tempore credo eum cum Modeſto praefecto praetorii Edeſſae fuiſſe, quod Theodoretus memoriae prodidit in hiſtoria eccleſiaſtica. Non admodum gratus ille aduentus ciuibus, quod Imperator, qui Arrianis fauebat, orthodoxos Edeſſae adfligeret, paene cum internecione ciuium. (1) Iacobus Gothofredus (2) de

(9) Ammianus L. XXVII. 12. (10) Zoſimus L. IV. c. 4. 13. (1) Theodoretus H. E. L. IV. c. 15. 16. ſeq. Socrates L. IV. c. 17. Sozomenus L. VI. c. 17. conf. Niceph. Call. L. XI. c. 22. (2) Cod. Theodoſian. L. IV. p. 430.

de hac perſecutione ſic iudicat : *neque abſurde coniiciat quis , hac perſecutione Valentis Edeſſam non tantum euacuatam cultoribus,quod ſcriptores illi indicant et aliis exemplis apud Baſilium firmari poteſt , ſed et Curialibus , quod Baſilius de ipſa Caeſarea teſtatur diſerte : atque adeo hanc huius legis ſerendae Valenti occaſionem fuiſſe.* Duas leges tulit Valens quae ad Oſrhoenos pertinerent. Dicam de lege poſteriori primo loco. Eam ille Hierapoli tulit (1) ad Modeſtum P. P. A. 377. *vt per orientem prouinciae in titulo auri compariticii , quod per iugationem redditur , compenſationis gratia , perſruantur , exceptis Oſroene et Iſauria : nam easdem conſtat aurum compariticium minime redhibere.* Primum Romani milites ſuis ſumtibus caſtra ſecuti ſunt : adſignata deinde iisdem ſtipendia. Gracchus legem tulit etiam de veſte praebenda e publico. Res grata militi et populo , praegrauis deinde prouinciis. Valentis Imp. aetate quaedam prouinciae pro canone veſtium aurum pendebant, ſingulis pro veſtibus ſolidum. Ea erat adaeratio veſtis militaris, id aurum compariticium. Vt quaedam prouinciae proportione amplius pendebant , ita orientis prouincia per triginta terrena iuga ſiue veſtem ſiue adaerationem. Et cum iuga eſſent, quantum terrae per annum vno boum iugo exerceri potuit , tum vero triginta terrena iuga inlege, quae alias triginta capita. At ex Orientis,quae aurum compariticium tribuebat , ſorte exemta erat

(1) Cod. Theodoſ. Cod. VII.Tit. VI. de militari veſte L. III.

Oſrhoene, in qua non aurum, ſed veſtis ipſa praebebatur, ita ſine dubio, vt triginta capita vnam ſingulis annis veſtem praeberent. Id eo opinor accidit, quod Edeſſae tum paſcua abundarent, tum opificum manus. Altera data eſt *Antiochiae ad Modeſtum P. P. III. Non. Decembres, poſt conſulatum Gratiani Aug. et Equitii V. C.* Hoc eſt, A. C. 375. qui, cum ob turbas rei publicae conſulibus caruit, ſuperioris anni collegio inſigniebatur. Eſt autem lex his verbis concepta: (3) *Quicumque per Oſrhoenen primipilaris maiore laetatur numero filiorum, vnum loco ſuo, veluti haereditario iure ſubſtituat, alterum pro amore patriae, Aedesenae curiae* (in Codice Theodoſiano, *Aedeſiae curiae*, quae eſt Edeſſena) *tradat obſequiis, veteris, qua voluerit militia, prouiſurus: ſin autem duos tantum procreauerit, eundem ordini patriae reſtituat, nullo contra hanc formam beneficio valituro: damus ſane licentiam tam patribus eorum, quam ipſis, qui huius legis auctoritate ciuitatum obſequio aggregantur, vt, ſi quos curiales patrocinio principalium inuenerint excuſari, in medium proferant, vt ipſi ſimilibus officiis deputati, pareant impetratis.* (3) Scilicet multa illarum aetatum querela omnium municipiorum toto orbe Romano fuit, deſeri curias. Nam munera municipalia non ita multum dignitatis habebant, plus oneris: non annonas, non ſalaria ex fiſco, aut alia militarium priuilegia. Quare multi, ne decuriones fierent, aut exceptores iudicum, aut quo

(2) Codice Inſtin. L. XII. Tit. 58. L. 5. et Codice Theodoſiano L. XII. l. 79. de decurionibus.

quo nomine alio curiales dicebantur, relictis oppidis in agros se conferebant, quos seueriſſimo edicto Conſtantinus M. caſtigauit. Iam cum in Oſrhoene militares viri priuilegiis ſuis delectarentur, curia Edeſſena tamquam deſerta iaceret, hoc edicto modum ſtatuit Imperator. Valentinianus Theodoſius Arcadius A. A. A. legem Valentis confirmarunt et explicarunt A. C. 384. lege noua ad Cynegium Praefectum praetorii: (3) *Ob penuriam Aedesenorum municipum diui parentes noſtri ſtatuerunt, vt Officii praeſides Osdroenae prouinciae principum liberi, ſi ſinguli eſſent, memoratae ciuitatis curialibus iungerentur: ſin vero bini, diuiſa ſecunditate, ſinguli militiae, ſinguli vero Curiae nectterentur: quod cum ita ſit, iubemus et praeſenti lege et ſuperiore ſeruata, vt omnes omnino, qui ordine militiae ad principatum venturi ſunt, vel veniſſe monſtrantur, (etiamſi aliqua callidi-tatis arte ſe a principatus munere putauerint ſubtrahendos) memoratae Curiae ſuos liberos tradant diuidantque Aedesena ciuitate ſubolem rei publicae profuturam: hi quoque, qui iam contra legem ante principatum patrum, quibuslibet ſacramentis innexi ſunt, retracti, memoratae Curiae congregentur.* Principes hac in lege, qui in ſuperiori primipilares. Ceterum ad cognoſcendum ſtatum ciuitatium Oſdroenae iis temporibus, neceſſe eſt, vt curiarum rationem exponamus. Id ipſum Iacobus Gothofredus ſumma diligentia executus eſt in Paratitlo de Decurionibus:

(3) In ſolo Codice Theodoſ. Cod. XII. tit. I. de decurionibus L. 105.

(4) itaque eius auctoritate hoc loco vtemur in breui curiarum descriptione. Ciuitates, municipia, nonnulli etiam vici in orbe Romano, praeter plebem, suum quendam senatum habuere et ordinem siue curiam: huius curiae senatores, dicebantur decuriones, curiales municipes, municipales. Alii inde a patre, auo, maioribus decurionum conditione, qui vt primum nati eo in numero censebantur et duodeuicesimo anno ad munera ciuica adstringebantur, nullo maternae stirpis iure, nisi apud Antiochenos. Alii ex plebeiis ciuibus patrum iudicio atque ordinatione nominati, inter quos etiam Iudaeis esse licuit. Alios euehebat incolatus et domicilii ius, alios splendidior fortuna ad perferenda munera ciuitatium, qui vltra quinque et viginti iugera possidebant priuato dominio, quiue curialium fundos et patrimonia sibi praesumserant, alii quod idonii essent ex vacantibus et corporibus certis, e conditionalibus ciuitatum, subscribendariis, tabulariis, diurnariis, logographis, censualibus, post emensum munus, e militarium et veteranorum filiis, qui seu nollent militare, seu non possent: denique vt his legibus sancitum, primipilares siue officii praesidis Osdroenae principes alterum siliorum Curiae Edessenae debebant. Munera decurionum, nominibus honestissimis et ornatissimis, at ita grauia, vt nullum magis rei conueniat, quam cum onera etiam atque vincula vocarentur. Curae omnes publicae ciuitatum

(4) Ad Codicem Theodosianum T. IV. p. 336.

tum, pecuniae publicae, annonarum exactio ad decuriones pertinebant: ex iis susceptores et compulsores in prouinciis, periculo curiae creabantur, ex iis, qui iudicum praecepta exequerentur, mansionibus, pagis, horreis praefecti, procuratores metallorum essent, legationes obirent, nonnumquam et cursus publicos regerent. Mirum igitur non est, cum Saluianus (5) scribit: *quae enim sunt non modo vrbes, sed etiam municipia atque vici, vbi non, quot Curiales fuerint, tot tyranni sint? quis locus est, vbi non a principalibus ciuitatum, viduarum et pupillorum viscera deuorentur et cum his ferme omnium sanctorum?* Erant certi inter decuriones gradus munerum. Summus, Duumuiratus, qui et Magistratus simpliciter. Hi populi suffragio nominati, duobus mensibus aut tribus post, potestatem adibant aliis in ciuitatibus annuam, in aliis quinquennalem, ludosque initio magistratus edebant populo. Secundum duumuiros in Curia erat vnus, qui primum locum tenebat curiamque regebat comitiuae dignitate. Qui primum, secundum ceterosque superiores gradus tenebant in curia, aliis in ciuitatibus decem, alibi numero alio, primates et principales dicebantur. Ad hos honores adscendebant, muneribus inferioribus per ordinem defuncti. Qui duumuir lectus fuerat, exacto magistratu nullis muneribus inferioribus tenebatur, huius supremi ordinis eorumque munerum candidatus. A principalibus fiebant adscriptiones et exactiones, eorum erat distributionum omnis forma, disciplina publi-

(5) De Gubernatione dei L. V.

ca et cenſura. Hoc honore per multos annos defuncti ob omnibus muneribus vacabant et Excomitibus accenſi, praeſidatus honore fungebantur aut otio ſe tradebant. Edeſſenae curiae iſtis in legibus, quas produxi, mentio fit. In tota Oſrhoene quinque curias fuiſſe Gothofredus aſſerit et leges citat, in quibus nihil eiusmodi inuenio. Etiam praedia ſua et mancipia Curiales, vt muneribus ſatisfacere poſſent, ſine decreto ne alienarent, cautum fuit a Theodoſio M. Inde Honorius et Theodoſius A. A. quia in lege dubitatum fuit, A. C. 423 ſic decreuere. (6) *Vt, ſi curialis praedium vrbanum aut ruſticum vendat cuiuscumque conditionis emtori, apud Rectorem prouinciae idoneas cauſſas alienationis alleget, non perfunctorie a Iudice, ſed veriſſime requirendas, vt ita demum, diſtrahendae poſſeſſionis facultatem accipiat, ſi alienationis neceſſitatem probauerit: infirma enim erit venditio, ſi haec fuerit forma neglecta, ita vt pretium emtor amittat et venditori cum fructibus illaeſam poſſeſſionem reſtituat. Quae quidem de futuris contractibus obſeruanda ſunt.* At maior videtur in Oſdrhoene neceſſitas fuiſſe, vt curialibus lege ſubueniretur, qui a militaribus et potentibus hominibus facultatibus ſuis per vim et fraudem exuti fuerant. Quare inquiunt Imperatores: *praeteritas vero emtiones in Oſdrhoena ſpicialiter prouincia confectas, licet ex tempore legis ſub diuo auo noſtro promulgatae ſine geſtorum teſtificatione a qualibet per-*

(6) Cod. Theod. L. XII. tit. 111. de praediis et mancipiis curialium L. 2.

perſona celebratas infirmari oporteat, tamen ex prima tranſacta nuper indictione, ita volumus infirmari, vt alterius fortunae vel honoris homines, qui ſine decreto praedia curialium in memorata prouincia compararunt, receptis pretiis, poſſeſſiones, quas emerant, dominis reſtituant: ita, vt, ſi vſuras vel ſumtus rei melioratae poposcerint, a venditore percipiant, fructus inuicem reddituri. Theodoſius *M.* etiam hanc gratiam fecit Edeſſenis, cum Aedem deorum prope vrbem haberent, ſimulacris ab arte nobilibus frequentem, eam aedem vt lege lata ad Palladium ducem Oſdroenae, patere iuberet ſolemnitatibus et concioni populari, modo a ſacrificiis abſtineretur. Euerſam tamen deinde eſſe a duce alio Oſrhoeno, vxori chriſtianae et monachis obſequenti, e Libanio ſecundum Iacobum Gothofredum oſtendimus ſupra. Gothofredus putat Proculum Comitem Orientis auctorem fuiſſe, aut certe Cynegium, cui Theodoſius occludendi per Orientem et Aegyptum templa negotium dederat et Libanium περὶ ἱερῶν A. C. 388. dixiſſe: nam Cynegium A. C. 387. Alexandriae id negotium perfeciſſe, atque A. C. 388. in itinere diem obiiſſe ſupremum. (7) At mihi is videtur fuiſſe non Cynegius, ſed praefectus aliquis Oſdroenae poſt Palladium. Nam Cynegius, vt erat imperatum, templa clauſit, diruit nulla. Teſtem habeo, quo nemo poteſt eſſe grauior, Zoſimum: (8) is enim cum Imperatoris edictum protuliſſet, nihil aliud in Cy-

(7) In Codicem Theodoſ. T. VI. p. 269. 271. (8) p. 252. ed. Oxon.

Cynegio teſtatus eſt, quam ἀπέκλεισε τὰς εἰσόδους τῶν ἱερῶν, θυσίας δ' ἄρξε. Non impune tuliſſet Cynegius apud Zoſimum, ſi in prouinciis praeter edictum aliquid grauius ſtatuiſſet de templis. Neque ego hic Idatianis Faſtis plus tribuerim, quam Zoſimo, in quibus eſt: *gentium ſimulacra ſubuertit.* Et cum Cynegius τῆς αὐλῆς ὕπαρχος, *Praefectus aulae* apud Theodoſium fuit, locus ſuſpicioni relinquitur, eunuchum fuiſſe. Hic autem qui Oſrhoenam aedem diruit, vxorem habuit chriſtianam, cui omnia Libanii iudicio commodauit, et natus in *Oſrhoene* fuit, quod ex Libanio concluditur. Quare exiſtimo, illo tempore, cum Cynegius orientis et Aegypti templa occluderet eoue in negotio praefectos minores adhiberet, hunc Oſdroenae ducem coniugi et monachis obſequentem exceſſiſſe officio et aedem in Oſrhoene diruiſſe. Amouiſſe a ſe culpam in neceſſitatem obſequendi Libanius non diſſimulat. Ceterum Theodoſius M. rebus ita praefuit, vt Perſae eius vim metuerent. Vtcumque res eius Zoſimus eleuat, tamen ex Oroſio (9) Cognoſcimus, pacem Perſas per legatos petiiſſe. Latinus Pacatus in panegyrico ſic dixit (10): *Perſia ipſa rei publicae noſtrae retro aemula et multis Romanorum ducum famoſa funeribus, quidquid vmquam in Principes noſtros inclementius fecit, excuſat obſequio: denique ipſe ille rex eius, dedignatus antea confiteri hominem, iam fatetur timorem et in his te colit templis, in quibus colitur: tum legatione mittenda, gem-*

(9) L. VII. c. 34. (10) c. 22.

gemmis ſericoue praebendo, ad hoc triumphalibus belluis in tua eſſeda ſuggerendis, etſi adhuc non eſt foederatus, iam tamen tuis cultibus tributarius eſt. Demus aliquid oratoris ambitioni: res ipſa negari non poteſt. Legatos eos CPlin. A. C. 384. veniſſe e Marcellino Comite conſtat. (6) Ad firmandos orientis terminos Rhaeſainam in Oſrhoene exaediſicauit A. Edeſſeno 692. ſeu A. C. 380. 381. vt habet Chronicon Edeſſenum, aut potius vrbem, quae erat, moenibus cinxit. Idem Chronicon ad A. Edeſſenum 706. XVII. Ianuarium, mortem Theodoſii ملك ربا *Regis Magni* et ad VIII. Nouembris funus conſignauit, tamquam orienti admodum deſiderati.

XVII. Etiam poſtea aliqua quies a bello in Meſopotamia fuit. Sub Arcadio et Honorio A. 724. muri Edeſſeni tertium ab inundatione euerſi ſunt. (7) Vt ſcias A. C. 413. accidiſſe, in fine Chronici Edeſſeni dies XVIII. Martii, feria tertia, hac inſigni clade notatur. Moenia quidem mox reparata ſunt: vt etiam circumiecti agri magis eſſent tuti, paſſim a priuatis excitatae ſunt locis idoneis arces, quales plerasque Franci bello ſacro ea in regione repererunt, vt ex Villermo Tyrio cognoſci poteſt. Hanc ciuium prouidentiam Honorius et Theodoſius Imperatores A. C. 420. lege lata confirmarunt: (8) *Per prouincias*, inquiunt, *Meſopotamiam, Oſdroenam, Euphratenſem, Syriam Secundam, Phoeniciam Liba-*

(6) p. 85. (7) p. 402. (8) Codice L. VIII. Tit. X. l. 10.

nenſem, Ciliciam Secundam, vtramque Armeniam, vtramque Cappadociam, Pontum Polemoniacum atque Helleſpontum, vbi magis hoc deſideratur, ceteras que prouincias permittatur, murali ambitu fundos proprios, ſeu loca ſui dominii conſtituta vallare. In haec tempora congruit, quod Theodoretus de Edeſſa (9) πόλις δ' αὕτη μεγίστη καὶ πολυάνθρωπος. Mox, rupta pace, omnia Perſarum excurſionibus latrociniisque agi et ferri contigit, pax autem demum A. C. 422. coaluit, vt ex Marcellino Comite (10) intelligo. Nihil deinde magnopere accidit vsque ad A. C. 441. cum Perſae, eodem teſte Marcellino, rebellarunt, niſi ſi quis a me commemorari deſideret, quod in Chronico Edeſſeno eſt, puluere pluiſſe. A. C. 466. Leo Thrax Imperator, vt eſt eodem in Chronico (1.) et apud Dionyſium Telmarienſem, Callinicum in Oſrhoene inſtaurauit et Leontopolin vocari iuſſit. Cum Leontius et Illus contra Zenonem concitarent orientales populos, Edeſſeni in obſequio et fide Imperatoris manſerunt. Nam cum Metroninus quingentos equites ad ſollicitandos ciues duceret, conſtanter repulſus eſt. Aliquot poſt annis, A. C. 495. lues Edeſſam inuaſit, quae hominum morbo illo adflictorum ora foedum in modum deturpauit, nullo tamen poſt recuperatam ſanitatem morbi ſigno relicto: quam peſtem magna rerum venalium vilitas conſecuta eſt. Vt fit, laſciuientibus adfluentia animis, anno poſt, ciues XVII. Maii ludos in orcheſtra, quae Trimarion dice-

(9.) In hiſtoria Aſcetica p. 812. (10) p. 39. (1) p. 405.

dicebatur, edidere magnificos, cereis funalibus ad vtramque fluminis ripam accenſis. Haec cum Ioſua Stylites in Chronico refert, (2) addit miraculum, quod labarum crucis a Conſtantino M. Edeſſae conſecratum a loco ſuo ad vnum cubitum exceſſerit, quaſi rem turpiſſimam auerſatum, poſtridie autem eius diei ſub veſperam in locum ſuum redierit. Tum A. C. 497. *Stylites* teſtatur, gliſcente iterum lue, *plerosque oculis* fuiſſe captos. Erat eo tempore *praefectus* Edeſſae Anaſtaſius, cui ſucceſſor datus eſt Alexander, qui moenia vrbis a ſordibus perpurgauit, Parepton quoque iuxta portam Petrae et Dimaſion apud horrea publica exſtruere aggreſſus, opus, quod dudum erat deſignatum, peregit. Erat Alexander ſingulari iuſtitiae laude: ſexto quoque die in aede Ioannis Baptiſtae et Adaei apoſtoli diſceptantes audiebat litesque omnes a quinquaginta annis agitatas componebat. Et ne quis ab aditu ſuo excluſus iniuriam pateretur, in praetorio ſecretum locum habuit, in quem per patentem rimam libelli ſupplices coniicerentur, quos ipſe ſolus legebat. Habemus in eodem Ioſua *Stylite* aliquot annorum continuatam hiſtoriam Edeſſenae vrbis, in qua eſt etiam, A. C. 498. ciues per ſeptem noctes tunicatos diſcinctoſque in tiaris laſciuientium more cum funalibus et odoramentis decurrentes, incondita carmina accinisſe, donec a Xenaia Mabugenſi epiſcopo, qui tum forte in vrbe fuit, increpiti conquieuerunt. Vo-

(2.) Apud Aſſemanium T. I. p. 267.

torum celebritati templum apud Oſrhoenos patere voluit Theodoſius M. Imp. Erant ludi publici et vota publica, quae tertio Ianuarii pro ſalute Principis concepta feſtis conuiuiis inſtaurabantur. Et hi quidem Edeſſenorum ludiperſimilesBromialibus Bacchi. Nam tametſi plerique Edeſſae religionem dei profitebantur verbo, tamen, vt tum erat in orbeillo chriſtiano, multa profanum in modum fiebant laſciue, multa impie. Exſtant tot Synodorum canones, qui impietati aggerem et vallum opponerent, tot piorum querelae et lacrumae teſtes morum alienorum a ſanctiſſimi profeſſione nominis. Synodus in Trullo: (3) Καλάνδια καὶ Βοτὰ καὶ Βρυμάλια, ἥ τε πρώτη Μαΐου πανήγυρις τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεθῆναι. *Galandia, Bota, Bromalia, et ludi Calendis Maiis, e chriſtiana ciuitate tollantur.* Edeſſenos ludos annuos magna cum verborum factorumque licentia inſtauratos Theodoſii M. temporibus Libanius deſcripſit in oratione ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς. Nam tametſi ea in oratione exſtat Εμεσα, tamen Iacobus Gothofredus, (4) cui haec obſeruata debemus, Εδεσαν reponit ea cauſſa, quod vrbs ἐν τοῖς ὁμορίοις τῆς Συρίας Libanius ponit, non in Syria ipſa, quodue cum alia in oratione hos ipſos ludos attingit, Edeſſam vrbem nominatim citat. Is autem Theodoſii Imperat. clementiam aduerſus Antiochenos, qui ſtatuas eius euerterant, collaudans, eius virtutem cum Conſtantii Imp. facto comparat, cuius

(3) Canone 62. (4) Cod. Theod. T. VI. p. 270.

ius ſtatua ab Edeſſenis ſubuerſa fuerat et contumelioſe tractata :

Πρὸς τίνα δή σε λοιπὸν ἐξεταστέον, ἢ πρὸς τὸν ἐν τοῖς ὁμόροις τῇ Συρίᾳ δὶ εἰκόνος ϗ αὐτὸν ὑβρισμένον. Αλλ' εἴ τις Εμεσαν (*Gothofredus* Εδεσαν) ϗ τὰς ἐκείνης ἑορτὰς καὶ τὰς περὶ ἑορτὰς ἐνθυμηθείη νόμους, ὡς παλαιόν τι τοῦτο διὰ πάντων βασιλέων ἦκον, ϗ δὶ ἀρχαιότητα μᾶλλον ἡδονὴν φέρον, ἢ λύπην, πολὺ τὸ ὐκ ἴσον τῶν περὶ τὰς εἰκόνας ἀμφοτέρων εὑρήσει, ϗ τοσοῦτον, ὅσον ὕβρεως ϗ παιδιᾶς τὸ μέσον. Λέγεται δὲ ϗ σοφῶν ἀνδρῶν ἐπιστήμη τοῦτο καταδεδέχθαι χαριζομένη τισὶ τὰ τοιαῦτα δαίμοσι ταῖς μετὰ παιδιᾶς λοιδορίαις ἐσιόντων ἐκείνους, ἕως τούτῳ κεκορεσμένοι μηδὲν πλέον παρὰ τῶν ἀνθρώπων ζητῶσι. Καὶ ἀπιστεῖν γε ὐκ ἄξιον ὁρῶν-

Quod reliquum eſt, quocum te comparari decet, niſi cum eo qui in vicinia Syriae, etiam in imagine adfectus contumelia eſt ? At ſi quis ſecum recordetur Edeſſam et eius vrbis ludos et leges ludorum, quemadmodum hoc vetus inſtitutum per omnes reges et Imperatores conceſſum, propter vetuſtatem plus voluptatis ſecum ferat, quam triſtitiae, is multam diuerſitatem ſentiet in iis, quae Antiocheni et Edeſſeni de imaginibus ſtatuerunt, et tantam vero diuerſitatem, quantum inter contumeliam et ludum intereſt. Perhibent autem ſcientiam quandam ſapientum virorum exſtare, quae meruerit recipi a certis quibusdam daemonibus, quos ſapientes illi paſcant ludibriis et iocis, vt ita exſatiati, nihil amplius ab hominibus requirant. Neque

τα ἢ σφὰς αὐτὺς κωμῳδύντας ἐκείνυς ἢ τύς γε ἐν δόξῃ παῤ αὐτοῖς ὄντας ἀφορμὴν γενομένυς τοῖς μετὰ δρόμυ σκώμμασι. καθ' ἕκασον τοίνυν ἔτος τοιαῦτα θεόντες, ἔχυσι τὴν ἀπὸ τῦ καιρῦ τῦ πλήθυς αὐτῶν ἀσφάλειαν, ἢ τὴν ἐπὶ ῥήμασι μόνον, ἀλλ' ὅμως ἐφ' ἅπασιν ἃ ποιεῖν ἡδίω δύναται τὴν ἑορτήν. κἂν ἄρχων ὀρθῶς ἀνιαθεὶς ἐπὶ τὴν τιμωρίαν ἴῃ, μικρόψυχός τε εὐθὺς ἢ σκαιὸς ἐνομίσθη ἢ νόμων ἱερῶν ἀλλότριος.

fidem huic rei negare decet eum, qui videat, eos ipſos in comoediis traduci et qui apud eos in dignitatibus ſunt, expoſitos eſſe conuiciis et ſcommatis in diſcurſationibus ſtadii. Igitur Edeſſae, cum quotannis ſpectacula talia edunt, a longinquitate temporis rei impunitatem ſunt nacti, non modo in verbis ſed etiam in omnibus, quae ludos iucundiores facere poſſunt. Et ſi princeps ſibi non temperans vindictam talium parauerit, illico abiecti animi et ſcaeuus et legibus ſacrorum inimicus iudicatur.

Subiicit deinde, Conſtantium peperciſſe Edeſſae, memorem moris et legum ludorum: at Antiochenis parciturum non fuiſſe, vbi nulla tanta licentia ludorum excuſare contumeliam poſſit. A. C. 498. quo iſtos ludos, quos ſupra commemoraui, Ioſua Stylites inſtauratos retulit, duae baſilicae et balneum aeſtiuum corruerunt cum duorum hominum clade. Laetum deinde ciuibus Edeſſenis, cum Anaſtaſius Auguſtus chryſargyrum toto orbe Romano ſuſtulit. (5) Erat

(5) Id quale fuerit, Michael Glycas p. 266. Conſtantinus Manaſſes p. 63. declarant.

Erat vnius aurei tributum, quod quarto quouis anno ab opificibus exigebatur. Ex eo tributo ante hoc tempus conficiebantur centum et quadraginta auri libraе, vnde, quantus opificum numerus Edeſſae fuerit, intelligi poteſt. At in primis Edeſſenos eodem anno adflixit Alexandri praefecti diſceſſus. Demoſthenes igitur, qui gratioſo huic viro ſuccedebat, vt fauorem populi captaret, ad ornandam vrbem porticus calce induci iuſſit. Tamen nonnulli beneficium praefecti in inuidiam vertebant, veluti exemplo edocti, ea re certam calamitatem portendi. Et magna quidem vis locuſtarum anno poſt Maio menſe ab auſtro aduecta terram operuit, at exiguo Edeſſeni agri damno, quod Ioſua Stylites teſtatur: nam e chronico Edeſſeno cognoſcimus, ſementem et herbas denuo propullulaſſe. Menſe vero Septembri ingens terrae motus vrbem concuſſit, e quo fons balnei Iberorum exaruit. XXIII. Octobris ſol ipſo in ortu ad octauam horam obſcurari eſt viſus, eodemque die moenia vrbis ab auſtrali regione vsque ad portam maiorem corruerunt. Poſt Nouembri menſe ſub meridiem, arcus in caelo eſt viſus cruribus in altum verſis: Decembri autem haſta in caelo apparuit, quam quidem auroram borealem fuiſſe opinor, ſimilem illis, quae ſaepe alias viſae fuere Edeſſae.

XVIII. Maior A. C. 500. calamitas Edeſſam omnemque Osrhoenen adflixit. Nam locuſtae menſe Martio, Arabiam, Rheſainam, Telam et Edeſſam opperuerunt, ex quo atrociſſima fames Aprili menſe in-

ingruit. Et praesenti malo et maioris metu Petrus episcopus motus, Anastasium Augustum adiit, vt quo in loco res sint, docendo, tributi exactionem deprecaretur. Igitur Imperator aurum quidem, quod tum maxime a praefecto CPlin erat missum, recepit, plebi tamen, quae in suburbiis pagisque agebat, tributum, quod in capita ex prisco instituto pendebant, et quandam auri summam ex veteri debito remisit, Edessenis vero ciuibus gratiam fecit, ne militibus Romanis in praesidio, aquam veherent. Visum est tanto in malo remedium et serius adhiberi et parum subleuare populum. Quare Demosthenes A. C. 501. relicto Edessae propraefecto Eusebio, CPlin ipse adiit. Eusebius interim, qua potuit prudentia ad famem sedandam omnes artes suas adhibuit, et cum pistores in vrbe copiam panis, quanta desiderabatur, exhibere non possent, omnibus coquendi vendendique potestatem concessit. Parum proficiebat in simplici calamitate, cum Nouembri mense pestilens morbus primum rusticam multitudinem, quae ex agris in vrbem confugerat, inuasit, tum deinde etiam ciues, Decembri autem tanta frigoris vis ingrueret, vt qui a fame atque lue defendi videbantur posse, frigore interirent. Iam aderat a CPli Demosthenes cum ingenti summa auri, qua inopes subleuaret. Is vt huic quoque frigoris incommodo subueniretur, apertis basilicis, quae iuxta hibernum balneum erant, storeis et lectulis plebem fouebat, iuuantibus in partem ecclesiae oeconomis. Tamen ad Martium vsque extremum magna mortalium multitudo fame, pestilentia et fri-

frigore periit, vt ſingulis diebus centum et viginti, ad triginta efferrentur, quos Demoſthenes omni cura atque honore ſepulcri proſecutus eſt. Deniqueꝛ A. C. 502. Iunio menſe, rerum omnium affluentia et vilitas conſecuta eſt. Mentes tamen hominum nouis prodigiis percellebantur, cum Auguſti XXII. ſub veſperam luculentus ignis ad boream tota nocte ardere eſt viſus, nunciatumque poſtea fuit, eodem die Ptolemaidem, Tyrum, Sydonem et Berytum terrae motibus concidiſſe. (6) Procopius Caeſarienſis (7) etiam puerum Edeſſae natum duobus cum capitibus terrori fuiſſe refert. Et eodem tempore Cubades Pherozis filius Perſarum rex, Romanos fines ingreſſus, Theodoſiopolin in Armenia obſedit eoque oppido per proditionem capto et ſocietate cum Namane Arabum rege inita, Meſopotamiam inuaſit. Anno poſt Namanes, caeſis ad Telam Conſtantiam ducibus Romanis, omnem intra Edeſſam et Carrhas regionem extremo Nouembri vaſtauit et duodeuiginti millia in captiuitatem abripuit. A Cubade Amida, quinto menſe ex quo obſideri coepit, occupata. (8) Hoc caſu ita conſternati fuere Syri in Meſopotamia, vt niſi eos Iacobus Sarugienſis confirmaſſet, agris relictis conceſſuri eſſent in occidentales ad Euphratem prouincias. Erat autem Oſrhoene iam ſuperioribus annis nudata colonis, qui famem fugientes in

(6) Ioſua Stylites l. c. Chronicon Edeſſenum p. 407. Dionyſius Telmarienſis. (7) de B. G. p. 606. (8) Ioſua Stylites l. c. Marcellinus Comes p. 47.

Armeniam aut Syriam ſe receperant. Edeſſeni interim moenia reficiebant, portasque communiebant vectibus ferreis, et tres exercitus a CPli appropinquabant, qui Meſopotamiam a Perſarum vi defenderent. Areobindus cum exercitu aduerſus Niſibin conſedit, Patricius et Hypatius cum ſuis copiis Amidam duxerunt: Edeſſeni tritici modios ad ſexcenta et triginta millia exercitibus ſubmiſerunt, imperante Appione Aegyptio, qui aerario caſtrenſi praeerat. Areobindus mox ab Dara et Amudi, vicinis Niſibi oppidis, cedere coactus, intra Telenſium et Edeſſenorum fines conſedit. Et Patritius quoque Hypatiusque re varia fortuna belli geſta, ſe receperunt, eoque caſu Areobindus perterritus, moenibus Edeſſae vrbis ſe ſuosque incluſit.

XIX. Impellebat Namanes Cubadem, vt Edeſſam totius orientis propugnaculum inuaderet, qua capta, breuem moram et Meſopotamiae occupandae et Syriae fore docebat. Erat in exercitu eius, qui ab vrbe inuadenda Perſas abſterreret, nequidquam illam vrbem peti, quae Chriſti ad Abgarum priſcum Oſrhoenes regem vel dicto vel ſcripto aduerſus omnem externam vim in perpetuum muniretur. Scilicet, vt ſupra dixi, illa in oriente opinio tenebat, Chriſtum his fere verbis de Edeſſa pronunciaſſe: دبعلذبيا لا تشلط به لعلم, *hoſtis (malus daemon) eam in aeternum non capiet.* (9) Hunc equidem

(9) Ioſua Stylites p. 261, 276.

dem in modum Chriſtum effatum fuiſſe, aut ſcripſiſſe, Procopius perſuaderi ſibi non eſt paſſus, attamen ea perſuaſio credita vulgo celebrataque, animos Edeſſenis ſaepenumero contra Perſas fecit. Namanes paullo poſt ex vulnere, quod in conflictu acceperat, deceſſit: Cauades autem Tela A. C. 503 nequidquam tentata, ad Galabum fluuium, quem etiam Medum appellabant, dies viginti militem in caſtris continuit. Edeſſeni ſub aduentum hoſtis VI. Septembris ſuburbana monaſteria, hoſpitia, vineas hortosque ſolo aequant, Salam pagum, qui etiam Negbat, incendunt, moenia nouis munimentis firmant. Quarto poſt die Cubades ad Areobindum miſit, vt ſeu Marbazanem ad ſe reciperet in vrbem, ſeu ipſe ad colloquium exiret. Alterum viſum eſt conſultius. Igitur Areobindus ad aedem Sergii proceſſit et cum Baue militiae praefecto de pace egit. Perſae pro Edeſſenae vrbis libertate auri decies mille libras pondo poſtulabant: Areobindus ſeptem ſe daturum oſtendit. Ita e colloquio diſceſſum eſt incerta pace. Cauades tamen caſtris motis Carrhas duxit: Arabes Batnas ſeu Sarugum inuaſere. Ad Carrhas Patriciolus dux eruptione facta magnam in exercitu Perſico ſtragem edidit, inde cum Vitaliano filio ſe recepit Edeſſam, eaque ex vrbe, Perſis ad obſidionem redeuntibus, Samoſatam exceſſit. Iterum obſeſſa eſt XVII. Septembris. Caſtra habebant Perſae ad aedem Coſmae et Damiani atque Sergii, a pago Bocheno vsque ad templum Confeſſorum et cliuum Zorenum. Auſi tamen ſunt Edeſ-

ſeni adapertis portis et acie intra vrbem inſtructa Perſis inſultare, qui veluti deſperata re ad Cubas pagum pedem retulerunt. Poſtridie eius diei Areobindus Baſilium Comitem obſidem miſit in caſtra, quatuordecim captiuos reddidit et duobus millibus auri pondo duodecim dierum inducias mercatus eſt. Ergo Cubades Dahabana mouit et Hormiſdam poſtridie ablegauit in vrbem, qui aurum exigeret, quod demum poſt aliquot dies ſe daturum pollicitus fuerat Areobindus. Hac rei indignitate Edeſſeni exacerbati obſidem repetunt, inducias renunciant regi. Tertium quidem vrbs obſidebatur, XXIV. Septembris, at Perſae eruptione Edeſſenorum repulſi, incenſis Sergii, et Confeſſorum ſacellis, receſſerunt: Areobindus ob nauatam ſtrenue operam trecentos denarios ciuibus diuiſit. (10) Ab Edeſſa periculum vertit in Batnas. Quibus in deditionem redactis, Marzabanes ad Callinicum praemiſſus: ipſe rex cum maiori exercitu ſequebatur. Vbi autem Timoſtratus Callinici praefectus non modo copias Perſicas profligauit, ſed Marzabanem ducem etiam viuum cepit, Cubades in hiberna duxit, Romani Amidam obſederunt. Dum ad hanc expeditionem exercitus conueniunt, Calliopius Alepinus praefectus caſtrenſis A. C. 504. Maio menſe apud Edeſſam tritici modios ad octingenta et quinquaginta millia exigit. Ab eo tempore Perſarum res ruere, Romani Amidam ſumma

(10) Ioſua Stylites, Chronicon Edeſſenum, Procopius, Theophanes Byzantius.

ma vi etarctiſſima obſidione vrgere. Edeſſeni iterum Romanis modios tritici ad ſexcenta et triginta millia praebuerunt. Econtrario, cum Petrus epiſcopus Edeſſenus imperatorem adiit docuitque, quae Edeſſenorum, quae totius Oſrhoenes in rem publicam ſtudia fuiſſent, tributa omnibus vrbibus in ſolidum, Mabugenſibus tertia parte remiſſa ſunt, epiſcopus pauperum neceſſitatibus ſubuenire iuſſus. Iam inclinauerat animum ad pacem Cubades, cum Celer militiae Romanae praefectus Baſilium, quem cum ceteris obſidem dederant Edeſſeni, captiuosque recepit, pacisque conditiones ferendo autumnum exegit. Ducti Romani in hiberna Telam, Rheſainam et Edeſſam. Amida recuperata, pacis negotium ſubleuari denique coepit. Interim Vrbicius eunuchus ciues Edeſſenos munificentia ſubleuabat. Eulogius autem praefectus Edeſſenus propugnacula extra murum et caſtella reſtaurabat, ducentis auri libris ex aerario imperatoris ad hoc opus erogatis. Tum vero duos aquaeductus, alterum a Telzama pago, alterum a Modado exſtruit, balnea collapſa et praetorium aedificat, vrbem mirifice reficit. Petro epiſcopo, qui moenium reparandorum curam in ſe ſuſceperat, libras auri viginti ex aerario praebitae: decem libras ad reſtaurandam aedem S. Virginis Vrbicius adiecit. Et cum antea praefecti Edeſſeni ſexies mille et octingentas olei menſuras templis et monaſteriis praebuiſſent, eam quidem impenſam Eulogius minuit, econtrario autem inſtituit, vt parte iſta ſumtuum templis ſubtracta, lampades in porticibus vrbis, quae

noctibus lucerent, in perpetuum alerentur. Batnarum quoque moenia A. C. 505 reſtituit, ne vicinum municipium hoſtium inſultibus pateret. Interim Hypatii in locum Pharaſmanes exercitui Romano ad Edeſſam dux datus, eoque paullo poſt Amidam concedente, Romanus praefuit. In Romani exercitu Gothi militabant, qui Edeſſenos ciues maxima moleſtia adfecere: vix a duce in ordinem redacti ſunt. Tandem Celer A. C. 506. Edeſſam venit, vt in propinquo pacem cum Perſis conficeret. Iterum milites, dum Celer quintum in menſem legatos ſuos e Perſia praeſtolatur, incredibile dictu eſt, quantum ſibi permiſerint in omne genus hominum. Res adeo inuidiae fuit Celeri, vt Edeſſeni libellis ad loca vrbis celebria adfixis eum diris modis proſcinderent. Poſt quintum menſem Celer ab Edeſſa profectus Daram, datis acceptisque obſidibus, pacis negotium confecit.

XX. Extrema ſenectute Cubades deceſſit, quinto Iuſtiniani Imp. anno, vt habet Agathias Myrinaeus, (1) filiumque Choſroen regni haeredem reliquit. Gregorius Malatienſis (2) quidem, Iuſtino imperante, (quem orientalium more Iuſtinianum vocat) cometam viſum quadraginta dies et a Choſroe Roham ſeu Edeſſam fuiſſe oppugnatam ſcribit et magnam vim mortalium trucidatam: at ille res ſub Iuſtiniano geſtas in animo habuit, cuius deinde XIV. anno Antiochiam ceterasque vrbes captas retulit. Iuſtini enim impe-

(1) p. 139. ed. Paris. (2) p. 149.

imperium ſatis pacatum et opportunum orientis rebus fuit. Edeſſa tamen ſuo cum malo conflictata ſub verem A. 836. ſeu A. C. 525. cum aquarum eluuio et moenium vrbis et aedificiorum foeda ſtrage multos mortales oppreſſit. (3) Etiam Euagrius (4) hac clade innumerabilem multitudinem periiſſe teſtatur. Theophanes Byzantius, Zonaras, Cedrenus ad hunc ipſum annum et anonymus auctor Antiquitatum CPlitanarum (5) narrant, poſtquam in alueo ſuo ſubſedit fluuius, inuentam eſſe tabulam lapideam ſic inſcriptam: ΣΚΙΡΤΟΣ ΠΟΤΑΜΟΣ ΣΚΙΡΤΗΣΕΙ ΚΑΚΑ ΣΚΙΡΤΗΜΑΤΑ ΠΟΛΙΤΑΙΣ. Euagrius ſcribit et ex eo Nicephorus Calliſti vrbem a Iuſtino Imp. refectam ab his ruinis nomen accepiſſe Iuſtinopolin. Cui eminentiſſimus Noriſius fidem ſic adhibet, vt arbitretur, hoc (6) poſt Iuſtini mortem cognomen fuiſſe abrogatum, quoniam in quinta ſynodo Amazonius *Edeſſae*, non *Iuſtinopoleos* metropolita ſubſcripſit. Mihi totum hoc de Euagrii Iuſtinopoli non placet. Nam Iuſtinus duos tantummodo annos poſt illam Edeſſae cladem ſuperfuit, vt parum de reparanda ea cogitaſſe videatur. At Procopius de aedificiis Iuſtiniani libro ſecundo (6) et eluuionem hanc et aedificationes Imperatoris deſcribit. Quem locum cum tractandum ſuſcipio, video me de flumine Scirto multa commode explicare poſſe, quae ſuperioribus in libris reliqui. *Scirtus* inquit ille, παρὰ τὸ ῥεῦμα βραχύς. Primum illud

(3) Chronicon Edeſſenum p. 412. (4) L. IV. c. 8. (5) p. 63. ed. Band. (6) in epochis p. 107. (7) p. 40. ed. Paris.

illud παραῤῥᾶ, fluuium non mediam per vrbem ferri demonſtrat, vt Procopium dicere putauit auctor antiquitatum CPlitanarum, vt multi alii, ſed praeter vrbem. Hoc etiam e Chronico Edeſſeno intelligere mihi ſum viſus, in quo Daizan dicitur ſe ante vrbem per planitiem effudiſſe et ferreis cataractis coercitum, ne irrumperet in vrbem, moenia ipſa diſieciſſe. Quid autem τὸ ῥεῦμα βραχὺς; nempe ex interuallo non ſatis magno a Tauro monte Scirtum fluere oſtendit, quamquam non negat, multos eum accipere riuos, donec in Euphratem ſeſe exoneret. Riuos vero, vt ſupra oſtendi, numero ad quinque et viginti. Proxima deinde Procopii verba ſunt: ἐνθένδε τε ἐξιὼν ἐπίπροσθεν ἴεται, ἐπειδὰν αὐτάρκη παρέχηται τῇ πόλει μὴν χρείαν τῶν τε ὑσόδων αὐτῆς ἢ ἐκβολῶν δι' ὀχεταγωγίας κατὰ τὸ τεῖχος πεποιημένων τοῖς πάλαι ἀνθρώποις. Claudius Maltretus non ſenſit corruptelam huius loci, quare in eius interpretatione item vt in his Graecis omnia ſunt confuſa. Plane emendandum videtur ἐνθένδε δεξιὸς ἐπίπροσθεν ἴεται, *et hinc*, cum proxime ad mediam vrbem in accliuitate ſitam appropinquauit, *ad dexteram ſe vertens curſum peragit, poſtquam vſum qui ſatis ſit, vrbi praeſtitit: nam priſci ciues per aquae ductum ſub moenibus aquam fluminis et acceperе in vrbem et ex vrbe deriuarunt.* Scilicet fluuius a Tauro monte petebat auſtrum, ad vrbem autem dexteram ſeu occidentem verſus ferebatur, donec in Euphratem incideret, τὰ μὲν ἐν δεξιᾷ τοῦ ποταμοῦ ὕψωταί τε καὶ χθαμαλὰ ἦν, τὸ δὲ δὴ ἐν ἀριστερᾷ ὄρος ἀπότομον, *dextera fluminis ripa erat depres-*

preſſa planitie in ſiniſtra erat mons praeruptus, vt ait Procopius. Itaque porro inquit, τὸ ὄρος μὲν ἦν οὐκ ἐπιχωρῆσαι αὐτῷ ἐπικλίνειν πῃ ἢ ἐκτρέπεσθαι τῆς ξυνειθισμένης ὁδοῦ, ἀλλ' ἐπὶ τὴν πόλιν αὐτὴν διορθούμενον ἀνάγκη τῇ πάσῃ, ὃ γὰρ ἦν τι αὐτὸν ἐπὶ δεξιᾶ ξυμποδίζον, ἡνίκα ἂν τῆς πόλεως εὐθὺ φέροιτο, *mons non patiebatur fluuium excedere ſolita via, ſed neceſſario verſus vrbem dirigebat, neque enim a dextera erat quidquam impedimento, quin recta vrbem peteret.* Siniſtra regio ad auſtrum praerupto colle cincta, a Tauro vsque vergebat ad Euphratem, vt iſthic excedere ripa non poſſet fluuius. Dextera regio ad boream fluminis ampla erat planities in colle deſinens: hic Procopii mons eſt. Scirtus ſtringebat auſtrales montes: Edeſſa ſatis longo ſpatio a Scirto partem in Tabara, ſeu collibus borealibus, partem vero maiorem in ſubiecta conualle ſita erat. Murus item duplex, alter per planitiem circa inferiorem vrbem ductus, alter in monte circa ſuperiorem. Priſci enim homines proxime ad fluuium vrbem condidere, deinde experientia edocti longius ſe receperunt, vt ſub colle eſſent ſiti. Vt autem fluminis aqua fruerentur, aquaeductus a borapeliote per planitiem receptus ſub moenibus in vrbem et ferreis cataractis prope moenia munitus eſt. Poſt a parte occidua moenia eadem arte contra vim aquarum firmata, denuo alius per planitiem in vrbem ductus. In hunc alterum aquaeductum videtur fons ſub palatio regio in ſuperiori vrbe erumpens ſeſe exoneraſſe. Hi ſunt duo aquaeductus a Ioſua Stylite commemora-

ti, quorum ad alterum pagus Telzama, ad alterum pagus Modad ſiti fuerunt. Eos deinde Iuſtinianus coniunxit. Cum ita Scirtus eſſet a natura factus, Procopius refert, aliquando imbribus intumuiſſe atque vrbem inuaſiſſe et moenibus tum exterioribus ſeu maioribus, tum interioribus perruptis, totamque per vrbem pulcerrimorum aedificiorum ſtrage edita, tertiam ciuium partem extinxiſſe: iacuiſſe etiam in ruinis eccleſiam Chriſtianorum ἣ τὸν καλούμενον Ἀντίφορον. Vtrumque Iuſtinianus, vt in aedificando erat magnificus, reſtituit. Iſthuc ergo templum Iuſtiniani opus fuiſſe cenſeo, quod ab Arabibus quibusdam inter quatuor mundi miracula referebatur. (6) Erant autem منارة الاسكندرية *Pharus Alexandriae* قنطرة سنجة *pons Sangiae*, fluuii in Meſopotamia, كنيسة رها *eccleſia Edeſſena* et مجد دمشق *templum Mahometanum Damaſci* a Valide filio Abdelmeleci nepote Meruani A. H. 87. extructum. Quoniam autem moenia, cum exteriora tum interiora, a vetuſtate male defecta erant, vtraque Imperator iterum condidit a fundamentis multo firmiora. Pars quaedam moenibrum caſtellum habebat, a quo extra murum collis ſurgebat in altum, quem, ne hoſtibus opportunus eſſet, Edeſſeni intra vrbem receperant, muro deducto. Sed διατείχισμα ὡς βραχύτατον ἐπὶ τῷ ἀνατεταμένῳ τῆς γῆς κείμενον vel a pueris expugnari poterat. Maltretus: *murus ille erat humillimus et ex-*

(6) Iacobi Golii notae in Alfraganum p. 103. Chronicon orientale Abrahami Ecchellenſis p. 51.

exporrecto in loco ſitus. Non hoc dixit Procopius, ſed, *murus erat pro capacitate patentiſſimi collis minori ambitu.* Idcirco Imperator eum diruit et ἐν τῇ ὄρ-ϱυς ὑπερϐολῇ *in ſummo monte ſeu colle* (Tabaram ſeu Saharitarum regionem dicit) caſtellum excitauit. Iam inquit Procopius, metus non erat, ne a ſuperiori regione hoſtis vrbem inuaderet. Hoc autem munimentum a caſtello vsque συγκαταϐᾶινον τῇ ὑπωρέᾳ μέχρι ἐς τὸ πρανὲς ἐκατέρωθεν, ᾗ τῷ περιϐόλῳ ἐναρμοζόμενον *per decliuitatem montis ab vtraque parte deſcendebat vsque ad planitiem et moenibus vrbis iungebatur in planitie ductis.* Ex his intelligo, vrbem inferiorem ſuis moenibus ſuiſſe firmatam, quae Edeſſeni vocant maiora, partem collis et ſuperiorem vrbem, in qua erat palatium Abgari et fons in palatio, aliis moenibus, quae minora appellant, cinctam coniunctamque maioribus moenibus et inferiori vrbi ſuiſſe. Haec moenia minora diſiecit Iuſtinianus alique ampliora a ſummo colle duxit. Ne autem fluuius ſimili clade vrbem adficeret poſteris in annis, πορεῖαν πρὸ τοῦ περιϐόλου τῷ ποταμῷ νεωχμῶν ἴχυσε, *aliud fluminis iter extra moenia duxit.* Nam monte ad ſiniſtram, (aut ad dexteram potius, montem puto Tabaram) qui fluuium coercebat, exciſo, foſſam amplam et depreſſiorem alueo ſtruxit et ad dexteram ingentem molem lapideam fluuio obiecit, ita vt oppidanos fluminis opportunitate non priuaret, quoad intra mediocritatem maneret, ſin elatus reſtagnaret, vt per eam foſſam deriuaretur et Hippodromi vicini tergum circumiret. Etiam per mediam vrbem recto

itinere fluuium duxit, crepidine, ne excederet, cohibitum. Dixi ſupra, duos aquaeductus in vrbem fuiſſe receptos, alterum ab oriente, ab occidente alterum. Hoc perpetuo alueo per mediam vrbem continuauit Iuſtinianus. Eodem fere tempore Batnas caſtellum muro recenti cinxit et Callinici Carrharumque moenia vetuſtate hiantia a fundamentis disiecit nouaque conſtruxit. Carrharum et Scirti fluminis mentione recordor, quod Villermus Tyrius tradidit, fines Edeſſenos Carrhenosque flumine fuiſſe diremptos. Non alium puto fluuium, quam hunc ipſum Scirtum. Dignus eſt locus, quem hic ponam integrum : (7) *Inter Edeſſam et Carrhas, quae vix quatuordecim diſtant milliaribus, fluuius quidam diſcurrit medius, qui ſua irrigatione canalibus deriuatus, circumadiacentem planitiem vberem reddebat et frugibus fecundam, a priſcis autem temporibus ſolum praedictum hanc habebat limitationem, vt quod citra fluuium erat, Edeſſenis ſine moleſtia cederet, quod vero trans fluuium, Carrhenſes proprium poſſiderent.*

XXI. Haec geſta ſunt ante A. C. 529. Nam ex Marcellino Comite (8) conſtat, eo anno Perſas rebellaſſe, et Oſrhoenae atque Meſopotamiae incubuiſſe paene quinque annos. Demoſthenes dux fuit Romani exercitus contra Perſas, quod e Chronico Edeſſeno intelligo. Edeſſam venit anno Edeſſeno 842. men-

(7) p. 792. (8) p. 51.

menſe Iulio, ſeu A. C. 531. Et Hunni quidem tum Romanas prouincias excurſionibus vexabant, vſque ad Aleppum progreſſi. His Demonſthenes obuiam proceſſit, at XVIII. Decembris clade accepta Telam ſe recepit et A. C. 532. X. Ianuarii ex moerore vitam finiuit. Neque Demoſthenem neque Hunnorum aliquam impreſſionem Procopius in Perſico bello commemorauit. Maxime enim in Beliſarii laudibus defixos oculos tenuit, vtpote qui eius a conſiliis fuerat. Cubades poſt paullo defunctus, paci ineundae occaſionem praebuit, ἕκτον ἤδη ἔτος τὴν βασιλέαν Ιυϛινιανῦ ἔχοντος, vt ait Procopius, ſeu A. C. 533. quo anno Marcellinus quoque pacis negotium collocauit. Recte igitur antea dixerat Marcellinus: *haec expeditio paene per quiennium tenuit.* Chronicon Edeſſenum, menſe Septembri anno ſuo 844 (eſt quidem 843 editum, at 844 ſcribi debere ex ipſa ſerie adparet) pacem inter Perſas et Romanos coaluiſſe, Rufino conciliante, hoc eſt, A. C. 533. Addit vero Chronicon Edeſſenum, pacem illam ad A. 851. ſeruatam fuiſſe, qui annus in A. C. 539. exorditur. Anno illo 851. quinto Octobris caelum arſit, teſte Chronici Edeſſeni auctore, et eodem anno, cum paullo ante monſtrum natum Edeſſae (9) Procopio teſte, Maio menſe autem, qui iam in A. C. 540. incidit, Choſroes Romanam ditionem inuaſit, Suram, Aleppum, Antiochiam expugnauit, Apamea quoque potitus eſt. *Inde ſignis inſeſtis Edeſſam petiit: diui-*

(9) de B. G. p. 606.

diuina autem prouidentia accidit, ut nulla eam clade adficeret: ſed miſerunt ei optimates vrbis et accepit duo centenaria auri et diſceſſit in regionem ſuam. Sic inquam Chronicon Edeſſenum. Eodem anno 540. Marellinus Comes Perſarum impreſſionem prodidit. Procopius, vt ſupra primo libro declaraui, Iuſtiniani XIII. anno exacto, primo vere. Primum autem Choſroes Zenobiam vrbem vi tentauit, inde Suram deditione cepit: vtraque vrbs ad Euphratem ſita fuit. Antiochia quoque vi capta, Choſroes legatos Romanos admiſit et auro accepto tributoque imperato diuertit Seleuciam. Apamcam depraedatus, traiecto Euphrate, Edeſſam duxit (10) ſumma eius vrbis potiundae cupiditate, quod inexpugnabilem vrbem diuino beneficio et munere eſſe, Chriſtiani ferebant, quibus mirifice erat infenſus. Vt Bâtnas peruenit, πόλισμα βραχὺ καὶ λόγου οὐδενὸς ἄξιον, vnius iter diei ab Edeſſa, vt ait Procopius, noctem iſthic egit et ſummo mane cum omnibus copiis petiit Edeſſam. Auctores ſunt, qui tradant, Choſrhoen, cum in conſpectu haberet vrbem, rheumate os occupante, male habuiſſe, idemque malum alio tempore quoque ab inuadenda vrbe regem, animo religione tacto, retraxiſſe. (11) Itaque Paulum quendam in vrbem miſit et pecuniam imperauit. Edeſſeni oſtendebant, ſe vrbi quidem non metuere, ne tamen ager vaſtaretur, duo ſe auri centenaria dare. Con-

(10) Procopius de B. P. p. 116. ſeq. (11) Procopius p. 119.

Conditionem rex accepit. Sunt, qui Chosroen patriae superstitionis omine ab obsidione absterritum ferant. (2) Nam cum propius Edessam venit, dextera monstrasse oppidum atque conversum ad Magos dixisse: *eane se vrbe potiturum existiment.* Negasse Magos capi posse, ea ductos coniectura, quod dextera monstrauerat: salutis hoc signum esse, non alicuius sinistri ominis. Interea Chosroes Antiochenos venales exposuit in castris. Quo cognito Edesseni adeo cupide pro eorum libertate in templo stipem contulere, vt nemo eius liberalitatis expers esset, multi etiam modum fortunae suae munificentia excederent. Meretriculae quoque omnem mundum et agricolae siue asinum siue ouiculam, *spem gregis*, incredibile quanto studio adduxerunt. Ita breui magnae opes in vnum sunt congestae. Verum Buzes, incertum quo consilio, Edessenorum liberalitatem impediuit. Ergo Chosroes Antiochenos secum in captiuitatem abripuit. Carrheni Persis obuiam processerunt cum muneribus, quae rex ciuitati remisit, ὅτι δὴ οἱ πλεῖστοι ὑ χριστιανοὶ, ἀλλὰ δόξης τῆς παλαιᾶς τυγχάνουσιν ὄντες, *quod plerique non Christiani, sed priscae opinionis retinentes essent.* A Constantinensibus vero, tametsi oppidum optimo iure suum esse dicebat, muneribus tamen placari se passus est. Hanc vrbem Cabades regis pater, cum ab expugnata Amida rediret, deprecante Barodato episcopo, non tantum nulla in re laeserat, sed etiam commeatu donauerat.

(2) apud Procopium p. 120.

uerat. Beliſarius ex Italia reuocatus, cum maximis copiis Meſopotamiam petiit, et non ita inſignibus rebus exacto fere anno, langueſcere viſus eſt, donec Choſroes Callinicum occupauit. Cum Romani moenia repararent, Choſrhoes per hiantes ruinas irrupit. Ciues ſane opulenti, audito Perſas appropinquare, res ſuas in munita oppida auexerant. Igitur nulla fere niſi liberorum corporum praeda fuit. Inopes et agreſtis multitudo, quae eo ſe receperat, in ſeruitutem abrepti. Ea fama Beliſarius copias Euphratem traduxit et de pace legatos miſit ad regem. Edeſſae Beliſarius erat, cum de pace conueniſſe cognouit. Eo obſidem regi miſit Ioannem Baſilii Comitis filium inuitum, γένει τε ᾗ πλούτῳ πάντων τῶν Ἐδεσηνῶν διαφανέστατον, *longe ante alios Edeſſenos et genere et opibus clariſſimum.* (3) Eo accepto obſide, Perſae in hiberna conceſſerunt. Cur obſidio datus ſit, Procopius non adiecit, cum hic, tum ſaepe alias, nimia breuitate obſcurus, in qua, veluti Thucydidi aemularetur, ſibi placuit. Theophanes Byzantius (4) vero ſic ait: ὁ δὲ Βελλισάριος Ἰωάννην τὸν Ἐδεσηνὸν, ἄνδρα διαφανέστατον ὅμηρον τῷ Χοσρόῃ ἀπέστειλεν, πρὸς τὸ ἀκινδύνως παρελθεῖν αὐτὸν τὴν τῶν Ρωμαίων χώραν, *Beliſarius Ioannem Edeſſenum virum illuſtrem obſidem miſit Choſroi, de tuto per Romanas prouincias receptu Perſarum.* Ioannes hic in Perſia moerore confectus deceſſit. Nam Choſroes pacis conditiones a Romanis violari cauſſatus, quarum cauſſa obſes datus fuerat

(3) Procopius p. 149. 141. (4) p. 187.

rat Ioannes, arctiori cum cuſtodia incluſum in Perſiam abduxit. Quare auia Ioannis, erat enim calamitati nepotis ſuperſtes, bis mille libras argenti Daram miſit, qua ſumma Ioannes veluti bello captus redimeretur. At Iuſtinianus imperator paciſci cum Perſis de obſide vetuit. Poſtquam in vinculis periit, praefectus Darenſis epiſtolam, quaſi a Ioanne ſcriptam, ſupponit, in qua haeredem fecerit facultatum ſuarum Iuſtinianum. Quae res Imperatori magno dedecori fuit. (5)

XXII. Autumno eodem, vt ex Theophane Byzantio atque ex ipſo Procopio tenemus, peſtilens morbus Meſopotamiam inuaſit, primo autem vere ſummis viribus bellum reparatum eſt a Perſis. Nam Choſroes, ob fruſtra tentatam Edeſſam, tum pudore ſuffuſus, tum percitus iracundia, Edeſſenos ciues vrbe atque agro extorres in Perſiam abripere cupiebat, ne veſtigia quidem moenium, ſed vaſtitatem et ſolum paſcendo pecori ſe relicturum minatus. Vbi Oſrhoenum in agrum omnibus cum copiis peruenit, Hunnorum manum in ouium greges, quae ſub ea parte moeniorum, cui circus imminebat, vt tuto loco, paſcebant, immiſit. Hunni gregem auertere, paſtores tamen fortiter repulere hoſtem, donec illinc Perſarum turba ſubſidio venit, hinc ex vrbe Romanus miles Edeſſenis paucis permiſtus erupit. Vnus ex Hunnis ſingulari virtute et robore corporis, omnium

(5) Procopius in hiſtoria arcana p. 37.

nium in ſe oculos maxime conuertit: is poſtquam pugnans cecidit, ceteri ſe ex acie ſubduxerunt, Perſae ſeptimo ab vrbe ſtadio poſuere caſtra. Ita pugna a ſummo mane ad medium diem extracta, neutrius certa victoria dirempta fuit. Poſtridie Paulum legatum in vrbem miſit, quo optimates ad colloquium de pace euocaret. Miſſi ſunt quatuor praecipua auctoritate viri, quibus ante caſtra Zagerbanes occurrit, multa cum interminatione quaerens, pacem mallent an bellum? Pacem praeferentibus oſtendit, auro opus eſſe ad emendam. Quantum ſuperiori anno datum fuerat, pollicebantur: at ille ſubridens falſe, redire in vrbem iuſſit, etiam atque etiam admonitos, vt ſibi ſuisque rebus conſulerent. Poſt paullo tamen rex ipſe legatos ad ſe vocatos de maximis victoriis ſuis praefatus perterrefacit, extrema omnia denuncians, ni quidquid auri et argenti intra moenia eſſet, ad ſe efferrent: hac vna conditione ſe abducturum copias. Illi, ſi aequa poſtulentur, prolixe omnia recipiunt, ſin atrocius imperetur, paratos ſe eſſe belli aleam ſubire, incerto vtique euentu, attamen non ſibi ſolum, verum etiam hoſtibus. Ad haec verba Choſroes excanduit legatoſque iuſſit e conſpectu atque caſtris recedere. Octauo die, poſtquam ad obſidendam vrbem rex venit, aggerem extra teli iactum ducere verſus vrbem coepit. Primum ingentem arborum multitudinem circumiectis in locis exciſam cum ipſis frondibus quadrata ſtrue congeſſit: et multa ſuper arboribus humo, ſuper humo lapidum mole excitata, totum opus

opus inter ſe trabibus deuinciuit. Erant in praeſidio Edeſſeno Petrus, Martinus et Peranius Iber, duces Romani. Petrus initio Hunnorum manum quam ductabat, in Perſas immittit, primo impetu opus molientes pellit, multos caedit. Praetorianus quidam nomine Argaeus manu ſua ſeptem et viginti Perſas neci dedit. Ex eo tempore Perſae, cuſtodiis diligentius collocatis, neminem erumpere ex vrbe paſſi ſunt. Vbi agger paullatim ad moenia acceſſit, Romani de moenibus operas ſundis et arcubus diſturbabant. At barbari pannos e pilis hircinis Cilicios de perticis ſuſpendebant, vt ſub hoc tecto ſine diſcrimine verſarentur: neque enim tela penetrabant. Ergo Romani extrema metuentes legationem mittunt ad regem et in ea Stephanum inſignem illa aetate medicum, qui Cubadem Choſrois patrem difficili morbo leuauerat, ingentibus ob id meritum muneribus donatus. Is fertur regem monuiſſe: *nihil vſquam gratioſius in regibus fuiſſe clementia, proinde videret, vt poſt tot praelia commiſſa, tanta clade adflictos tot populos, exciſas aut inſeruitutem abreptas ciuitates, fortitudinis gloria vndique parata, in conſeruanda Edeſſa clementiam exhiberet: ita ſe petere nunc et obteſtari ſupplicem: at, cum regem quondam educquerit puerum, cum patri auctor fuerit, vt eum potiſſimum ex omni filiorum numero ſucceſſorem ſibi deſtinaret, fructum fidei et officiorum, patriae libertatem prope ſuo iure repetere poſſe.* Nihilo tamen mitior Choſroes, ante omnia Petrum et Peranium duces ſibi dedi poſtulat, aut, ſi id Romanos facere pigeat, ha-

rum conditionum eligerent alteram, ſeu quinquagies mille auri pondo ſibi dependerent, ſeu ex amicis regiis quosdam in vrbem acciperent, qui perquiſitis aedibus, auri argentique quod in vrbe eſſet, ad ſe deferrent. Hoc immite reſponſum cum legati pleni moerore et ſolicitudine ciuibus renunciaſſent, incredibile dictu quam triſtis facies ciuitatis fuerit, tamquam captae. Iterum iidem legati in caſtra profecti, cum contumelia excluduntur. Vbi vident Romani iſtam molem ſupra moenium altitudinem exurgere et muri, qui aggeri oppoſitus erat, aedificationem altiorem vanam fore, Martino rem omnem permittunt, vt ſuo arbitratu pacem componeret. Profectus in caſtra, nequidququam ſumma cura profecit. Interea Romani ab vrbe cuniculum duxerunt, donec ſub medio aggere ſtrepitum ſenſere Perſae et a ſuperiori loco hinc inde latera aggeris perfoderunt, vt operarios interciperent. Hoc cognito Romani deſiſtunt a ducendo latius cuniculo et ſub aggere, qui proximis moenibus imminebat, ingens ſpatium aridis arboribus, oleo cedrino, ſulphure et bitumine perfuſis complent. Et Martinus in caſtris negotium trahebat ad opportunitatem, duces quoque Perſarum ſpem pacis oſtentabant, donec agger oppido quam proxime admotus fuit. Tum vero Martinus, pacis mentione omiſſa, in vrbem redire iubetur et armis decernere. Sub aduentum ducis, Romani totum cuniculum flammis incendunt, lignum et picem ſupra ingerunt, donec populante viſcera molis igne, ſub nocte fumus in aggere apparuit. Is ne for-

forte Perſas ad opem ferendam aduerteret, Romani vaſa prunis plena et ſagittas ſtuppeas incenſas, omnes in partes aggeris coniiciunt, excubitores ad hos ignes exſtinguendos diſcurrentes diu fallunt, tum Perſas ſubſidio miſſos telis proturbant. Sub ſolis ortum rex ipſe, quod erat, ſuſpicatus, vniuerſum exercitum ad incendium ſub terra reſtinguendum hortatur. Laetum ſpectaculum *Edeſſenis fuit*, cum barbari alii terram *iniicerent*, alii aquam affunderent. Et terra *quidem* vno loco aggeſta, alio fumus perrupit: aqua autem inter hiantem aggerem admiſſa et ſulphuri picique permiſta ſaeuiendi graſſandique materia fuit. Sub veſperam tanta flamma erupit, vt Carrhis et vltra conſpiceretur. (6)

XXIII. Sexto die poſt, ante ſolis ortum Perſae ſummo ſilentio cum ſcalis illam muri partem adorti, quae Φρούριον *Caſtellum* cognominabatur, euadunt clam excubitoribus in ſummum. Vnus tum forte vigilabat agricola, qui ceteros in moenibus excitauit. Clamore illo et ſtrepitu opem ferentium conſternati Perſae, ſcalis relictis, in caſtra trepidi fugiunt, ſcalas recipiunt in vrbem Romani. Sub meridiem Choſroes Portam magnam inuaſit. At Romani cum ciuibus et agreſti multitudine effuſi, Perſas repulerunt. Ipſa in fuga ſuorum Choſroes Paulum interpretem ad vi-

(6) Huius Choſrhois res geſtas Chondemirus cum alteriis Choſrhois rebus confudit. Petrus Teixeira p. 181. *Keſere Anuxiron* ſeu *Nauxiruan*, qui eſt hic ipſe Choſroes, *occupo Dara Mediney, Raba* (eſt *Roha* ſeu Edeſſa) *Kanſerin* (Caeſarea) *y tomo a Halep, Antiochia, y otras.*

victores mittit cum mandatis, adueniſſe Byzantio oratorem de pace Rhecinarium, igitur a perſequendo deſiſterent. Et ille dudum venerat in caſtra, ſed Perſae ſpe maioris rei, Edeſſenos celauerant. Rhecinarius vrbem ingreſſus pacis negotium vrget: Martinus tenebat, vt in tertium diem differretur. Hic vero Choſroes verba ſibi dari metuens maturandum duxit. Ergo congeſtis lateribus aggerem munit et poſtridie copias omnes admouet, ducibus ante portas cum valida manu diſpoſitis, murum corona cinctum oppugnat, adeo ſpei plenus, vt Saracenos cum aliquot Perſarum turmis pro caſtris haberet inſtructos, qui Edeſſenos ex oppido ſalutem fuga quaeſituros indagine comprehenderent. Inita ſub ortum ſolis pugna, Perſae ſuperiores erant multitudine, Edeſſenis ipſis nondum ad arma concurrentibus. Vbi autem tota ciuitas cum ipſis etiam foeminis puerisque ad defendenda moenia accurrit, mutata rerum facies eſt. Nam iuuentus vrbana militibus permiſta hoſtem fortiter propulſauit et agreſtes quoque mira ediderunt facinora, imbellis autem multitudo, foeminae, pueri, ſenes, materiam lapides aliaque tela pugnantibus miniſtrarunt, nonnulli feruenti oleo hoſtem perfuderunt, alii alio malo mulctarunt ſubeuntes. Deſiſtere igitur Perſae a mœnibus et victoriam concedere oppidanis, at Choſroes rurſum tam minis, quam precibus et ductu ſuo confirmare ſuos. Animum recipiunt Perſae, murum inuadunt, turres et omne genus machinarum admouent, donec telo-

rum nimbum perferre amplius non poſſent. Diſcedentes conuitio ſequi Edeſſeni et vltro prouocare. Vnus ad portas τὰς Σοΐνας et Tripyrgiam (ἣ δὴ, inquit, Τριπυργίαν i. e. *tres turres* καλοῦσι τὸν χῶρον) adhuc pugnabat Azarethes: ceperat enim exteriorem murum in ruinis ſubſidentem et ex interiori muro, qui erat ſuperior, pugnantes validiſſime vrgebat. Contra eum Peranius cum copiis Romanis et Edeſſenis erupit. Praelio acri ſuperatus Azarethes, cum ſubſidia nulla e caſtris mitterentur, fugam cepit. Eo opinor tempore accidit, quod Procopius alio loco commemorauit, (8) vt elephas Perſas propugnatores admouerit, qui helepoli, id machinae genus eſt, partem moeniorum diſturbarent, Edeſſeni autem porco e turri ſuſpenſo belluam grunnitus impatientem in fugam coniecerint. Nox ſequebatur ambiguo metu, Perſis eruptionem exſpectantibus, Romanis poſtero die oppugnationem. Tamen et nox et dies otio transacta. Tertio die pars exercitus Perſici ad Barlai portam ſucceſſit, qua profligata, Paulus interpres Martinum ad paciſcendum in caſtra inuitauit. Pax aequiſſimis conditionibus facta, vt Edeſſeni quingintas auri libras penderent, Chosrhoes litteras traderet, quibus ſe in poſterum nullo damno Romanas prouincias adfecturum recipiebat. Itaque Perſae vallis et munimentis caſtrorum incenſis, Oſrhoenes finibus exceſſerunt. Ita Procopius. At

(8) de B. G. p. 605.

At Euagrius Scholaſticus,(9)quamquam auctorem laudauerat Procopium, tamen praeterea etiam narrat, de imagine Chriſti. Edeſſenos, cum aduerſus aggerem Perſarum cuniculos ſub terra duxiſſent incenſuſque ignis viam erumpendi haberet nullam, opere ad exitum inani, perterritos inopesque conſilii imaginem eam in cuniculos deportatam aqua adſperſiſſe eamque aquam in materiam ſubiectam effudiſſe ita flammam emicuiſſe. Conſtantinus Porphyrogenneta hic multus eſt· Helionem tum Romani exercitus ducem fuiſſe neque potuiſſe tamen obſeſſae vrbi ſubuenire: igitur Perſas egeſta ſcrobe per cuniculos petiiſſe vrbem, perrupturos niſi faber ferrarius adeſſe hoſtes ſenſiſſet. Nam vbi Perſae ſub terra foderent, eius in domo vaſa aenea motu illo concuſſa ſonitum edidiſſe. Nocte illa viſam mulierem, ſpecie, quid quaeris? graui atque modeſta, habitu corporis inſigni, monere Eulalium epiſcopum de imagine ἀχειροποιήτῳ Eulalio quam imaginem diceret requirente, rem locumque indicaſſe. Summo mane epiſcopum ſupra portam ea imaginem reperiſſe et lucernam ardentem et in teſta iterum aliam imaginem impreſſam, quae teſta Conſtantini Porphyrogennetae temporibus Edeſſae erat, cum imago iſta eſſet deportata CPlin. Inde iam epiſcopum cum imagine fabri iſtius in domum ſeſe contuliſſe, ciues autem ab vrbe contra ſuffodientes

(9) H. E. L. IV. Cap. 27. Nicephorus Calliſti H. E. L. XVII. Cap. 16. tamquam e Procopio narrat.

tes ex iſta lucerna adperſis aliquot guttis incendium concitaſſe, quo Perſae conflagrarint. Rurſum vbi Perſae moenia inuaderent, incenſis ſub aggere cuniculis, Eulalium imagine monſtrata, fumum omnem atque flammam vertiſſe in hoſtes. Ne quis Conſtantinum crederet fumum vendere, teſtes adhibet Iobum Patriarcham Alexandrinum, Chriſtophorum Antiochenum et Baſilium Hieroſolymitanum, qui ad Theophilum Imp. iſta trecentis annis poſt detulerint. Neque diſſimulat Euagrii auctoritatem, quamquam is aliter, vt ſupra relatum eſt, narrat. Procopius tamen, qui tum rebus interfuit, totum hoc ignorauit, quod Euagrius prodidit. Et ne Euagrius quidem, eius aequalis, de imagine aliter, quam nota iam, neque tum primum inuenta. Helionis autem ducis memoria nusquam alibi exſtat: neque huius Eulalii Epiſcopi, quando ex Chronico Edeſſeno his temporibus proximo apparet, Andream ab A. Edeſſeno 838. ad A. 844. VI. Dec. inde iam Adaeum ad A. Edeſſenum 852. epiſcopos fuiſſe.

XXIV. Ad exitum vsque Iuſtiniani ſic ſatis pacatae res orientis fuere. Hic Imperator grauiſſimas leges tulit περὶ ἀθεμιτωγαμιῶν, *de inceſtis et nefariis nuptiis*, aut vt Harmenopulus explicuit, περὶ ἀμομιατῶν (10) Poſt vbi cognouit, in Meſopotamia et Oſdroene tales nuptias celebrari, credere ſe quidem diſſimulauit delatoribus, vt maieſtati ſuae et legibus iam latis parceret, ſi quid tamen eius rei ſit,

(10) Nouella XII.

propter multas hoſtium irruptiones, hanc illis gratiam fecit, vt neque inquireretur, neque puniretur ſcelus; ſi quis autem in poſterum idem commiſerit, nulli eſſe parcendum, quin ex lege agatur, cuiuscumque conditionis ſit, nulla ne ſacerdotii quidem venia, vt ſcias, etiam pontifices et presbyteros Edeſſenos tanta culpa non vacaſſe. (1) Non multo poſt Iuſtinus Imperator ſub ipſis auſpiciis, cum intelligeret, illa ipſa in Meſopotamia et Oſrhoene illegitima matrimonia ex Perſarum et Saracenorum conſuetudine frequentari, rectores autem prouinciarum ex eo crimine veluti quaeſtum inſtituiſſe et multos etiam innocentes vexari, iterum praeteritorum venia data, in futurum tantae turpitudini poenam ſtatuit. (2) Septimum annum imperabat Iuſtinus, cum A. C. 573. Choſroes rebellauit, vt auctor eſt Theophanes Byzantius, (3) aut cum Iuſtinus potius pacem frangeret, vt Theophylactus. Ad Sargathum praeſidio commiſſo victi ſunt Perſae, anno, qui extremus fuit Choſrois. Itaque huc trahi debet, quod Agathias Scholaſticus de illius exitu ſcribit. (4) Cum Choſroes, inquit, circa Carduchios montes in vico Thomanorum ageret, Mauricius Pauli filius ὑπὸ Τιβερίου Κωνσταντίνου τοῦ Ρωμαίων βασιλέως, ἄρχειν τῶν κατὰ τὴν ἕω ταγμάτων προσεταγμένος, *qui a Tiberio Conſtantino Romanorum rege legionibus orientalibus praefectus fuerat*, in regiones circa Araxem impreſſio-

(1) Nouella CLIV. (2) Iuſtini Imp. Nouella III. (3) p. 206. 208. (4) p. 140.

ſione facta et Zirma traiecto, omnem agrum igne vaſtauit. Potuit ignem late omnia populantem e caſtris conſpicere Choſroes, qui, cum non auderet cum hoſte congredi, Seleuciam ſe proripuit et ex moerore contracto morbo deceſſit. Sic Agathias. Tantum in eo errat, quod imperatorem vocat Tiberium, puto dicere voluiſſe Caeſarem. Nam Tiberius a Iuſtino Caeſar renunciatus eſt, A. C. 574. inchoata indictione octaua, VII. die Septembris. Choſroes autem non multis menſibus a morte Iuſtini ſuperſtes fuit. Bella, quae Romani contra Perſas, extremis Iuſtini annis, et Tiberio imperatore, tum ſub auſpiciis Mauricii geſſerunt, ex Theophane Byzantio, (5) Cedreno, Zonara et in primis ex Theophylacto Simocatta cognoſci poſſunt. Nam Iuſtinus, pacem, quae erat in quinquaginta annos compoſita, vt paullo ante diximus, rupit, ſeptimo anno ſeu A. C. 573. Miſſus eſt Marcianus patritius, orientis dux, qui aeſtate vergente Euphratem traiecit et ex Oſrhoene barbaros nihil tale metuentes inuaſit. (6) Poſt laetum belli principia, Choſroes rex tantam cladem Romanis prouinciis intulit, vt Iuſtinus Marciano imperium abrogaret et inducias peteret. Iuſtinianus Germani filius hanc ignominiam vlciſcens, tam cruento praelio Perſas vicit, vt Choſroes lege lata ſucceſſoribus pacem cum Romanis ſeruandam mandarit. At in Armenia Iuſtinianus haud ita multo poſt victus a duce Perſarum. Mauricius praetorianorum praefectus

(5) p. 212. ſeq. (6) Theophanes p. 245.

a Tiberio Caesare, vt diserte Theophylactus, praetor in Armeniam missus, rem restituit et vsque in Persiam penetrauit, omni Arzanena et ad Tigridem regione vastata. Tum vero decessit Iustinus A. C. 578. V. Octobris, Chosroes autem primo vere igitur A. C. 579. defunctus est. (7) Mauricius ad Callinicum victor Hormisdae regis spiritus fregit. Iterum ad Constantinam rebus bene gestis, ad imperium capessendum Byzantium rediit, cetera bella per duces gessit. Et initio Philippicus, qui Gordiam Mauricii Augusti sororem in matrimonio habuit, dux orientis illum se exhibuit, vt cum Scipione Africano compararetur. Vt semel aduersam fortunam sensit, ex aegritudine animi contracto morbo, Byzantium rediit. Interim laetae orientis res Heraclio Heraclii qui postea imperauit, patre Persas sustinente, donec Priscus dux orientis ab vrbe venit. Is ad Monocarta exercitum lustrauit: eodem vocauit Germanum τὴν τῶν Εδεσηνῶν ἀρχὴν πεπιστευμένον, *ducem Edessenum*, cum episcopo, vt opinor, Edesseno, neque enim explicate posuit Theophanes. Hic vero Priscus cum per summum fastum et inclementes Imperatoris litteras exercitum perculisset, seditione in castris mota, acerbissime agitatus vulneratusque vix euasit Constantiam. Milites, orientis ducem Germanum esse iusserunt. Is quantum potuit, orando minandoque exercitum pacauit. Et quamquam cum Imperatore in gratiam rediit exercitus, tamen Philippico, quem orientis ducem ab eo acceperant, audientes dicto non fuere. Quare successor ei datus

Co-

Comentiolus. Laetae iterum res in Meſopotamia Romanorum victoriis et inteſtinis ſeditionibus Perſarum. Hormiſdas rex a Choſroe filio in carcere necatus. Choſroes ob parricidium illud, Perſarum coniuratione pulſus ad Romanos transfugit. Quo per Romanos in regnum reducto, pacata omnia et quieta in oriente fuerunt. A. C. 603. Mauricius Imperator a Phoca de medio ſublatus eſt. Choſroes rex, qui a Mauricio et adoptatus fuerat et regno reſtitutus, vltionem optimi Imperatoris a Phoca repetens, tamquam pro Theodoſio Mauricii filio, qui ad Perſas euaſiſſe dicebatur, arma cepit. Narſes quoque Romani dux exercitus, hoc rumore, vt arbitor, Edeſſam occupatam, aduerſus Phocam retinebat et Choſrois opes, circumſpiciens, obſequium detrectabat. Et ſtatim quidem Germano duci litterae redditae ab vrbe, vt Edeſſam obſideret et Phocas ipſe A. C. 604. magnum exercitum in Aſiam transmiſit: partem contra Perſas, qui Germanum perculerant, partem aliam ſub Leontio eunucho, ad obſidendam Edeſſam. Choſroes cum exercitu ad Daram erat: Narſes vero ſub aduentum Leontii Edeſſa profugit Hierapolin. Leontio victo, Domentiolus ducatum ſuſcepit. Huic Narſes ſalutem pollicenti in fidem ſe tradidit: Phocas tamen fidem ducis fallens, CPli interrogo poſuit viuum. Ea res fata Romana praecipitauit. Narſeten enim adeo formidauerant Perſae, vt eius nomine etiam infantes ſuos compeſcerent. Ergo quarto Phocae anno A. C. 606 Dara capta, per totam Meſopotamiam praedas egerunt et anno

poſt Syriam quoque et Palaeſtinam Phoeniciamque peruagati, in Armeniam flectentes, Galatia Paphlagoniaque occupata, vsque ad Chalcedonem penetrarunt. Omnia e Theophane (7) et Cedreno. Phocas ſeptem fere annos in imperio exegerat, cum Heraclius ex Africa CPlin appulit cum claſſe et tyrannum omnia permiſcentem a gradu deturbauit. In hoc rerum motu Choſroes Syriam adortus, Apameam et Edeſſam cepit, ad Antiochiam Romanum exercitum magno praelio vicit. Iterum ex Theophane Iſaacio, a quo diſcedere noluimus. Dionyſius Telmarienſis (8) ad annum Edeſſenum 914. *Narſes militiae Perſarum dux adortus Roham, occupauit, et cepit Seuerum epiſcopum eius vrbis et lapidibus obruit, donec moreretur.* Hoc conuenit in A. C. 602. exeuntem aut A. C. 603. cum Narſes Edeſſam contra Phocam tenuit, vt ſupra diximus. Cum autem Narſes militiae Perſicae dux a Dionyſio dicitur, id eo ſpectat, quod opibus Perſicis ſubnixus tyranno ſe obiecit. A. 916. iterum captam Edeſſam tradit Dionyſius: puta a Phocae duce Leontio, quem A. C. 604. in Aſiam profectum diximus contra Narſeten, a quo anno, menſe Octobri A. Edeſſenus 916. iniit. Cedrenus (9) primo Heraclii anno Edeſſam, a Perſis captam commemorat: παρέλαβον δὲ Πέρσαι τὴν Απάμειαν Συρίας καὶ Εδεσαν καὶ ἥλ-

ϑον

(7) Theophanes p. 245. ſeq. Cedrenus p. 405. (8) Aſſemani Bibl. Orient. T. I. p. 425. (9) T. I. p. 407.

ϑον ἕως Αντιοχείας. οἱ δε Ρωμαῖοι πολεμήσαντες αὐτοῖς, ἡττήϑησαν καὶ διωλέϑη πας' ὁ λαὸς τῶν Ρωμάιων, πλὴν ὀλίγων, altero Heraclii anno etiam Caeſaream Cappadociae captam tradit. Ex quo loco Gregorius Malatienſis (10) explicandus nobis erit, qui a Choſroe primum Amidam et Halebum, veterem Berrhoeam in Perſarum poteſtatem veniſſe ſcribit, tum, inquit, Choſroes عطف على قنسرين ورجع الى الرها *inuaſit Caeſaream et retroceſſit Edeſſam.* Pocokius *deflexit Kenaſrinum.* (1) Si a veritate non aberrauit Gregorius, non poſt Caeſaream dicit captam Edeſſam, ſed receptum exercitui Perſico praebuiſſe. Secundum Cedrenum A. C. 611. occupata eſt Edeſſa: et ita quoque Theophanes, qui addit, Maio menſe, primo anno Heraclii captam eſſe. (2) Auctor Chronici Alexandrini (3) καὶ Αἴδεσα ὑπὸ Πέρσας γίνεται, *Aedeſſa in Perſarum poteſtatem venit*, ad A. C. 609 ſeptimum Phocae. Perperam vero hoc.

XXV. Chosroes iam omnem fere Aſiam tenebat, nec tamen ab Heraclio poterat exorari, vt reliquis Romanorum rebus quietem permitteret. Omnia interim caedibus rapinis et ſtupris permiſcebantur, quod in tanto victoriarum ſucceſſu nihil actum putaret tyrannus, niſi ſi chriſtianum nomen excidiſſet. Neſtorianis tamen bene velle videbatur, non quod iſti ſectae hominum fauebat, ſed vt aegre faceret orthodoxis, a quibus Neſtoriani pulſi, ad Per

(10) p. 157 (1) De hac vrbe vide *Aſſemanum* in addendis ad Tom. II. p. 473. (2) p. 251. (3) p. 382. ed. Pariſ.

Perſas confugerant. (4) Inde Edeſſae celebris ſchola Perſarum, quam Zeno Imp. euertit. Non poterat Heraclius vim Choſrois depellere, multis et maximis rebus impeditus. Nam et acciſae erant copiae a Phoca, et nouis ſcribendis vix facultas erat et occidentales barbari Europaeas prouincias haud ſegnius infeſtabant, quam Aſiaticas Perſae. Rebus occidentis vtcumque compoſitis, Imperator A. C. 622. poſt paſcha in Aſiam traiecit (5) Sex annos magna virtute bellum geſſit, donec A. C. 627. ipſam in Perſiam penetraret, captis multis caſtellis et praecipue Daſtagerdo regia, in qua multi Edeſſeni captiui libertatem conſecuti ſunt. Eodem anno Choſroes periit. De eius caſu exſtat in Faſtis Siculis epiſtola Heraclii Imperatoris. (7) *Siroes parricida pacem* cum Heraclio fecit. E foederis formula Imperator A.C.628. Theodorum fratrem cum legatis Sirois miſit, qui Perſica praeſidia ab Edeſſa, Palaeſtina et Hieroſolymis ceterisque vrbibus per fines Romanos deduceret, (8) ipſe CPlin rediit. Rurſum Heraclius A. C. 629. Hieroſolyma ad res ordinandas venit, inde, vt aiunt Cedrenus atque Theophanes, (9) καταλαβὼν τὴν Εδεσσαν, ἀπέδωκεν τὴν ἐκκλησίαν τοῖς ὀρθοδόξοις, ὑπὸ Νεστοριανῶν κατεχομένην ἀπὸ Χόσρυ, *Edeſſam venit et eccleſiam orthodoxis reſtituit, quam Choſroes Neſtorianis tradiderat.* Id nimirum eſt, quod Georgius

(4) Cedrenus p. 45. Theodorus Lector in Eclogiis H. E. p. 558. ib. p. 566. (5) Theophanes p. 253. Zonaras p. 84. Cedrenus p. 409. (6) Theophanes p. 268. (7) p. 398. (8) Theophanes p. 272. (9) Cedrenus p. 273.

gius Elmacinus ſcribit, (10) Heraclium imperaſſe, vt a ſecta Iacobitica ad orthodoxam fidem redirent Chriſtiani, quod multi fecerint.

XXVI. Extremum hoc felicitatis et virtutis Romanae documentum fuit. Nam et Perſis ſuperiori bello inteſtinaque diſcordia fractis et Romanis prouinciis longe lateque vaſtatis, Saracenorum furor in vtriusque gentis perniciem erupit. Erat tum عمر بن الخطب ابا حفص *Omar ebnol Chetab Abachaphetz Chaliſa*, qui ſuperbum nomen امير المومينى *Amir almumini*, ſeu *imperatoris atque ducis fidelium* primus accepit. Is de occupanda Meſopotamia conſilia iniit. Et vt diſtrictos teneret tum Romanos tum Perſas, ante omnia Perſarum vim tentandam ratus, ابى عبيد ابن مسعود *Abi Obid ebn Maſoud* cum non ita multis copiis aleam ſubire iuſſit. Obidus ad Talubiam a Perſis caeſus eſt, A. H. 13. menſe Ramadan, hoc eſt A. C. 634. Nouembri menſe. Mox Arabes acie conſerta ſuperiores fuerunt. Quae cauſſa fuit, vt Perſae, regina ارزمى دخت *Arzmi docht*, Choſrois filia (Βοράνην vocat Theophanes,) quae tum regnabat, deiecta, regem ſibi imponerent يزدجرد *Jezdegjerd*, Theophanis Hormiſdam. Hic per duces rem cum Arabibus male geſſit. Interim ابى عبيد *Abi Obeid* Damaſcum iam tenebat. Eodem fere tempore duces Arabum, عمر ابن العاص *Omar Ebnol*

(10) p. 14.

Atz Aegyptum adortus eſt, ميسرة بن مسروق العبسي *Miſaret ben Maſruk Abbaſida* ceteras Romanas prouincias inuaſit et عياض ابن غنم *Jjatz ebn Gonmi* in Meſopotamia Sarugum, veterum Batnas et Roham deditione cepit, tum Amidam, Mardenum et Niſibin. His victoriis ſuperſuit Omar Chalifa, poſt عثمان بن عفان *Othman ben Aafan* Chalifa, Perſia quoque omni occupta et Syria, Jezdegerden regem ſuſtulit. Hic ordo rerum in Abulpharagio diligenti in primis ſcriptore. (1) Accurrit ad incendium reſtinguendum Heraclius, qui A. Seleucidaeo 944. ſeu A. C. 633. teſte Dionyſio Telmarienſi (2) Edeſſae fuit, et vt is ait, Perſas tota Meſopotamia exterminauit. Quod de anno, confirmat nos Cedrenus, (3) vt in Gregorii Malatienſis fide acquieſcamus. Nam anno XXIV. Heraclii, qui a V. Octobris A. C. 633. inchoatus fuerat et cum anno Seleucidaeo 945. a Kal. Octobribus procedebat, res illae geſtae ſunt in Meſopotamia. Quod de Perſis exactis e Meſopotamia, nihil vsquam reperitur. Si Perſas vocat Saracenos, tum vero iterum error eius manifeſte tenetur. Heraclius enim Theodorum quidem fratrem contra Saracenos miſit, is autem conſerta manu victus, πρὸς τὸν βασιλέα ἐν Εδέσσῃ ἔρχεται, *ad imperatorem Edeſſam venit.* (4) Imperator in fratris locum Boanem ducem conſtituit et Theodorum Sacellarium quoque Arabibus oppoſuit, qui

(1) p. 175. ſeq. (2) Aſſemanus T. II. p. 103. (3) p. 425. (4) Cedrenus l. c. Theophanes p. 279.

qui rem Romanam non ita multum ſuſtinuerunt. Mox victi profligatique receſſerunt. Erat tum dux Arabum Ἰάσδος vt Theophanes verius, quam Cedrenus Ἰαὸδ, niſi hic corruptus ſit, nam eſt ipſe, quem ſupra e Gregorio nominaui, عياض *Jadz*. Ad eum Ioannes cognomento ſiue Κατέας, vt Theophanes, ſiue Καττᾶς, vt Cedrenus, ὁ ἐπίτροπος Ὀσροηνῆς, *procurator Oſrhoenes*, vt vterque, Chalcedonem A. C. 636. profectus, numorum centum millia in ſingulos annos paciſcitur, ſi nec pacis nec belli cauſſa Euphratem traiiceret. Quo cognito Heraclius, indigne ferens, tantam rem a Ioanne ſe inconſulto ſuſceptam, Ptolemaeum στρατηλάτην *magiſtrum militiae* ſucceſſorem miſit Ioanni, ipſumque in exilium expulit. Id quam inconſulto factum ſit, anno poſt apparuit. Iasdus enim traiecto Euphrate Edeſſam cepit. Cedrenus: (5) παραλαμβάνει Ἰαὸδ τὴν Εδεσαν λόγοις, τὴν δὲ Κωνσάντειαν πολέμῳ, ὁμοίως καὶ τὸ Δάρας· καὶ πολλοὺς ἐν ταύτῃ ἀπώλεσε καὶ ὕτως παρέλαβε τὴν Μεσοποταμίαν, *Iadus Edeſſam deditione accepit, Conſtantiam vi occupauit et Daras, multosque Darис neci dedit: ſic omni Meſopotamia potitus eſt.* Ita autem proſtratae erant vires Romanae, vt Edeſſeni ab auxilio deſtituti, vrbis agrorumque ſuorum et praeſidii Ptolemaeique praefecti incolumitatem pacti, ſeſe dederent. Eorum exemplum

(5) p. 429.

reliquae fere vrbes ſunt ſecutae, vno omnes anno, vt ait Theophanes Byzantius. (6) Dionyſius Telmarienſis ad A. C. 673. Arabas primum Meſopotamiam ingreſſos ſcribit et Aſum poſtea Edeſſam occupaſſe. (7) Captam eo anno Edeſſam ſatis conſtat, ſed iſta non prima fuit Arabum expeditio.

(6) p. 282. (7) Bibl. Orient. T. II. p. 103.

HISTORIAE OSRHOENAE ET EDESSENAE

E NVMIS ILLVSTRATAE

LIBER QVINTVS

Res Edeſſenae ſub Arabibus, Graecis, Francis, Perſis, Tattaris et Turcis.

OPerae pretium fore cenſeo, ſi de Edeſſenis rebus narrationem ad noſtra fere ſecula peragam, cum multa, praeſertim ſacro bello acciderunt, quae commemoratione et luce aliqua ſunt digna. Neque ego hic omnia, quae in Meſopotamia geſta ſunt, colligere inſtitui, ſed ea potiſſimum, quae Edeſſenos attigerunt. Poſtquam Othman ebn Aafan chalipha A. H. 35. qui X. Iul. A. C. 655. iniit, caeſus eſt a ſuis, Moauias a Syris et Aegyptiis, non inuita Aieſcha impoſtoris vidua, inauguratus eſt: contra ea orientales, Aſſyrii inquam et Meſopotamienſes, Ali ebn Ali Taleb Abbaſum le-

gerant. (1) Quinque fere annis ancipiti fortuna certatum eſt, donec Ali per inſidias ſuorum cecidit. Theophanes Byzantius (2) A. C. 667. hiemem Edeſſenis praegrauem commemorat, πλεμμύζα, inquit, ὑδάτων γέγονεν ἐις Εδεσσαν ϗ πολλοὶ ἀπώλοντο. Dionyſius Telmarienſis vero ceterique ſcriptores Aſiatici tradunt, (3) A. C. 679. tertio Aprilis, dominico die, Batnas Sarugi et Edeſſenam eccleſiam, magna cum clade populi, terrae motu corruiſſe, et A. C. 705. peſtilentem morbum multos mortales iisdem in vrbibus ſuſtuliſſe: (4) rurſum A. C. 718. alias eccleſias Edeſſae a terrae motu fuiſſe euerſas, (5) denique A. C. 743. excedente ripis Daiſan, Edeſſam eſſe disiectam, (6) quod A. C. 725. etiam contigiſſe ad Leonis annum nonum Theophanes prodidit, et A. C. 740. vt idem ad quartum et viceſimum Leonis annum. Ex Dionyſio quoque cognoſcimus, ſub Iazido chaliſa, qui Moauiae filius et ſucceſſor fuit, Emiros Meſopotamiam rexiſſe, Aburin, eoque depoſito, Mardaſum, iterum Mardaſo deiecto, Aburinum. Huius Iazidi filius Moauias ſuperſtitione tactus, poſt viceſimum diem ſe abdicauit, et ابن الزبير *Ben' alzobir*, tum Meſopotamienſes, tum Syros, Aegyptios, Perſas in obſequium ſuum pellexit. Contra eum Meruan ebn Hacem in Orodana inauguratus, primus cha-

(1) Gregorius Malatienſis p. 185. Dionyſius Telmarienſis apud Aſſemanum Bibl. Orient. T. II. p. 103. (2) p. 292. (3) apud Aſſemanum T. II. p. 104. T. I. p. 426. Chronicon Orientale Abrahami Ecchellenſis p. 67. (4) Apud Aſſemanum T. II. p. 105. (5) ib. Dionyſius Telmarienſis (6) ib.

chalifatum armis cepit. Cum Ibrahim ebnol Valid extremo anno Hegirae 126. A. C. 744. chalifa fieret, contra eum (7) مروان ابن محمد بن مروان بن الحكم *Meruam ben Mahomed ben Meruan ben Hacem*, ſuperioris Meruani nepos, bellum inteſtinum excitauit. Is e terra Turcarum ſeu Turcomannia irrupit in Meſopotamiam et Necaimum ben Thebith, mox Solimanum ben Hiſcham Ibrahimi chaliphae duces, praeliis ſuperat vrbemque Emeſam capit. Hic ille *Jazidi* ebnol Valid, qui antè Ibrahimum fratrem chalifa fuerat, cadauer e ſepulcro effoſſum, ſuſpendit: theſaurum autem regium a Damaſco Carrhas transtulit. Erat in vrbe Emeſa Iudaeus maximis opibus. Huic Meruanes quadringenta millia auri abſtulit. (8) Puto eum eſſe Iudaeum, cuius forte auus coloſſum Rhodium mercatus eſt. Cedrenus (9) Conſtantis eius qui Heraclii nepos fuit XII. anno Μαβίαν Rhodum cepiſſe ſcribit et *coloſſum euertiſſe*, vt Xylander conuertit. Καθῆλε τὸν Κολοσσὸν *ſuſtuliſſe et auexiſſe* potius interpretor. Nam is Coloſſus, Demetrio Poliorceta in Syria regnante, a Rhodiis poſitus, terrae motu concidit C. Flaminio Nepote P. Furio Philo Coss. A. V. C. 529. *Sed iacens quoque miraculo fuit*, vt ait Plinius. Tum, inquit Cedrenus, ἓν ὠνησάμενος ἔμπορος, ἐννακόσια καμήλια ἐφόρτωσε τὸν χαλκὸν. Theopha-

(7) Abulpharagius p. 212. (8) Dionyſius Telmarienſis l. c. p. 107. De hoc Meruane ita Theophanes p. 351. Meruanem fuiſſe Armeniae rectorem, contra Izidum mouiſſe: poſt menſes quinque, Izido mortuo, Abraimum fratrem Damaſci ſucceſſiſſe: at Meruanum exercitu ex Meſopotamienſibus inſtructo Edeſſam veniſſe, inde Damaſcum et Antilibanum petiiſſe. (9) p. 431.

phanes Byzantius (10) ὃν Ιουδαῖός τις ὠνησάμενος ἔμπορος Εδεσσηνὸς. Conſtantinus Porphyrogenneta, (1) tradit, translatum a Mauia fuiſſe in Syriam nauibus aes coloſſi, et venale expoſitum emiſſe Εὐφραιὼν τὸν Εμεσηνὸν, qui aes a mari 980. camelis deuexerit. At paullo ante aliis auctoribus Conſtantinus ſcribit, Rhodum captam ab Othmane, καθεῖλε δὲ τὸν Κολοσσὸν ὃν Ιουδαῖός τις ἔμπορος Εδεσσηνὸς ὠνησάμενος, aes auxit 900. camelis. Annus duodecimus Conſtantis congruit cum vere et aeſtate anni Dionyſiani 653. cum Othman Chalifa ſuperſtes, Moauias autem Syriae Emir ſeu praefectus Rhodiam expeditionem ſuſcepit, ne quid in eo ſcrupuli ſibi quisquam iniiciat, cum modo ab Othmane, modo ab Moauia Rhodum occupatam legit. At Emeſenum potius Iudaeum crediderim fuiſſe, quam Edeſſenum. Nongentorum camelorum onus Ioſephus Scaliger (2) collegit fuiſſe 720000, libras pondo: vt 980. cameli, quemadmodum alii tradunt, efficiant 784000. libras pondo, ex quo, quantae Emeſeni huius Iudaei opes fuerint, colligere poſſumus.

II. Sed redeundum nobis eſt ad Meruanem. Huic chalifatus poſſeſſionem non quietam permiſerunt Dachacus, Iacobus, Caibarus et Sacasbaeus, (3) quos ille vicit quidem et Edeſſam quoque recepit: ſed maiorem impetum A. C. 749. ſuſtinuit a Perſis, qui

p. 286 (1) De adminiſtrando imperio p. 72. (2) Animaduerſ. Fuſebianis p. 134. (3) Dionyſius Telmarienſis p. 108. Theophanes p. 353. 354.

qui nigris veſtibus vtebantur vti Arabes albis. Quamobrem Maurophori dicuntur Theophani. (4) Abul Abbas Alſaphah imperator ſalutatus, contra Meruanem miſit patruum ſuum, qui ad Alzababi, Alzabi ſeu Alzabati, (ita enim diuerſis modis legebatur in Gregorii Malatienſis exemplaribus Pocokianis, quem locum ex Dionyſio conſtat, بيت زبا *Beth Zabe* ſeu *Zaba* et Theophani Ζαβᾶν dictum fuiſſe, illa enim Meruani ſedes erat,) praelio ſuperior fuit. Meruanes primum Carrhas fugit, tum ponte Euphratis ſupra Carrhas, non procul, vt puto, a Batnis traiecto, in Syria bellum reparauit, non feliciori euentu. Interim Buricha principatui inhiabat et magnus iam erat A. C. 751. cum Abdalla Boctri filius Edeſſae ad maiorem ſpem adſpiraret. Is Abdalla coenobia iuxta Edeſſam, Carrhas et Telam a fundamentis disiecit. At Perſae mox Buricham A. C. 752. pellunt et Abdallam Mahomedis filium, regis Perſarum fratrem, Emirum Meſopotamiae imponunt. (5) Defuncto Saphaho Abdalla ben Mahomed ben Ali ben Abdallah ben Abbas rege, inter Abdallam ben Mahomed Abugjafar Almanſorem Saphahi fratrem et inter Abdallam ben Ali eiusdem conſobrinum, de principatu diſſidia ſunt orta, Perſis illum ſectantibus, hunc vero Meſopotamienſibus et reliquis Syris Aegyptiisque, donec Abadalla ben Mahomed ſuperior euaſit. Fuit illis temporibus Emir Meſo-

(4) Vide omnino Aſſemanum T. II. p. 108. et Theophanem p. 356.
(5) Theophanes p. 357. et Dionyſius Telmarienſis l. c.

potamiae Achaeus. A. C. 767. Abdalla rex maximis cum copiis Perſicis, Sindicis, Alanicis, Turcicis aliisque ad Amidam et Edeſſam collectis in Romanas prouincias irrupit. (6) Non fuit nobis animus haec accurate perſequi: attingenda tantummodo duxi. Nam ad Arabici populi hiſtoriam haec potius ſpectant, quam ad Meſopotamienſis. Vt autem initio Chalifis dicto audientes fuere Mahometani omnes, ita his temporibus illorum potentia acciſa eſt. Viſirii qui a chalifis ſecundi erant, ſaepe rem ad ſe magis trahebant: et Turcae quoque, qui ſub chalifis militabant, multum ſibi tribuebant. Quare Alradi ben al Moktader chalifa A. H. 324. A. C. 936. vt Veſirorum potentiam accideret, Rateci filium ducem exercitibus praefecit eique titulum امير الامرا *Emir alemira*, *imperatoris imperatorum* ſeu *ducis ducum* (7) indidit. Male hoc ceſſit, cum hi ducum duces nimis validi et auctoritate eſſent et potentia. Nihilo minus ceteri Emiri ſeu prouinciarum praeſides ſuperbiebant, cum et سلطان *Sultan* ſeu *dominum* et الملك *Almalec* ſeu *regem* ſe vnusquisque dici pateretur. Ita cum chalifa eſſet Al Kader ebn Iſaac, Gregorius ſcribit (8) de praefectis Eraci, mortuum eſſe Bahaoddaulam, ſucceſſiſſe Eddaulet, ſcribit autem his titulis بهاالدولة بن عضد الدوله بن بويه وهو الملك حينيذ بالعراق وولي الملك بعده ابنه سلطان الدولة ابو شجاع *Bahaoddaula ebn Adaddaula ebn Bovaja, et fuit rex*

(6) Dionyſius p. 113. (7) Gregorius Abulpharagius p. 302. (8) p. 334.

rex in Irak et fuit rex poſt eum filius eius Sultan Eddaulet Abu Schagjaai. In his maxime Perſarum Emiri ſeſe extulerunt, vt ſupra demonſtraui. Omnium autem inter ſe tot fuere inflictae acceptaeque clades, vt appareat, facile potuiſſe opprimi, ſi Graecis res publica magis cordi fuiſſet.

III. *Interim Edeſſeni et tyrannide et multis aliis caſibus preſſi ſunt.* Quid autem terrae motus omnes annumerem, quibus vrbs illa concuſſa eſt? (9) Feſtinat enim animus ad celebriores caſus, per quos Edeſſa ſub Graecis, mox ſui fere iuris ſub Perſis, denique ſub Francis fuit. Sub Chalifa Abul Haſan Ali puero poſt A. C. 1025. quidam عطيرا *Aatira* ex بني نمير *Bani nomir*, vir nequam et ſtolidus, Edeſſam tenebat. Eſt autem *Nomir* vna ex Arabacis tribubus. Eius hominis taedio Edeſſeni, ad ملك نصير الدولة بن مروان صاحب ديار بكر *regem Nazir oddaulet ben Meruan praefectum Diar bekri* certos homines miſerunt, qui vrbem traderent. *Diar bekr* eſt pars Meſopotamiae ab occidentali tractu Tigris per montes Niſibis protenſa. Huic coniuncta eſt ديار ربيعة *Diarmus Rabaea* ad vrbem Niniuen proxima Aſſyriae. Ad Euphratem eſt ديار مضر *Diar Mozar*, quod reliquum Meſopotamiae ad meridiem vergentis ديار الجزيرة

(9) Abulpharagius in hiſtoria dynaſtiarum p. 242. terrae motum, qui A. C. 856. Maio menſe Meſopotamiam concuſſit, memorat. Chronicon orientale Abrahami Ecchellenſis p. 59. Edeſſam Carrhas Rhaſalhaiaum concidiſſe ſcribit.

الجزيرة *Diar Algjezirat*, ſeu nomus inſulae vocatur, quo nomine etiam Meſopotamiam appellant. Nasſiroddaula igitur, Edeſſam miſit quendam زنكى *Zeng*, qui vrbe in poteſtatem accepta, Atiram occidit. Imperatores Graeci tantis in tumultibus et inteſtinis bellis Emirorum, nihil priſtina virtute dignum ſuſceperunt, aut domi otioſi, aut ciuilibus diſcordiis et regiarum domuum ſaedis ſuppliciis, aut imaginibus vel ſubuertendis vel reſtituendis, aut bello cum Bulgaris ceterisque barbaris diſtracti, raro leues pugnas cum Arabibus Perſisque conſeruerunt, frequentiores legationes de pace et tributo miſere adChalifas. Diximus Edeſſae iam Iuſtiniani Imperatoris temporibus teſteEuagrio honorem τῇ ἀχειροποιήτῳ habitum. Iam inde eiusdem imaginis non infrequens memoria, Ioannes Damaſcenus, quem ſupra produxi, imaginem ad ſua vsque tempora ſuperſuiſſe ſcripſit. Gregorius II. P. R. natione Syrus ad Leonem Iſauricum (1) πλήθη λαῶν τῆς ἀνατολῆς ἐκεῖ συναθροίζονται καὶ προσεύχονται, *magna hominum ex oriente multitudo iſthic conuenit atque imaginem adorat.* Orientalium Synodica ad Theophilum Imperatorem (2) poſtquam de Abgaro rege et imagine, ὅπερ ἐκμαγεῖον μέχρι τῆς σήμερον ἡ λαμπροτάτη καὶ μεγαλώνυμος τῶν Εδεσσηνῶν πόλις ὥσπερ σκῆπτρον βασιλικὸν κατέχουσα ἀυχεῖ καὶ κομπάζει, *quam imaginem ad hunc vsque diem ſplendidiſſima et*

(10) Abulpharagii hiſtoria dynaſtiarum p. 337. (1) Concil. Nicen. L. IV. p. 6. (2) Concil. ib. p. 116.

et magni nominis ciuitas Edeſſenorum tamquam ſceptrum regium tenens extollit laudibus. Et poſtquam in Concilio Nicaeno ſecundo (3) lectus fuit eadem de imagine Euagrii locus, Leo Anagnoſta magnae CPlitanae Eccleſiae ſurrexit interfatusque eſt, ſe quoque, vbi Edeſſam adiiſſet cum Apocriſiariis Imperatoris, τὴν ἱερὰν καὶ ἀχειροποίητον εἰκόνα ὑπὸ πιςῶν τιμωμένην τε καὶ προσκυνουμένην vidiſſe. Gregorius Malatienſis refert, (4) veniſſe legatos Byzantios ad Almottacum ebnol Moktader, qui ſudarium, quo Chriſtus vultum abſterſerat, τὸ ἅγιον ἐκμαγεῖον, ex Edeſſena eccleſia repeterent, contra autem multos captiuos pro hoc munere ſoluendi facultatem offerrent. Is autem Imperator, qui legatos ad chaliſam miſit, eſt Romanus Lacapenus. Nam Almottacus, cum ſub A. C. 941. ineuntem chaliſatum adiiſſet, tres tantum annos et ſex menſes ea in dignitate exegit, vt totum eius tempus in imperio Romani Imp. fuerit. Chaliſa iudices et legum peritos de Imperatoris poſtulato conſuluit. Erant, qui negarent tradi poſſe, ne qui cultus exhiberetur ſudario a Graecis: placebat aliis, vt redderetur, cum tot Moslimii recipi poſſent. Haec ſententia tenuit, miſſique ſunt qui negotium conficerent. At Symeon Logotheta (5) et Georgius Monachus in Nouis Imperatoribus, (6) rem aliter geſtam narrant. Scribunt autem Edeſſam a Romanis graui

(3) ib. p. 315. (4) p. 306. (5) p. 491. (6) p. 590.

obſidione cinctam fuiſſe, cum ciues legatis ad Conſtantinum miſſis, τὸ ἅγιον ἐκμαγεῖον ſe daturos polliciti ſint, ſi ab vrbe exercitus abduceretur. Ita bulla aurea foedus factum, ne deinceps ager Edeſſenus diriperetur. Georgius addit, etiam illuſtriores captiuos ab Edeſſenis repetitos fuiſſe. Hic Georgius rem iſtam inſeruit, poſt indictionem tertiam, hoc eſt A. C. 945. at Logotheta poſt indictionis quartae mentionem, cum Almottacus iam A. C. 944. deceſſerat. Et ea aetate nihil geſtum eſt a Conſtantino, ex quo intelligi poſſit, eum bellum habuiſſe cum Saracenis, aut arma vsque in Meſopotamiam circumtuliſſe. Incertus Continuator Conſtantini Porphyrogennetae (7) Conſtantinum ſcribit tantummodo cum Amera ſeu Emiro Perſiae conciliatum, legatos miſiſſe et obſides: legatos in via Thomae Apoſtoli ſepulcrum venerantes, lampades pretioſiſſimi operis, quas Imperator dono miſerat ſepulcro, ſuſpendiſſe. Fuit autem Edeſſae huius Apoſtoli ſeu ſepulcrum, ſeu cenotaphium. (8) Sed hic vel *in primis* auſcultandum eſt Conſtantino Porphyrogennetae, Romani genero, qui memoriae proditum reliquit, ſaepe atque diuerſis temporibus imaginem et epiſtolam Chriſti petitam ab Edeſſenis et cum ducentos Saracenos captiuos tum argenti ſignati millia duodecim praemio oblata fuiſſe. Reſtitiſſe Edeſſenos, donec A. M. 6452. impetratum ab iis fuit. Is

(7) p. 284. (8) Aſſemanus T. I. p. 49. et 399. Oliuerius in hiſtoria terrae ſanctae p. 1312. ed. Eccardi.

Is annus iniit a Kal. Sept. A. C. 943. Igitur quando, tum Incertus auctor de Romano Imp. et Leo Grammaticus ad diem XV. Auguſti, tum Conſtantinus et Menaea XVI. Logotheta XIX. diuerſitate quae nos nihil moratur, CPlin aduectam narrant, apparet A. C. 944. dici, vt ſupra ex Gregorio Malatienſi coniectauimus. Nam امير Ameras Edeſſenus ad Romanum Imp. mandata miſit, habiturum imaginem, ſi Graeci numquam vel Ροχᾶν, ὅπερ τὴν Εδεσσαν ἡ βάρβαρος ὀνομάζει φωνὴ, vel Carrhas et Saratos et Samoſata inuaſuros ſe reciperent, ducentos captiuos redderent e Saracenis, pecuniae ſummam dependerent millium duodecim. Quo cognito, Romanus Imp. Abraamio Samoſatenſi Epiſcopo qui tum Byzantii erat, negotium dedit, vt ad ſe tam imaginem quam epiſtolam perferret. Cauebant et Imperator et Epiſcopus, ne quid aſtutiae Edeſſeni comminiſcerentur et pro vera imagine ſubmitterent aliam, quae, vt ait Imperator, μεταγραφεῖσα διὰ τὴν Περσικὴν περίσασιν *Perſico bello ad iſthuc exemplar erat facta*, aut tertiam, quae in eccleſia Neſtorianorum colebatur. Ergo omnes tres poſtulauit Epiſcopus et accepit, cognitaque vera, duas ceteras reſtituit Edeſſenis. Tumultuabantur ciues Edeſſeni, cum ſibi ereptam viderent imaginem: attamen dux Edeſſenus, tum multa pollicendo tum vi mortisque et ſuppliciorum metu conquieſcere coegit. At cum ingens tempeſtas eſſet coorta illo die, quo ex vrbe deportanda erat, rurſus ciuium animis religione motis, concitatus eſt tu-

tumultus, vix a duce Saraceno compoſitus. Vt deinde CPli ſuſcepta fuerit, vt in S. Sophiae aede dedicata, iam nihil ad Edeſſenam hiſtoriam. Vnum adiicio, duas eſſe vrbes in Italia, quae de huius imaginis ad hoc tempus conſeruatae gloria certant. Pro vrbe Roma eaque imagine, quae iſthic pro Edeſſena colitur, Caeſar Baronius Cardinalis atque Surius in acie ſtant, pro Genua Abrahamus Bzouius et Franciſcus Combefiſius pugnant. Et huius vero Genuenſis imaginis patrocinium *exſufflata Baronii opinione et Romana de illa traditione*, vt Combefiſius Dominicanus loquitur, Carolus Ioannes Baptiſta Pothier, in ſe ſuſcepit. Suſpecta mihi tamen etiam Genuenſis imago vel idcirco eſt, quod Vberto Folieta teſte (9) conſtat, A. C. 1384. ex Leonardi Montalti ducis domo, in qua clam omnibus ſeruata fuerat, teſtamento ad rempublicam delata et in S. Bartholomaei aede dedicata fuit. Nam ſtante CPoli et incolumi, imaginem in priuati manus hominis, vt paullo ante Montaltus fuit, peruenisſe, non fit veroſimile. Peruenit deinde ad Francos: Ioannes Baptiſta Laſagna multis legationibus perfunctus, a Ludouico Rege, initio ſexti et decimi ſeculi ſudarium vt Genueſibus reſtitueretur impetrauit, (10) *quod poſtea apud easdem D. Bartholemaei ſacras aedes, maxima veneratione et incredibili totius populi laetitia conſeruatum eſt: cum in eo Ieſu Chriſti Domini noſtri vera effigies ad Abgarum regem trans miſſa ſit impreſſa, cuius gra-*

(9) Hiſtoriae Genuenſis p. 490. ed. Graeuii. (10) Continuator Folietae 742.

gratia ſingularique beneficio a tyrannide ereptam libertatique reſtitutam, ſperandum eſt, antiquam hanc remp. rectis legibus et moribus reformatam aemulatione antiquorum Genuenſium piam, iuſtam, bello fortem, perpetuamque futuram, vt is ait, qui Vberti Folietae hiſtorias continuauit.

IV. Baſilius Imperator et Conſtantinus Porphyrogenneta negotii ſatis habuere quod agerent, tum in ciuilibus ſeditionibus, tum in Bulgaricis bellis. Ea occaſione multae vrbes orientis, defuncto Baſilio, defecerunt, Conſtantini ſegnitiem contemnentes. Nicephori Phocae Imperatoris imperium plenum maximis victoriis, quamquam diuturnum non fuit. De Ioanne Tzimitze fortiſſimo item Imperatore Conſtantinus Manaſſes ſic cecinit. (1)

Εδεσσα τοῦτον ἔβλεψεν, Ευφράτου πεδιάδες.
Ρωμαίων ἵππος ἔπιε ναμάτων τοῦ Ευφράτου
Καὶ φρυαγμάτων ἔπλησε τούτων μυκτηροκόμπων.

Edeſſa hunc vidit, et Euphratis campeſtria:
Romanorum equus bibit aquam Euphratis
Et hinnitibus ſalacibus ſuperbisque impleuit.

(1) p. 119.

At poſtea Romanus Argyrus amoto Spondyle, qui ad Antiochiam ſegnius ſe geſſerat, Conſtantinum Carantenum, is in matrimonio habebat Romani ſororem, cum exercitu praemiſit in orientem, ipſe cum ceteris copiis ſecutus eſt. Parum tamen profecit, et a commeatibus excluſus, vix cum ſuis euaſit Antiochiam. Poſt magno cum exercitu ab vrbe miſit Theoctiſtum protoſpatarium, qui praeclare ſe geſſit. A. M. 6540. vt habet Cedrenus, (2) qui iniit A. C. 1031. Septembri menſe, Edeſſa capta eſt. Gregorius Malatienſis, (3) A. H. 422. qui iniit A. C. 1030. 28. Decembris Roham, quae in manu Naziroddaulae erat, captam ſcribit. Captam igitur puto A. C. 1031. poſt Kalendas Septembres, cum adhuc procederet A. H. 422. vsque ad 18. Decembris. Nam ex Cedreno, cum de Romani Argyri expeditione agit, apparet, nullam anni partem iis in regionibus accommodatiorem fuiſſe rebus gerendis, quam autumnitatem, cum non ita aquarum inopia laboraretur. Captam in hunc modum Edeſſam narrat Cedrenus. (4) Georgius Maniaces protoſpatharius, Gedelii Maniacae filius, praefectus erat vrbium ad Euphratem et Samoſatis ſedem habebat: Edeſſae vero praefectus erat ab Emiro Martyropoleos Salamanes Turca. Ἀτομερμάνης ὁ τῶν Μιεφερκὰμ Ἀμηρᾶς eſt is ipſe Naziroddaula, quem ſupra commemoraui. Tantum emendandum eſt hoc nomen in Cedreno, vt ſit Ἀβδμερβάνης. Nam tametſi Naziroddaula dictus fuit

(2) p. 725. (3) p. 342. (4) p. 731.

fuit ابن مروان *Ebn Mervan* a patre, tamen pro eo videtur Cedrenus nomen eius accepiſſe ابو مروان *Abu Mervan.* Vrbem, in qua Naſſiroddaula reſedit, mox Martyropolin vocat, mox Μιεφερκεῖμ, et terminatio more iſtius aetatis pronunciari debet vt Μιεφερκεῖμ, quod plurimis exemplis teſtatum eſt. Haec vrbs eſt Syrorum ميفرقطا *Maifracta* et ميفرقين *Maipherkin*, Arabum ميافارقين *Maipharkin.* Iam Euſebius Renaudotus coniectatus fuit, hanc eſſe veterum Martyropolin: contra eum Ioſephus Aſſemanus, (5) Tagrytum eſſe Martyropolin oſtendit. At negari non poteſt, Cedrenum et quosdam alios, cum Martyropolin dicunt, in animo habere Maiphractam. Redeo ad Edeſſam. Salamanem praefectum Georgius Maniaces muneribus corrupit, vt intempeſta nocte tres munitiſſimas turres Graecis proditione traderet. Edeſſeni, qui Naſſirodino impenſe fauebant, impetu in Graecos facto, fortiter ſe vrbemque defenderunt, donec Naſſiroddaula ipſe auxilio venit, cum haud paruo exercitu. Is turres aggreſſus a Maniace fortiter repellitur. Cum nihil ſe videret proficere, pulcerrima vrbis aedificia direpta igni ſubiecto incendit, omnem vero ornatum vrbis ipſiusque templi corrupit, et pretioſiſſima quaeque in camelis auexit. Georgius Maniaces nullo negotio arcem in media vrbe occupauit, accitisque nouis auxiliis praeſidium firmauit. Anno poſt Imperatori

(5) T. II Monophyſitis diſſertatione.

tributum vnius anni quinquaginta libras auri misit. Huic ad maiorem gradum euecto succeſſor datus Lependrenus. Illum Arabes in Meſopotamia ſociatis armis adorti ſunt, A. M. 6545. vt habet Cedrenus, indictione decima, aut, vt verius eſt in Scylitza, indictione quinta, hoc eſt A. C. 1037. exeunte aut 1038. Cepiſſent hoſtes vrbem, niſi ſubſidio validam manum ab Antiochia miſiſſet Conſtantiuus Imperatoris frater. (6) Hic quod vrbem obſidione praeterſpem exemiſſet, ab Imperatore ſcholis orientis praefectus eſt. Anno poſt, ſexta indictione, vt hoc loco recte ſcriptum eſt in Cedreno, ſeu A. C. 1038. exeunte aut 1039. parum abfuit, quin Edeſſam aſtu occuparent Arabes: inſidiae deprehenſae in auctores verterunt. Praeerat vrbi Parasbatzes Iberus protoſpatharius. Ad eum Arabes, primarii viri, numero duodecim cum equitibus quingentis et totidem camelis venerunt, munus ſe Imperatori adferre commenti. Erant autem arcae in camelis ſuſpenſae, quae ad duo millia armatorum continebant. Has arcas, vt depoſitae in vrbe aut caſtello eſſent, aperire conſtituerant Arabes, atque armatos e latebris immittere in oppidanos. Parasbatzes qui Arabas metuebat *et dona ferentes*, principes in vrbem recepit et conuiuio adhibuit, equites et munus ipſum ante moenia commorari iuſſit. Forte autem accidit, vt Armenus quidam medicus eo in loco, vbi Arabes caſtra fixerant, incedens, vocem Arabis in arca delitescentis exau-

(6) Cedrenus p. 739.

audiret, erat enim Arabicae linguae pergnarus. Is tranquille in vrbem reuerſus, Parasbatzen adit, rem aperit. Parasbatzes, relictis ad menſam Arabibus, repente cum armatis Arabum caſtra inuadit, doloque reperto, ad vnum omnes equites et armatos et camelorum ductores trucidat, inde in vrbe principes Arabas ſupplicio adficit, vnum praecipuum inter alios praeciſis auribus et naribus, nuncium abire iubet. Ex eo tempore Edeſſa in Graecorum manibus permanſit, donec a Francis occupata fuit.

V. Iam principio notum eſt, multos mortales e Francia et omni Germania ad liberandam e Saracenorum poteſtate Palaeſtinam, itinere per Hungariam et Graeciam ſuſcepto, in Aſiam veniſſe et primum omnium Nicaeam obſediſſe, A. C. 1097. XV. Maii, vt Villermus Tyrius (7) et Annaliſta Saxo tradunt. (8) Eo ſe ſcribit veniſſe Fulcherius Carnotenſis (9) cum vrbs a medio Maii iam obſideretur: cui teſtimonio tantum tribuo, vt quod in Chronico Trium Fontium eſt IV. Non. Maii (10) et apud incertum auctorem de geſtis Francorum, (1) bonum in primis, quem Robertus Monachus ſecutus eſt, (2) pridie Nonas, de aduentu exercitus in agro Nicaeno interpretandum putem. Poſt, rebus praeclare geſtis, Antiochiam Syriae, Edeſſam, Hieroſolyma omnemque regionem ceperunt Franci. Erant duces expeditionis ſummo genere, in quibus facile eminebant tres fratres, Godofredus,

(7) p. 663. (8) p. 582. (9) p. 387. (10) p. 154. (1) p. 5. (2) p. 39.

Balduinus et Euſtachius, filii Euſtachii Comitis Bolonienſis ex Ida ſorore Gothofredi Gibboſi ducis Lotharingiae, quo ſine liberis defuncto, Godofredus in ducatum Lotharingiae haereditarium ius habebat. (3) Balduinus a pueritia optimis artibus et liberalibus diſciplinis eruditus, ſacro ordini ſe dedidit, et in eccleſiis, Rhemenſi, Cameracenſi, Leodienſi beneficia obtinuit ampla. Tandem vitae hoc genere relicto caſtra ſecutus, vxorem duxit Gutueram, nobilem foeminam ex Anglia. Haec maritum proſecuta in expeditione ſacra, antequam ad Antiochiam peruentum eſt, prope Mareſiam deceſſit. (4) Euſtachius deinde reuerſus in Franciam, haereditatem paterni comitatus adiit. (5) Hic vero eſt ille Balduinus, qui Edeſſam tenuit, poſt etiam Gothofredo fratri in regno Hieroſolymorum ſucceſſit. Gregorius Malatienſis ſcribit, (6) in exercitu Francorum fuiſſe e regibus بردويل *Bardvil*, puta Balduinum et سجال *Sachal* ſeu quod in alio MSto eſt, صنجيل *Zangjil*, neſcio ſane quis, niſi ſit صنجيد corrupte Tancredus et كندفرى *Gondofri* ſeu Godofredus et القومص صاحب الرها *Comes princeps Rohae*, qui eſt hic Balduinus et صاحب بيموند *Bimund* ſeu Boamundus princeps Antiochiae. De Edeſſa rem breuiter, ſed non ſine errore explicat incertus auctor, qui librum, Geſta Francorum expugnantium Hieruſalem inſcripſit. (7) Ait autem

(3) Robertus de Monte in appendice Sigberti p. 617. Alberici chronicon p. 180. (4) Villermus Tyrius p. 777. Albertus p. 224. (5) Villermus p. 765. (6) p. 368. (7) p. 564.

tem, Balduinum, cum ab exploratoribus accepiſſet, *Rothaſiam* (eſt haec Oſrhoene) fertilem et copioſam eſſe, eo cum ſuis eſſe profectum, deinde ad Euphratem, qui Rothaſiam atque Antiochiam diuidat, plurima caſtella cepiſſe, vnum vero munitiſſimum *Traberez*, pleraque deditione Armenorum. Cum fama huiusce rei percrebreſceret, princeps *Edeſſae*, *quae Rothaſia*, hoc eſt Roha, legatis miſſis eius amicitiam comparaſſe dicitur.

VI. Res vero ita geſta eſt. Nicaea capta, Tancredus Comes Ciliciam petiit, Tarſum obſedit. Dum ciues deditionem parant vexillumque Tancredi de edito loco exponunt, eodem venit Balduinus, vexillum deiici, ſuum reponi iubet, vrbem in fidem accipit. Ex eo ſimultas orta inter Balduinum et Tancredum. Conciliatis tandem animis, Balduinus verſus Euphratem mouendum duxit. Erat cum eo Pancratius Armenus, qui e carcere Imperatoris CPlitani elapſus, ad Nicaeam in Balduini amicitiam ſe contulerat. Hic non deſtitit hortari Balduinum, vt iſtam expeditionem ſuſciperet, et, vt erat ſtrenuus, tum regionum omnium et linguarum et hominum perquam gnarus, denique perſuaſit. Peditum idoneam gerendae rei multitudinem, equites ducentos (8) lectos, ſeptemtrionem verſus duxit e Cilicia et ad Euphratem chriſtianis ſe ſuaque caſtella, tradentibus, Turcas omni fere regione exegit. His in caſtellis fuit *Traberez*.

(8) Villermus Tyrius L. IV. c. 1. Marinus Sanutus p. 141.

berez incerti auctoris, Fulcherii Carnotenſis *Turberes*, (9) Alberti Aquenſis (10) *Turbayſel*. AdditAlbertus : *Turbayſel*, *quae eſt Berſabe*. E Gregorio Malatienſi (1) cognoui, qui locus ſit. Ait enim جوسلين صاحب تل باشر *Joſcelinus Princeps Tel Baſcher*. Eſt autem *Tel baſcher* حصن *Caſtellum*, duabus manſionibus ab حلب *Haleppo*, aquis hortisque abundans, vt Abulfeda refert. In Tabula Peutingeriana *Thalbaſaris* xv. millia paſſuum ad orientem Tigranocertae. Credo aliam vrbem. Vbi memoratu dignum eſt, quod Gregorius Malatienſis ſubiicit, Armenos multas arces occupaſſe, quarum aliquas ad ſuam aetatem tenuerint. Quod factum puto eo tempore, cum Selgjucidae Imperatoribus Romanis orientem adimerent. Idem ad A. H. 589. Salahoddini filium Al Malec Al Daher Halebi dominum occupaſſe tradit حرم وتل باشر واعزاز ودربساك ومنبج *Harem*, *Tel Baſcher*, *Azaz*, *Dorbeſak et Mambagj*. *Mambagi* eſt Hierapolis in Syria Euphrateſia, non item procul ab Haleppo, veterum Berrhoea. Quare has quoque vrbes, quae cum *Tel Baſcher* nominantur, in poteſtatem Edeſſenorum Comitum veniſſe puto. Noſtri ſcriptores etiam *Hatab* memorant, ſeu *Hamtab*, vt alii, et *Tulupam* et *Coritium*. Fuit etiam *Ravendel* ſeu *Rauenel*, quod Pancratio traditum eſt. Hic ratus a tam firmo munimento ſubiectam regionem teneri poſſe, iam inde proditionem Francorum agitauit, cum locum filio regendum dedit, e peregri-

nis

(9) p. 389. (10) p. 220. (1) H. Dynaſt. p. (2) p. 422.

nis autem neminem intra moenia admiſit. Duo alii Armeni, Fer et Nicuſius ad Balduinum ſe contulerant. Qui, vt ſenſerunt Pancratium cum Turcis clanculum conſultare de proditione, rem ad Balduinum deferunt. Ergo is Rauenel caſtrum a Pancratio repetit. Negat Pancratius, vincitur, tormentis ſubiicitur, ſententia denique lata, vt in partes membra omnia conciderentur, litteras in manum Feri tradit, quibus filio deditionem caſtelli mandat. Sic ſolutus vinculis, caſtris excedere iubetur. Dum hoc agunt Franci, vt Euphratis ripam omnem in poteſtatem redigant, fama eius rei Edeſſam venit, magno animorum motu Franci tanquam libertatis vindices a caelo miſſi celebrantur. Annaliſta Saxo (3) et ceteri fere ſcriptores, vrbem tum in Graecorum poteſtate fuiſſe tradunt. Nam vt ille ait, *a diebus antiquis ſemper inexpugnata nunquam manum dederat vrbs illa ampla, paganis, eo quod muris vltra humani operis qualitatem firmis, fluuio quoque intus ebulliente, omni etiam ſitu naturali populique et victuum muniatur fertilitate.* Vanam iſtam gloriationem fuiſſe, noſtra opera demonſtratum eſt. Status vrbis hic fuit. (4) Nulli niſi chriſtiani in ea degebant, in vicinia autem paſſim erecta erant caſtella, e quibus Edeſſenos barbari miris modis vexarunt, vt vix egredi vrbe auderent in agros. Iam aſſiduae excurſiones, praeter tributa et vectigalia, quae quotannis pendebant,

(3) p. 385. (4) Villermus L. IV. c. 2. Albertus Aquenſis p. 221, Alberici chronicon p. 158.

miris modis vrbem in anguſtias redegerant. *Penes maiores natu*, inquit Villermus Tyrius, *vniuerſa ciuitatis illius reſidebat auctoritas.* Duodecim fuiſſe numero Albertus Aquenſis teſtatur. Huic ſenatui praeerat ſenex quidam Graecus, homo diues, at mira inertia, qui non tam armis, quam argento hoſtes a moenibus depelleret: (6) vxorem habebat, liberos vero nullos. *Is*, vt ait Villermus, *ab eo tempore, quo vniuerſa prouincia CPlitano ſubiecta erat imperio, miſſus ad eandem vrbem praeſes fuerat et Turcis ſuperuenientibus, antequam praeſidatus ſui tempus eſſet euolutum, de neceſſitate moram facere compulſus, iurisdictionem continuauerat ſuam, nec ipſo ad propria redire volente, nec populo ab adminiſtratione eum cedere compellente.* Annaliſta Saxo (7) *chriſtianiſſimum hunc ſenem* vocat, qui Balduinum ab Antiochia ad ſe vocauerit et deinde ſit mortuus. Paene tot errores, quot verba. Cum in Alberici chronico legimus, (8) Balduinum ab chriſtianis Aſſyriis, Edeſſam ſub dominatione Turcarum poſſidentibus, aduocatum, id ſane eo verum eſt, quia Edeſſeni plerique *Syri* fuerunt, Syriace locuti ſunt. Rurſum in Guiberto Abbate multa ſunt peccata, cum ſcribit, ſenem hunc ducis honore fuiſſe functum (putat ille quidem Germanorum more vocem illam ſummam dignitatem habere, cum hic ſenex tantum rector vrbis ab Imperatore eſſet datus) deſideraſſe vero Balduinum, aut aliquem e Francis, virtutis cauſſa adoptare: contigiſſe deinde vt

(6) Guibertus Abbas p. 496. (7) p. 585. (8) p. 158.

vt miles huius Graeci cum Balduino ſermonem ſeni communicaret, hic autem ei crederet et cum milite ſe conferret Edeſſam. At aliter ceteri, quibus fidem potius adhibendum ducimus. Nam ſenatus Edeſſenus praefecto vrbis perſuaſit, vt Balduinum acciret. Illo concedente, miſſa eſt legatio. Epiſcopum et duodecim ſenatores legatos fuiſſe Albertus Aquenſis auctor eſt. Conditiones ferebantur, vt cum Graeco praefecto pari auctoritate eſſet, reditus aequali proportione, diuideret, eo mortuo omnia teneret, vrbem defenderet, caſtra hoſtium in vicino expugnaret. Quo accepto Balduinus cum octoginta equitibus aduolat, Euphratem traiicit: ceteras enim copias ad arcium circa fluuium cuſtodiam reliquerat. Oppidum media via erat, quod Armenus quidam tenebat. Eam in vrbem Balduinus ſe recepit, partem vt ſuos reficeret, partem vt Turcarum inſidias in via comparatas a Pancratio illo, quem e vinculis dimiſerat, eluderet. (10) Albertus Aquenſis, qui ſolus de Pancratio adiecit, addit, ab Euphrate Balduinum rediiſſe in Turbayſſel atque iterum cum ducentis equitibus ſecundo Euphrate nauibus petiiſſe Edeſſam. Sed Fulcherius Carnotenſis, qui ea in expeditione Balduini capellanus fuit, nihil de reditu habet. Eo potiſſimum teſte intelligimus, inde a caſtris ſuis, cum octoginta equitibus petiiſſe Euphratem et traiecto flumine, nocte tota citatiſſimo curſu praeter caſtra

(9) Villermus l. c. Fulcherius Carnotenſis p. 389. (10) Albertus Aquenſis p. 221.

ſtra Saracenorum euectum ad Samoſatam comperiſſe inſidias eſſe collocatas, itaque proxima nocte ſeceſſiſſe in caſtellum Armeni cuiusdam. Samoſatam dicit, non eam, quae hoc nomine cis Euphratem e regione Edeſſae eſt, ſed Armoſatam in Armenia, vt poſtea declarabo. Eo in caſtello duos dies commoratus, benigne omnia praebentibus Armenis, ſe ſuosque refecit. Tertio die Turcae ex inſidiis coorti, ſubiecto in agro praedas egerunt. Egreſſi quidem Franci ante portas conſtitere in armis, ſed contra multitudinem nihil auſi, nullo amiſſo, ſeſe recepere in vrbem. Quarto denique die, cum hoſtes agro et vicinia exceſſerant, Edeſſam ſunt profecti. Dux, et coniux eius, optimates, ſacerdotes, omnis multitudo, cum tubis et tympanis cantuque feſtiuo effuſi, multo cum honore Francos in vrbem acceperunt. Villermus Tyrius, Fulcherius Carnotenſis, Monachus Trium Fontium, acceptam referunt Edeſſam A. C. 1097. extremo, poſt Septembrem menſem, quod ex ordine rerum coniicio.

VII. Praefectum Graecum, cum cerneret tam gratum ciuibus aduentum Balduini eſſe, poenitere coepit conſilii. (1) Itaque nihil Balduino permittere, contra ſuadere, vt hoſtium arces inuaderet, e quibus tanta incommoda paterentur Edeſſeni. Etiam de diuidendis reditibus mutabat, multum auri, argenti, ſerici, multos equos, armorum copiam ſe prae-

(1) Villermus l. c. C. 3. Albertus Agnenſis p. 221.

praebiturum promittebat. Contra Balduinus, citius recedere, quam ſtipendia merentis in modum alieno ſub imperio militare ſe velle oſtendebat. Quod agi ſenatus populusque ſentiens, ne vrbs praeſenti auxilio deſtitueretur, praefectum adierunt, commoueruntque docendo monendoque, vt a promiſſa fide non deflecteret. Igitur ille, tum, vt Balduinum ſibi magis deuinciret, tum vt tumultum compeſceret, eum praeſente populo adoptauit, nudo pectori adſtrictum et veſte donatum. Guibertus Abbas hunc morem adoptandi ſic deſcribit: (2) *intra lineam interulam, quam nos vocamus camiſiam, nudum intrare illum faciens, ſibi adſtrinxit et haec omnia oſculo libato firmauit: idem et mulier poſtmodum fecit.* Tum Balduinus cogitare coepit de Armoſatae expugnatione. Samoſatam Villermus vocat, Albertus Aquenſis, (3) *Samuſart*, Marinus Sanutus (4) *Sarmes*. Rectius fere hic, quam ille, qui vicinitate ſoni deceptus, Samoſatam, vrbem a Paulo haeretico celebratam credidit. Syri ارشمشط *Arſchameſcht* ad fluuium ارسنيس *Arſaniam* ponunt, vt Dionyſius Telmarienſis apud Aſſemannum. (5) Armoſata et Arſamoſata veterum Graecorum et Romanorum monumentis incluta, cuius vrbis numum APMOCATTHNΩN Holſtenius et Spanhemius cum M. Aurelii vultu produxerunt. Polybii excerpta (6) intra Euphratem et Tigrim ponunt, puta propius ad Euphratem et ad ſeptemtrionem Edeſſae. *Sarmes* ex hoc corruptum eſt: *Samu-*

(3) p. 496. (4) p. 222. (5) T. II. p. 113. (6) p. 1380.

muſart videtur ex Armenico factum. Praefectus ea in vrbe, quae antea ſub Edeſſenis fuerat, vt Albertus teſtatur, بلدك *Baldak* ſeu بلدوك *Balduk* Turca. Huic Edeſſeni obſides dederant liberos ſuos: tamen ciues ſaeuum in modum adflixit et agros ſaepe diripuit. Monuit igitur Balduinus (7) praefectum Edeſſenum, vt ciues ſecum armatos immittat in hunc infenſiſſimum chriſtiani nominis hoſtem. Conſtituto die cum ducentis ſuorum et Edeſſeni populi equeſtribus pedeſtribusue copiis mouet. Egreſſum ab Armoſata Baldakum repellit. Albertus Aquenſis ſubobſcure ſcribit: *illic infinita manus Armeniorum ciuium effoeminatorum incaute et ſegniter dimicantium corruit, ſex tantum ſtrenui et probi milites Balduini ſagittis confixi perierunt: quorum exequiis chriſtiano more completis, planctus et dolor magnus per vniuerſam ciuitatem factus eſt.* Incertum mihi eſt in his verbis, Armenios ciues dicat Edeſſenos, an Arſomatenos. Pulſo intra munimenta hoſte, cum aliquot dies laceſcendo oppugnandoque, et praeſidiarios fortiſſimos eſſe ſenſit et caſtrum firmiſſimum, non longe ab arce ad S. Ioannis aedem, ſuos munito in loco relinquit, qui Armoſatenos omni clade belli adficerent, ipſe cum Francis duodecim Edeſſam rediit. Hoc citius Alberto crediderim referenti, quam Villermo Tyrio, ſolos ſeptuaginta contra praeferocem hoſtem in praeſidio reliquiſſe, ceteros ſecum abduxiſſe in vrbem.

VIII.

(7) Albertus Aquenſis p. 222. Villermus c. 4.

VIII. Cauſſa redeundi videtur tumultus in vrbe fuiſſe. Nam Edeſſeni Conſtantinum quendam nobilem et potentem virum, qui in vicinis montibus caſtella habebat, acciuerant, quocum de interimendo praefecto ſene conſilium iniuerunt. (8) Arma capiunt, pars turrim in qua ſenex agebat, cingunt, pars circumſtant Balduinum, oſtendunt: quantum ille ſenex in ciuium ſalute et facultatibus ſibi permiſerit: vt, ſi quid conqueſti ſint, Turcas vicinos, ad vineas agrosque corrumpendos, denique etiam ad caedem immiſerit: adeſſe tempus iuſtae vindictae. Negat ille ſeſe quidquam ſuſcipere velle in eum, qui ſe filii in locum adoptauerit, colloquium ſibi permitti cupit. Vt ad ſenem venit in turrim, iam circumfuſa multitudo vim tentabat: contra ſenex recludere theſauros, omnia concedere Balduino, ſi ſibi incolumi liceat abire in exilium. Prodit ad populum deprecator, vbi nihil proficit, a ſene dimiſſus eſt. Hic interim occulto loco funem ab arce dimittit eoue effugere tentat. Sed Edeſſeni deſilientem ſagittis conficiunt, caput amputant et haſta ſuffixum per omnes regiones vrbis circumferunt. Guibertus Abbas, (9) credo quod eum ſuppuduit, a Balduino patrem proditum fuiſſe ad caedem, multa commentus eſt. Nam et ſenem et Balduinum eadem in arce obſeſſum fuiſſe ſcribit, tum hunc arma paraſſe, retinuiſſe multis cum lacrymis ſenem, prodiiſſe ad populum et pro ſe nihil deprecatum, Balduini vitae vt parcerent oraſſe. At, Ful-

(8) Villermus et Albertus Aquenſis locis citatis. (9) p. 496.

Fulcherius Carnotenſis (10) vix huic rei colorem inuenit. Narrat autem decimo quinto die, ex quo Edeſſam venerunt, caedem praefecti ſuſceptam fuiſſe, tum, addit, Balduinum duxiſſe in Turcas, *contigit tamen de noſtris plures a Turcis interemtos fuiſſe.* Poſſis ex eo ſuſpicari, expeditionem Arſomatenam deinde ſuſceptam eſſe, in qua multi Edeſſeni ceciderint. Sed quia homo fide digniſſimus, hoc loco res ſtrictim attingit, cogor equidem vel inuitus, ceterorum auctoritatem ſcriptorum ſequi. Poſtridie eius diei quo caeſus eſt praefectus, ſumma rei a ciuibus delata eſt in Balduinum, theſauri relicti, arx conceſſa, iuramentum interpoſitum. Ita primus Balduinus Comes Edeſſenus fuit. Balduk, cognito quae Edeſſae acciderant, legatos ad Balduinum miſit, cum mandatis, traditurum ſe Armoſata, ſi decem millia byzantiorum (aurei hi ſunt numi ab Imperatoribus Byzantiis cuſi) penderet. Hanc conditionem vbi non accipi videt, rurſum alia mandata ad Francos mittit, ſe obſidibus caeſis, arce incenſa, diſceſſurum et omnem belli cladem inflicturum. Ergo Balduinus paciſcitur talentum auri et argenti, tapetes, purpuram, equos et mulos tradit, in fidem accipit Balducum et ſecum domi ſuae habet inter familiares, obſides ciuibus Edeſſenis reddit. Vxorem quoque Bal-

(10) p. 389. Huius fidem Guibertus Abbas, turpis adula or, his verbis vellicauit p. 552 „ Fulcherium quendam Carnotenſem presbyterum, qui Balduini apud Edeſſam ducis dudum capellanus exſtiterat, quaedam, quae nos latuerant, alia, diuerſe etiam a nobis, aliqua, ſed pauca haecque fallaciter et, „ fcabro, vt ceteri, ſermone, fudiſſe comperimus. „ Hic ſibi elegans videtur Guibertus.

Balduci et filios obſides poſtulauit. Nec negauit ille, tantummodo in dies diſtulit, quae deinde cauſſa exitii Balduco fuit.

IX. Nunc Sororgia Edeſſenis infeſta adhuc erat. Sic vrbem vocat Villermus, (1) ſic Albertus Aquenſis. (2) Marinus Sanutus *Seroge.* (3) Ex hoc ſenſi primum, eſſe سروج *Sarugj*, veterum Batnas, Tabulae Peutingerianae *Batana*, haud longe ab Edeſſa, proxime Euphratem. Praefectum Villermus *Balak* vocat, Albertus, *Balas*, vt in dubio ſit, fueritne بلك an بلاس dictus, quorum alterum inter Arabas quoque frequens erat, alterum *Balas*, magis inter Perſas. Caute vero ſunt intelligendi ſcriptores ſacri belli, cum Turcas et Perſas et Arabas valde confundunt. Hic Balas Balduinum monuit, ciues ſuos Saracenos ſeditioſos eſſe et tributum negare, itaque ſi ad vrbem accedat cum exercitu, ſe caſtrum ſuosque traditurum: e contrario Batnaei ſeu Sarugienſes cum Balduco clam agebant, vt ad defendendam vrbem, collecta Turcarum manu, accederet. Non latuit Balduinum hoc agi. Igitur quanto maximo potuit apparatu, multis cum tormentis profectus, vrbem corona cinctam obſidet et oppugnat. Ciues cum in Balduco parum ſpei eſſe ſentirent, nam paullo ante aduentum Francorum Batnis ſe Edeſſam receperat, ad fidem Balduini confugiunt. Interim Balacus ſe excuſabat, eo ſe Batnas profectum, vt ciues ad obſe-

(1) c. 6. (2) p. 223. (3) p. 141.

quium pelliceret. Balduinus ſatisfieri ſibi ſimulans nihil tamen vltro Balduco fidere conſtituit. Tandem et Batnaei ſe ſuaque Francis permiſerunt et Balas arcem in monte ſitam tradidit. Relicti milites praeſidio, tributum ciuibus imperatum, praeſidio rector datus Folkerus Carnutenſis. Expugnata hac vrbe, vt Villermus Tyrius nos docet, via ad Antiochiam patefacta erat, cum media via inter Edeſſam et Euphratem Batnae interiectae eſſent. His temporibus Balduinus videtur vxorem duxiſſe. Nam Villermus Tyrius ſcribit, habuiſſe in matrimonio, poſtquam Comes Edeſſae euaſit, filiam cuiusdam Armeni principis *Taſrok*, ſeu *Taphnuz*, vt in Alberto eſt, qui cum fratre Conſtantino in Tauro monte caſtra habuerit et magnas copias. Cum autem Conſtantinus Edeſſenis et tollendi Graeci ſenis et Balduini ſufficiendi auctor fuit, hae nuptiae videntur non longe ab inito comitatu fuiſſe contractae, tum mercedis cauſſa, tum ſtabiliendae per affinitatem potentiae. (4)

X. *Antiochia* obſideri coepit A. C. 1097. XII. Kal. Nouembres, (5) capta A. C. 1098. III. Nonas Iunias. (6) Sub verem obſidentes pariter et obſeſſi fame premebantur. (7) Igitur Balduinus, qui tum Edeſſae res ſuas iam conſtituerat, Francis principibus per Gerardum familiarem ſuum dona, aurum, argen-

(4) p. 777. (5) Geſta Francorum p. 9. 15. Robertus Monachus p. 45. Baldricus p. 101. (6) Sic omnes Robertus Monachus p. 55. IV. Nonas. Male. Nam Geſta Francorum, quae is ſequitur: "tertia die, intrante Iunio,, (7) Villermus p. 703. Albertus p. 242.

argentum, ſerici operis veſtes, equos et quae rem domeſticam iuuarent miſit etiam de plebe hominibus commeatum praebuit. Fratri autem Gothofredo omnes reditus e *Turbeſſel*, et ex ſuburbano agro, frumentum, hordeum, vinum, oleum, aureos ad quinquaginta millia dono dedit. Nicoſius, quem hoc loco *Nichoſſum* dicit, eſt autem reuera Nicaſius, Armeniae ſatapra, tentorium *miri* operis eidem miſit. At Pancratius ille, quem ſupra dixi, id agi, a ſeruis Nicaſii accepto, in itinere ſeruos adortus, tentorium eripit et Boamundo tradit ſuo nomine munus. At Gothofredus, ad quem Nicaſiii ſerui, rem vt geſta erat, detulerant, dum ſuum repeteret a Boamundo, parum abfuit, quin tumultum concitarit. Antiocheni habebant praefectum, quem Villermus *Acxianum* vocat (8) Albertus (9) *Darſianum* Fulcherius Carnotenſis (10) *Gracianum Antiochiae Admiratum* (Admiratus et Admirabilis horum ſcriptorum eſt الامير *Al Emir*) Baldricus (1) *Caſſianum*, item vt Raymundus de Agiles, (2) ex quo nihil ſani poſſum exſculpere, quamquam multa in mentem veniunt. Antiocheni igitur et praefectus eorum de auxiliis legatos miſere ad Choraſani regem in ciuitatem *Samarcham*, vt ait Albertus, (3) quam facile vides eſſe Samarcandiam. Rex ducem ſecundum a ſe, *Corbahan* miſit, qui eſt Villermi et Fulcherii *Corbagath*, regis Perſarum Emir ſeu dux exercitus, Baldrici (4) *Curbarannus* et Roberti

(8) p. 705. (9) p. 239. (10) p. 390. (1) p. 110. (2) p. 146. (3) p. 240. (4) p. 111.

Monachi(5)*Corbanan.* Nolo amplius diuerſas huius nominis lectiones ſectari : in omnibus ſane prima ſyllaba non multum diſcrepat. Geſta Francorum et ex iis Robertus, tum Baldricus, vbi populos, quos hic Emir duxit, recenſent, Perſas, nominant, Medos, Arabas, Turcas, Azimitas, Saracenos, Curtos, Publicanos, Agulanos. Noti ceteri, Curti ſunt كرمي ex Gordyaea, Agulani ſunt Alani intra Caucaſum, quos etiam Abdallam Arabum Perſarumque regem A. C. 767. in exercitu ſuo habuiſſe Dionyſius Telmarienſis prodit. (6) Azimitae autem ſunt ab عجم *Agjam*, quod ipſius Perſiae nomen eſt, niſi noſtri illi Franci per Azimitas proprie ſignificauere populum ex عراق عجم *Jrak Agjam*, quae Perſiae prouincia eſt, mari Hyrcano (quod item nomen habet *Jrak*) proxima, veterum Hyrcania. Publicani, quos tam ſaepe noſtri crepant, videntur e بلخ *Balch* fuiſſe profecti : nihil ſane aliud mihi ſuccurrit. Nam Babylonii, vnde illud Publicani naſci potuit, notiores erant Francis, quam vt vocabulum ſic peruertere poſſent. Multa quoque noſtri referunt de quodam *Belphet*, *Belſetob*, *Belſetoſh*, *Belſetot*, (7) miris enim modis enunciant, rege Perſarum, qui et Diogenem Romanum acie victum ceperit et prouincias inter duces diuiſerit. In his fuiſſe Halebum traditam *Aſſunguri*

(5) p. 56. (6) Aſſemani Bibliotheca Vaticana T. II. p. 113. (7) Marinus Sanutus p. 129. Villermus Tyrius p. 666. 688. Monachus Trium Fontium p. 160. Guibertus Abbas p. 512. „ quem Sogdianum veteri nomine, vt Romani Caeſares, vocare ſolent: „ puta سلطان Sultanum.

guri ſeu *Aſingori* patri *Sanguini*, auo *Noradini* de quibus poſtea dicendum nobis erit. Hic Aſſungur eſt قسيم الدولة اقسنقر البرسقي صحب الموصل *Kaſeimoddaulet Okſenkar Borjacenſis princeps Mauſelae*, qui A. C. 1126. occiſus duos filios reliquit, Ezoddinum Maſudum et عماد الدين زنكي *Omadoddin Zengi*, qui fratri Ezoddino defuncto in Mauſela ſucceſſit. Hic noſtrorum *Sanguinus* denique filium reliquit نور الدين محمود Nuroddin Mahomet, qui item vt pater اتابك *Atabeg, regni Perſici adminiſtrator* fuit. Si autem *Belſetob* Sultan is eſt, qui Diogenem Imp. cepit, non ſane alius fuerit, quam السلطان الب ارسلان محمد *Sultan Olub Arslan Mohammed* (8) Is occiſus eſt a ſuis A. C. 1072. Succeſſit filius ملكشاه *Malekſchah* circiter A. C. 1093. mortuus, ſucceſſorem محمود *Mahmud* matris et Vezirii artibus, cui ſe oppoſuit برقيارق Barkiarak et, vt alii, Tarkiarak, natu maior Mahumede. Hic obtinuit A. C. 1094. vt Soltani poteſtatem ad ſe transferret, adſcito cognomine ركن الدين *Rocnoddin*. A. C. 1104. cum vita excederet filium ملكساه *Malekſchah* reliquit regem. Quod autem ad *Corbagatum*, is eſt قوام الدولة كد بوقا *Kavamoddaula Kodbuka*, vt Abulpharagius nomen edidit, (9) vt alii quoque.

XI. Codbuca vt primum in Meſopotamiam venit, Edeſſam recuperare conſtituit. (10) Balduinus

Qq 3

(8) Abulpharagius p 343. (9) p. 368. (10) Villermus p. 705. Albertus 242. Fulcherius 392. Geſta Francorum expugnantium Ieruſalem p. 56.

nus, re cognita et commeatum ex agris ſtudioſe conuexerat et moenia reparauerat, omnia in obſidionem praeparans. Vt primum copiae, quae exercitum antecedebant, viſae, eruptione cum omni exercitu facta, hoſtes inuadit et in caſtra vsque Codbucae perſequitur, ſpolia legit, camelos aliaque iumenta accerſit in vrbem. Tanta Comitis Edeſſeni audacia Codbucam ita exacerbauit, vt Edeſſam obſideret, non receſſurus niſi capta. Tres hebdomades tota vi in eam curam incubuit, donec deſperans de ſucceſſu, ad Antiochiam recuperandam mouit. Balduinus ex vrbe ſecutus extremum agmen, ſi quos remorantes opprimere poſſet, vt ſenſit hoſtem circumſpecte incedere, in vrbem rediit. Interim a Francis iam capta Antiochia, Codbuca aduenit et magna cum ſtrage ſuorum repulſus eſt. Poſt paullo Rodohan, (Brodoan Alberto) princeps Halepi cum praefecto caſtelli *Haſarth* (1) contracta ſimultate, ad iſthuc caſtellum obſidendum mouit. Praefectus Godofridi Ducis opem implorat, miſſo obſide Mahomete filio: hic Balduinum fratrem cum triginta millibus ab Edeſſa accerſit. Cum ad caſtrum accedunt, iam ſoluta obſidione Rhodohanes diſceſſit Halepium. Barbaro in fidem accepto arceque tradita, Godofredus Antiochiam rediit, Balduinus Edeſſam. Cum autem *Haſarth* caſtrum ita ſitum eſſet, vt ab Edeſſa iter facientes Antiochiam, haud difficulter a barbaris impediri atque intercipi poſſent, non leue momentum rebus

(1) Villermus p. 730. 732. Albertus p. 262.

bus gerendis arx dedita fuit. Sed Antiochiae peſtilens morbus Francis pariter et ciuibus grauis erat. (2) Ergo Gothofredus Dux in fratris prouinciam ſe contulit, vt in Turbeſſel, Hatab et Rauandel ageret. Ibi cum de Pancratio et fratre eius Couaſilio Armenis querelae a paganis ad eum perferebantur, habebant enim iſthic locorum quasdam arces, e quibus Edeſſenos vexabant, Gothofredus eos aggreſſus omnia infeſta loca ſubegit. Ceteri principes, Gothofredi exemplum ſecuti, Antiochia in Edeſſenum agrum et ſubiectas Comiti regiones ſe contulerunt, multi etiam ex militibus venere Edeſſam, quos Balduinus benigne curauit. (3) Sed Edeſſenis Franci moleſti et graues erant: multa fiebant quotidie licentia militari. Albertus Aquenſis (4) nominat e principibus, qui apud Balduinum diuerterint, *Drago de Nabella*, *Reinardum de Tul*, *Gaſtum de Berdeiz*, *Folkerum Carnotenſem*, alios addit ſine nominibus, ad centum et quinquaginta, eodem venisſe, praeter militarem turbam. Et Balduinus quidem eorum auxilio multas circumiectas regiones ſibi aſſociauit: contra ea autem ſenatus et populus grauiter ferebant tum profuſionem opum, tum militares iniurias, praeſertim cum nihil per ſenatum, omnia ex Francorum conſilio agerentur. Igitur conſpirant inter ſe et cum quibusdam extra vrbem Perſis communicant, de Balduino vel caedendo vel pel-

(2) Villermus p. 731. Albertus Aquenſis p. 263. Pancratii fratrem vocat Corovaſſilium. (3) Villermus p. 732. Albertus Aquenſis p. 263. (4) p. 264.

pellendo cum ſuis. Hunc in caſum paullatim facultates ſuas vicina in loca ad familiares homines et notos transmittebant, ne, ſi res e voto non cederet, rapinae eſſent. Exſtitit tamen eorum e numero quidam *Enxhu* nomine, forte انوشو *Enoſcho*, qui rem ad Balduinum deferret. Is vt Francorum multitudinem obſequentem voluntati habebat, ita per eos repente vniuerſos comprehendit et carceribus includit, quaeſtionem habet, conſilia aperit, facultates eorum omnes et ampliſſimas quidem in aerarium ſuum cogit, ex quibus tanta largitus eſt Francis ſuis, vt mox ab inopia rurſum haud multum abeſſet. Interim qui in vinculis erant, tum ipſi, tum per amicos in vicinia, ſupplicium pro ſe quisque deprecabatur. Haec locupletandi aerarii noua occaſio viſa, cum alii, qui minimum, viginti millia, nonnulli ad triginta et ſexaginta byzantiorum, praeter mulos, equos, vaſa argentea, pro ſalute ſua penderent. Duo, qui principes et auctores factionis fuerant, nullis muneribus ſupplicium depellere potuere: munera ſunt repulſa, oculi adempti, exilium indictum. In inopem plebem promiscue ſaeuitum: nares praeciſae aliis, aliis aures, manus, pedes, pulſi omnes vrbe. Villermus Tyrius totam ſummam, quae in aerarium redacta ſit, tantummodo viginti millia byzantiorum prodidit. Mirum quantum haec res et metum Balduino tamquam praepotenti pepererit et odium vt tyranno. Et ſocer quidem, quem hoc loco Albertus *Taphnuz* vocat, viſo, expleri non poſſe cupiditatem

tem Balduini. ipſe quoque ſibi metuens, quod dotem filiae nondum omnem dependerat, in montes ad caſtella ſua auffugit, e quibus poſtea numquam rediit in vrbem.

XII. Guibertus Abbas (5) hic iterum, quaſi Balduini cauſſa tali defenſione indigeret, fingit more ſuo, Edeſſenos de tollendo Comite in ipſo Natalium domini feſto die coniuraſſe, Balduinum vero conſilio ciuium explorato, ſuis praecepiſſe, vt pedites equitesque armati hunc diem celebrarent, ipſum in armis ſacra feciſſe, poſtridie vero Edeſſenos in concione allocutum conſpirationem retexiſſe, multis praecidiſſe manus, aliis pedes, rurſum aliis linguam cum labiis, omnes ad extremum virilibus mulctaſſe. Hoc tamen in aliquo fide digno reperiſſe videtur, quod ſub extremam anni partem res foediſſima acciderit. Mirum quantum ex eo animi finitimorum exacerbati fuerint. Balas, quem Sarugum dedidiſſe ſupra tradidi, antea fidelis, (6) nunc et ipſe in vltionem Edeſſenorum inſidias parabat. Habebat ille caſtellum nomine Amache. Eius cupidum vt ſenſit Balduinum, priſtina familiaritate adit Comitem, multa de inuidia ſuorum conqueſtus, in laudem Francorum, quorum reſpectu inimicitias ſuſceperit flectens, velle ſe, ait, et coniugem liberosque et facultates Edeſſam transferre, caſtellum autem tradere, ſi Comes ipſe ad accipiendam arcem co-

(5) p. 497. (6) Villermus p. 732. Albertus Aquenſis p. 264.

pias admoueat. Conſtituto tum ordine gerendae rei, tum die, Balas Amachae centum armatos occultis locis diſponit, qui ad aduentum Comitis ſigno dato concurrentes viuum caperent. Balduino cum ducentis equitibus ad arcem venienti, ipſe in proxima valle occurrit, monet, ne quid per tumultum ageretur, excludi poſſe, ſi ſui ad arma concurrant, ſatius eſſe, vt cum paucis ſelectis Comes accedat, eo in arcem accepto, equites apertis portis intromitti poſſe. Iam legerat ſibi optimum quemque Balduinus, qua cum manu intraret arcem, cum ceteri duces eum abſterrerent. Miſſi duodecim, fidiſſimus quisque, qui recepta arce ſignum darent, e valle exoriendi ceteris. Hi cum porta eſſent admiſſi, repente ex inſidiis armatos conſurgere vident et impetum facere. Conſerta manu decem capti, duo in domus moenibus vicinae tectum pugnando euadentes, vocant ſuos in valle, quid geratur nunciant. Arx in excelſa rupe vix humanis opibus ſuperanda Balduinum a vindicta abſterruit: itaque Balae multis verbis ob perfidiam increpito, libram auri pondo pro quouis pretium offert. Ille Sarugum repetit a ſe deditum: negat Balduinus reddi poſſe et infecto negotio diſcedit. Sarugo, vt ante diximus, Fulbertus Carnotenſis praeerat. Hic cognito, quod acciderat inſidias circa Amacham diſponit et praedam prope arcem agendo elicit ad opem ferendam praeſidiarios, quos fugiendo protrahit in locum inſidiarum, ex quo coorti Franci caedunt fugantque hoſtes, ſex viuos capiunt. Pro his ſex ſuorum

rum recepit. Haud multo poſt, quatuor e caſtello, deceptis cuſtodibus, effugerunt: duo ceterorum fortunam capitis ſupplicio luerunt, quorum alter Gerardus a conſiliis et ſecretis Comitis fuit, alter Piſcellus filius ſororis Vbelardi de Vizam. Ex eo tempore Balduinus nihil Turcis fidere.

XIII. *Baldak*, a quo Armoſata dedita diximus, iam diu ſuſpectus, praeſertim quod neque vxorem, neque liberos, ſicuti facturum ſe receperat, obſides adduxit in vrbem, ad extremum capite damnatus eſt. Capta Antiochia, Franci Hieroſolyma mouerunt. Reſtitit Edeſſae Balduinus, Antiochiae Boamundus, vt, ſi quid periculi a tergo immineret, primum hoſtium impetum ſuſtinerent. (7) Hieroſolymis in poteſtatem redactis, et Boamundus et Balduinus voti cauſſa iter Hieroſolymitanum ineundum decernunt. Cum id maxime agit Balduinus, nunciatum eſt, Perſas conſilii iſtius fama excitos in finibus Edeſſeni agri conſediſſe. Exit vrbe, hoſtes quaerit, ſecuros paene opprimit. Illi vero vt album vexillum conſpexere, quod Comes geſtabat, fuga ſalutem quaeſiuerunt. Comes cum duodecim equitibus ſolis perſecutus fugientes, nullo facto inſigni perpetrato Edeſſam reuertitur. In itinere, Antiochia a dexteris relicta, Laodiceam petiit, eodem Boamundus, menſe Nouembri venit. Hic illi commea-

(7) Villermus p. 770. Fulcherius Carnotenſis comes itineris Hieroſolymitani p. 401.

tum et neceſſaria coemerunt, attamen vt in infeſtam regionem venerunt, famem ſenſerunt et extremam rerum omnium inopiam. Imbres quoque hiberni et frigoris vis multos abſumpſere. Hieroſolymis ex militibus Edeſſenis nonnulli reſtiterunt: alii nouam expeditionem Edeſſenam praeferentes, cum Balduino petiere Hierochuntem, Tiberiadem, Caeſariam Philippi et caſtrum Balbacum. Hoc loco cum Boamundus primum agmen duceret, Balduinus in extremo Edeſſenos ſuos, parum abfuit, vt a trecentis Perſis e praeſidio Damaſceno opprimerentur. Denique ab Laodicea diuerſi, Antiochiam Boamundus, Balduinus Edeſſam redeunt. Hic annus 1100. inſignis quoque eſt Melitene deditione capta. Vrbem Meleteniam vocat Villermus Tyrius (8) Malatinam Albertus Aquenſis. (9) Veterum Μελιτηνὴ in Cappadocia, Syris ميليطيني *Militini*, Arabibus ملطيه *Malatia*, e qua Gregorius Barhebraeus Abulpharagius fuit, quem idcirco nos Malatienſem Pocokii exemplo dicimus, cum potius Melitenus eſſet nominandus. Poſterioribus ſeculis ad Armeniam referri conſueuit. Supra Samoſatam LI. M. P. ponitur ab Eledriſo, qui munitam vrbem vocat. Huic vrbi praefectus erat Gabriel Armenus. *Gaueras* dicitur Alberto Aquenſi: (10)Credo auctorem, quem ſequitur, Mahometanum audiuiſſe, res ad Melitenen geſtas narrantem, qui praefectum vocauerit كور *Gaur*

(8) p. 775. (9) p. 301. (10) p. 301.

Gaur ſeu *profanum.* (1) Gabriel Armenus igitur Boamundum ab Antiochia accerſit, cui Militenen in fidem traderet. Dum ad recipiendam vrbem pergit, Daniſman Admiratus ſeu vt Albertus, Donimanus, occurrit. Is eſt امير دانشمند *Emir Daniſchmand*, cuius filius Mahomed poſtea Malatiae princeps fuit. (2) Franci, qui numero longe inferiores erant, fuga ſalutem quaeſiuere, Boamundus dux Antiochiae captus eſt. A victoria repentina Daniſchmandus Melitenen obſedit : Boamundus autem e caſtris per Syrum ſeruum certiorem fecit Balduinum, quo in ſtatu res eſſent. Quarto poſt die Balduinus cum ſuorum centum et quadraginta ad Melitenen profectus, vt hoſtem fama aduentus ab obſidione receſſiſſe videt, tres dies ſequitur. Copia pugnandi non data, Melitenen adiit eamque in deditionem accepit. Et offerebat quidem Gabriel maximas opes ſuas: Balduinus tamen nihil recepit, praeſidium reliquit ſuorum quinquaginta. Hi, cum *Daniſchmand* iterum obſedit Melitenen, obſidionem fortiter tulerunt. Chronicon Alberici perperam (3) Boamundum captum refert A..C 1102. cum haec A.C. 1100. menſe Iulio acciderunt. Guibertus Abbas (4) Balduinum pluribus vrbibus imperaſſe ſcribit, in quibus Seleuciam nominat *ab antiquo celebrem.* Puto ſane Seleuciam in Meſopotamia haud longe a Batnis ad pontem Euphratis, e regione Zeugmatis,

(1) Vide de hoc nomine Th. Hyden in hiſtoria religionis veterum Perſarum p. 358. (2) Abulpharagius p. 387. (3) p. 190.

cuius memoriam Strabo et Polybius conſeruarunt. Nam quod Guibertus illam prope Babylonem celebratam omnibus monumentis Seleuciam ſubindicat, id vero vitio eius ingenii factum. Non ita multo poſt A. C. 1100. XV. Kal. Auguſtas moritur Godofridus Rex Hieroſolymorum et Balduinus Comes Edeſſenus fratri ſuccedit. (5) Fuit autem, vt eum Villermus deſcribit, Balduinus procero corpore, habitudine corporis firma, non pingui tamen, naſo aquilino, labio ſuperiore paullum prominente, mento ſuppreſſo, capillo et barba fuſcis, grauis inceſſu, ſeuerus in verbis: chlamidem plerumque portabat, vt citius epiſcopus videretur, quam e militari ordine, exercitatus in armis, equo ſcite vehebatur, impiger in agendo et circumſpectus, militaris disciplinae cuſtos, in amoribus impotens, niſi quod diligenter caueret, ne quis de ſuis deliciis rumor emanaret.

Mortuo Gothofredo Rege (6) Balduinus Comes Edeſſenus a proceribus electus eſt. Robertus epiſcopus Ramae, Robertus et Guntherus de Montibus legati miſſi, qui eum ab Edeſſa deducerent. Conuocatis igitur omnibus, qui Edeſſae ſub eius ſignis militabant, poteſtatem fecit, qui vellent, ſecum migrandi

(5) Fulcherius p. 402. Villermus p. 776. 777. A. C. 1101. mortem Gothofridi quidam ponunt, in quibus ſunt, Chronographus Saxo p. 278. Albertus Fuldenſis p. 1689. Albericus p. 188. Error eſt ex eo natus, quod Balduinus ſequenti anno Hieroſolyma venit. (6) Fulcherius p. 403. Annaliſta Saxo p. 590. Villermus p 777. Albertus p. 302.

di Hieroſolyma, aut manendi Edeſſae. Tum Balduinum neceſſarium ſuum, cognomine de Burgo ſeu Montibus filium Hugonis Comitis de Reiteſta et Miliſindis Comitis (7) ab Antiochia reuocatum Edeſſae Comitem ſuo loco conſtituit et VI. Nonas Octobres diceſſit cum quadringintis equitibus. Balduinus de Montibus ſecundus Comes Edeſſae ab Octobri A. C. 1100. duxit Gabrielis, quem *Militenes* principem fuiſſe narrauimus, filiam, *Morſiam* ſeu *Marpham*, hoc eſt, Martham, (*Marſiliam* ſecundum Sanutum Torſellum) (8) magna cum dote. Ad eum venit Joſcelinus, quem Villermus *de Cortenaye* cognomento citat. Albertus Aquenſis (9) *de Cortona*, *quae Turbayſſel caſtrum alio nomine eſt*, dictum prodit, cum iſthuc a Balduino accepiſſet. At dictus fuit a Curtiniaco in Inſula Franciae. *E regione Gaſtineis*, inquit Villermus, agrum Vaſtinium dicit, eadem in Inſula. (10) Huic cognato ſuo, erat enim materterae Balduini filius, (1) tradidit poſſidendas terras ab Edeſſa Euphrate diremtas, vrbes Coritium, Tulupam, Turbeſſel, Hamtab, Ravendel, alia oppida ampla et munita. Armoſata tamen Edeſſenus retinuit. Carrhae nondum in poteſtate Francorum erant. Et Balduinus quidem Rex cum Edeſſae Comes eſſet, id egerat, vt commeatus in vrbem difficulter conueheretur, hic autem Balduinus alteri, ne ſementem ciues facerent prouidit. Erat inter Edeſſam

(7) Guibertus Abbas p. 554. Robertus de Monte p. 617. Villermus p. 817. Manachus Trium Fontium p. 231. 232. vbi Villermo collato de hac gente plura inuenies. Alii perperam, de Roriſtet. (8) p. 157. (9) Albertus p. 790. (10) l. c. (1) Villermus p. 846.

et Carrhas fluuius medius interiectus, qui circumiacentem planitiem ad quatuordecim milliaria diuidebat, quantum ab Carrhis Edeſſa diſtabat, vetus vtriusque vrbis limes. Scirtus ſine dubio. Is miram fertilitatem agris adferebat. At Balduinus hunc fluuium adeo accidit, vt Edeſſeni quoque agri ſterilitate ſqualerent: commeatus ex regionibus ad Euphratem aduehebatur. Tandem A. C. 1104. aliquid maius tentandum ratus et ſuas copias cogit et aliorum opem requirit. Aduenerunt Edeſſam Boamundus, qui e Damaſcenis vinculis dimiſſus Antiochiam redierat, tum Tancredus et Joſcelinus. Aderant quoque Daimbertus Patriarcha, is Hieroſolymis pulſus cum Boamundo agebat, et Benedictus Edeſſenus epiſcopus et Bernardus Patriarcha Antiochenus. Hic exercitus Carrhas obſidet. Spes erat in propinquo potiundae vrbis et iam fiebant frequentes tranſitiones. At dum Boamundus ſuam cupit eſſe vrbem, Balduinus contra iure optimo ſibi concedendam eſſe poſtulat, elapſa gerendae rei occaſione, Perſae ſuperueniunt. Conſilium iis erat, vt pars confligeret cum Francis, pars cum commeatu perrumperet in vrbem. Sic breuiter Villermus et Francos victos narrat et vrbis inopiae ſubuentum eſſe. At Albertus Aquenſis (2) nihil de Carrharum obſidione, cetera tamen digna memoria. *Geigremich, magnificum principem Turcorum, cognatum Corbahan, fratrem Sochomani*, maximis cum copiis ad obſidendam Edeſſam veniſſe: Balduinum

(2 p. 339. Marinus Sanutus p. 135.

num omnia paraſſe ad repellendum hoſtem, et Boamundum Tancredumque accerſiuiſſe. Hos cum tribus equitum millibus, ſeptem peditum, conueniſſe in campo *Arun ſeu Caran*, vbi eorum aduentum Balduinus praeſtolatus ſit: vt primum ab Arabe quodam cognouerint, in via eſſe hoſtem, qui Edeſſam petat, motis ſignis proceſſiſſe ad *Cobar fluuium*: *qui a partibus regni Babyloniae vsque ad has partes alueo dirigitur*: in crepidine fluminis pernoctaſſe: ſummo mane inde etiam Racham petiiſſe et in planitie caſtra fuiſſe metatos. Iſthic praelium commiſſum eſt. Quod antequam deſcribam, paullo altius horum omnium ratio repetenda eſt. Dixi ſupra Perſarum regem his temporibus fuiſſe برقيارق *Barkiarak* cognomine ركن الدين *Rocnoddin*. Hunc A. H. 497. A. C. 1104. محمد ابنى ملكشاه *Mahomed Malikſchahi* filius Rocnoddini frater adeo contudit, vt Diarbecro Meſopotamia, Mauſela et Syria *Barkiarak* cederet. Erat Rocnoddino in primis fidelis جكرمبش *Gjakarmiſch* (3) Mauſelae ſeu Niniues dominus, hic ipſe Alberti *Geigremich*. Contra eum A. H. 499. ſeu poſt 12. Septembris A. C. 1105 Mahomed Rex duxit. At *Gjagarmiſch* adeo cepit victorem, vt ei praefecturam confirmaret. Anno poſt, contra hunc *Gjagarmiſchum* الجاولي سقاوا *Algjaveli Sakavao* mouit victorque captum in vinculis habuit, in quibus paullo poſt deceſſit. Niniuitae patris in locum زنكى Zengio filio ſuffecto obſidio-

S s nem

(3) Gregorius Malatienſis p. 370.

nem ferebant, donec قلج ارسلان بن سليمان *Kelugj Arslan ben Soliman* Selgucida ab Iconio auxilium tulit. Is regnum inuasit, sed praelio commisso, in Chabora flumine interiit fugiens. Iauelius mercedem victoriae Mausolam tenuit, ex quo gradu A.H. 502. A. C. 1108. aut sequenti deiectus est a Mohammedis Regis ducibus. Haec nos tota in narratione atque in iis etiam quae sequentur, spectare decet. Quod autem dicit Albertus, *Gjagarmischum* Sochomani fratrem fuisse, is est سقمان بن ارتق التركماني *Sokman ben Ortok Turcomanni*, qui cum fratre Hierosolyma tenuit, cum Aegyptii vrbem occuparent, paullo antequam a Francis est capta. Liberum enim dimisere *Sokmanum* Aegyptii. Hi tum pro Barkiarako rege arma contra Edessenum Comitem sumsere. *Cobar* fluuius est Claudii Ptolemaei χαβώρας, notus satis, haud ita procul a Carrhis, si Niniuen petas: cetera de fluminis itinere in Alberto vana sunt. Nam aborapeliote et Caucaso descendit, donec Euphrati miscetur. Hunc fluuium nostri non traiecerunt, sed occidentem versus motis castris Euphratem petiere. Ita erat necesse, si ad الرقة *Raccam* pugnatum est. Haec vrbs tum metropolis erat *Diar Modzar*, vt Eledrisus testatur بالرومية يسمى *vocatur Graece Balanicas*, corrupte pro قالانيقوس *Kalanicos*, vt sunt multa in editione Romana Geographiae Nubiensis. Est enim Callinicum veterum. Iuxta hanc vrbem est campus ad Euphratem vergens صفين *Ziffin*, (4) celebris

(4) Vide Iacobum Golium commentario in Alfragani elementa Astronomica p. 252.

bris ob pugnam inter Alimum et Moaviam : *planities* Alberti Aquenſis, in qua, Francis victis, Balduinus Comes Edeſſenus captus eſt. His in campis Ciphinis Franci, vt in vicino ſenſerunt hoſtem eſſe, viginti acies inſtruxerunt. Mox vbi conſtiterunt, Socmanus dexterum latus inuadit cum triginta millibus, cui Boamundus et Tancredus magno animo proceſſerunt obuiam. At a ſiniſtra Balduinum Comitem et Iozelinum, dum incautius ad ſubſidium ferendum cornu circumagunt, a latere ad decem millia hoſtium ex inſidiis adoriuntur. Et illi quidem fugam capiunt, vt repentino in tumultu, ordinibus perturbatis. Clerici octodecim, monachi tres. qui ad excitandos milites in acie verſabantur, caeſi, Ioſcelinus, Benedictus epiſcopus, et Balduinus Comes nimia cupiditate pugnandi euectus, capti ſunt. Niſi Balduinus incautius rem totam aleae commiſiſſet, apparet eius victoriam diei penes Francos futuram fuiſſe. Nam Tancredus ad primum clamorem, ab dextero latere, vbi hoſtem repelli ſentiebat, accurrit ad ſiniſtri ſubſidium, hoſtem victorem fugat Benedictum epiſcopum et tres milites eripit. Niſi in his Ioſcelinus quoque fuit, quemadmodum euaſerit, non inuenio. (5) Hunc caſum Gregorius Malatienſis alieno loco attigit, (6) ita tamen vt nos ab alio errore liberet. Scribit enim Balduinum Regem, cum moreretur, curam prouinciarum

Ss 2 mari-

(5) Perperam Marinus Torſellus p. 154. cum Balduino Comite, obſidibus datis, demum rediiſſe A. 1109. (6) p. 377.

mandaſſe النمص صاحب الرها وهو الذي كان اسره
جكرمش واطلقه سقاى جاولى *Comiti Rohae, hic eſt iue quem cepit Gjagarmiſch et dimiſit Sakavao Iavelius.* A praelio Boamundus et Tancredus ſuos ſub noctem in caſtra reducunt ad corpora curanda. Altero die deſideratus eſt Balduinus. Quare victores metuebant, ne hoſtis ad obſidendam Edeſſam flexerit, citato gradu vrbem petunt, muniunt ab omni parte et confirmant ciuium animos haud leuiter perculſos. Hi ſummam rei Tancredo tradunt, non inuito Boamundo, qui ab Edeſſa Antiochiam rediit, inde traiecturus in Europam. Octo diebus poſt *Gjengremiſchus* et *Sokmanus* maiori cum exercitu Edeſſam ducunt et in vicino campo late tentoria figunt. Primum impetum Edeſſeni fortiter ſuſtinuerunt. Cum autem Tancredus multitudinem metueret, clam Boamundum certiorem facit, quo in loco res eſſent. Et Boamundus quidem cum trecentis equitibus, quingentis peditibus mouit, per loca autem aſpera ducens ſeptem dies itinere faciendo exegit. Edeſſeni, qui ſpem auxilii abiecerant, conſtituerunt extrema audere. Summo mane apertis portis caſtra hoſtium inuadunt, multos ſecuros et ſomno vinoque plenos trucidant, cum ceteris ad mediam diem manum conſerunt, perculſis ſolutisque inſtant, donec ad tentoria ducum penetrarunt. Principium fugae ab ipſis ducibus. Fugientium terga caedit Tancredus, cum Boamundus agmini perculſo occurrit. Edito clamore et ipſe inuehitur in Perſas. Vix *Gjengremiſchus*

ſchus et *Sokmanus* cum paucis euaſerunt. Inter captiuos mulier erat ſummo loco e Perſia, quae ad huius belli apparatum magnas opes contulerat. Eius cauſſa duces Perſarum legatos Edeſſam miſerunt. Quae res adeo celebrata eſt ſermonibus, vt Balduinus rex cognoſceret litterasque daret ad Boamundum et Tancredum, in quibus vehementer monebat, ne potius vim auri, quam Balduinum commutarent. Et illi benigne ſe ita facturos reſponderunt. At tametſi in ſingulos annos quadraginta millia byzantiorum reditus vrbani eſſent, ceterae quoque vrbes et arces multum tributi et vectigalium conferrent, tamen opum auiditas Tancredum mouit, vt Balduinum in captiuitate deſtitueret. Apparuit quoque poſtea, eum Edeſſenum Comitatum a Balduino ad ſe auertendi conſilium agitaſſe.

XV. Boamundus A. C. 1105. in Europam traiiciens, Tancredo curam Antiocheni Ducatus commiſit. (7) Tum vero *Brodoan, princeps magnificus ciuitatis Alapiae*, quae et Haleppum, ad Antiochiam ducit. Victus magno bello a Tancredi copiis, quas ille ex Antiochenis regionibus et ex Edeſſena prouincia contraxerat. Tribus poſt annis (A. C. 1108) Turcae magno exercitu conſcripto (8) Edeſſenam regionem inuadunt, caſtella quaedam occupant, ſub urbana incendunt, multos capiunt ex agreſti turba,

(7) Villermus Tyrius p. 795. Albertus p. 341. (8) Villermus p. 799.

vt neque coli ager poſſet, neque quisquam auderet extra vrbem prodire. Tancredus Balduini Regis auxilium petit. Coniunctis copiis Euphratem tranſeunt. At hoſtes, qui non ignorabant, neutrum diu ab domo abeſſe poſſe, praelii aleam ſummopere vitabant. Itaque adunati exercitus, poſtquam Edeſſam commeatu expleuerunt, cum intelligerent, ſatis ad tolerandam obſidionem omnes prouinciae vrbes munitas eſſe, ad Euphratem redeunt. Poſtquam maior pars exercitus traiecerat, Perſae extremum agmen remorantium aggrediuntur, cui auxilium ferendi Francis ab aduerſa ripa facultas non fuit. Multi mortales, praeſertim auxilia Arménica, caeſi captique fuere. Illum exercitum aut Sokmanus aut Gjengremiſchus duxerunt. Nam anno poſt demum Iauelius ſuperior fuit, quem etiam Edeſſam vexaſſe Gregorius Malatienſis (9) vt a Pocokio conuerſus eſt Latine, tradere videtur. *Kelgj Arſlan*, inquit, *contra Iauelium mouit, qui Rohae fuit.* Vix tanti eſt, vt hoc animaduertam, ne quem tamen fallat Pocokius, monendum duco, Gregorium ſcribere بالرحبة *in Rahabat*, quod nihil *ad Roham.* Idem Gregorius, quod ſupra edidi, tradit, Iauelium e manu miſiſſe Balduinum Comitem. Huic Iauelio A. H. 502. a Mahometis Regis ducibus Mauſela ademta eſt. Hoc eſt A. C. 1108. poſt 10. Aug. ſeu A. C. 1109. ſequenti. Illi in perturbatione igitur videtur Balduini dimittendi conditionem accepiſſe. Quare Albertus Aquenſis errat

(9) P. 372.

errat, (10) cum a *Geigremicho* redemtum ſcribit, qui tum quidem viuere iam deſierat. Ceterum et ipſe et Villermus Tyrius (1) narrant, Ioſcelinum pro redimendo Balduino vndique conquiſiuiſſe ſtipem, ad centum millia Byzantiorum, eamque ſummam cum obſidibus transmiſiſſe. Redit Balduinus Comes A. C. 1109. octauo anno regni Balduini, vt Albertus. Hic octauus annus cum A. C. 1109. non conuenit, a quocumque die principium regni ducas. Videtur igitur aut A. C. 1108. exeunte, aut ipſo in principio A. C. 1109. in libertatem rediiſſe. Obſides quodam in caſtello cuſtodes ſeu ſomno ſeu vino ſeu aliquo caſu grauatos occiderunt et reuerſi ſunt ad ſuos.

XVI. Balduino e captiuitate redeunti Tancredus Edeſſenum comitatum reſtituere noluit, donec metu compulſus ceſſit. (2) Ergo Balduinus et Joſcelinus ad vindicandam iniuriam armis, ſuos parant: et Ioſcelinus quidem e vicino caſtella Tancredi vexabat. Balduinus vero contractis copiis cum Ioſcelino caſtra coniungit, in quibus hunc etiam Turcarum habuiſſe auxilia Villermus commemorat. Praelio commiſſo victi. Balduinus Tuluppam ſe recepit, Ioſcelinus effugit. Cruenta tamen Tancredo victoria contigit, quingentis deſideratis. Vbi Balduinum Tancredus in Tuluppa etiam obſedit, Ioſcelinus neſcio quo Emiro, nam Albertus perperam iterum edi-

(10) p. 353. (1) p. 799. (2) Villermus p. 800. Albertus Aquenſis

edidit Geigremichum ſuum, ad quadraginta millia Turcarum ſeu Perſarum adduxit, ad cuius aduentum exercitus, Tancredus obſidionem ſoluit. In hac tam multiplici calamitate Balduinus cum exhauſtum aerarium cerneret, vt, vnde ſtipendium militibus praeberetur, non eſſet, ad fraudem aliquam iocularem confugit. Nam ad inuiſendum Gabrielem ſocerum profectus Melitenen, honoris cauſſa magnifice accipitur, militibus antea admonitis, quae agi vellet. Quodam igitur die cum Balduinus et Gabriel inter ſe ſermones conferrent, accedunt centuriones et inde a fide ſua atque virtute exorſi, ſtipendium poſtulant. *Aut nunc fidem libera*, inquiunt, *aut quod pignori nobis dediſti, id denique in manus noſtras trade.* Gabriel qui per interpretes militum poſtulata cognoſcebat, *quod pignus*, inquit, *Balduine requirunt milites?* Et Balduinus ſuſpenſa voce, *barbam*, ait, *pater.* Hic ſane Gabriel attonito ſimilis mirans, *barbam vero?* nam ſupra modum hi populi et delectantur barba et ea amiſſa tamquam ſummo viri dedecore dolent. Tamen adhuc Balduinus placare ſocerum, veluti militibus in reditum ſuum quieturis. Negant milites, ſe conditionem accipere. Vbi Gabriel Balduinum triſtem quidem, at paratum tamen videt pro fide ſeruanda barbam ponere, quantum ad ſtipendium copiarum requirat, ſcire cupit. *Triginta millia Michaelitarum* reſpondet Balduinus. Id genus auri erat a Michaele Imperatore cuſi, in publicis commerciis frequens. Eam vero ſummam Gabriel ſe *pro genero de-*

pen-

pendere, ait, *modo fidem dederit, se numquam barbam oppignoraturum esse.*

XVII. Secutus est A. C. 1110. Balduino perquam grauis, impressione Persarum. Res a Fulcherio et Alberto narratur ita, vt multum similitudinis habeat cum iis, quae ad A. C. 1108. narrauimus gesta, e solo Villermo. Tempus edidit Albertus, cum Berytus a Balduino rege propemodum iam esset expugnata. Expugnatam Villermus Tyrius tradit A. C. 1111. 27. Aprilis. Sequemur Alberti testimonium. *Turcarum*, inquit ille, *principes*, sic enim plerumque Persas vocat, *Arangaldus*, *Armigazi et Samarga e Corasan*, Edessam obsederunt. In his solum agnosco الامير ايلغازى *Alamir ilgazi*, notum illorum temporum ducem. Eorum de impressione, Balduinus Comes, Balduinum regem tum maxime Beryto oppugnanda districtum, primo vere certiorem facit, multum incusans Tancredum, cuius instinctu barbari mouerint. Rex, tametsi Edessam vehementer et ab hoste et a fame premi intelligebat, tamen celare caussam aduentus legatos cogit, Berytique expugnationi tota vi incumbit. Vrbe in potestatem redacta Hierosolyma redit, consilioque inito cum Comite Bertramo Raymundi filio, qui aliquot triremes adduxerat ex Europa, et cum ceteris ducibus, principio Iunii mensis, septingentos equites, pedites trecentos ad Euphratem ducit. Eo antequam venit, vndique ad auxilium concurrentibus Francis, exercitus ad quindecim millia hominum coiit. Huius ad

ſamam expeditionis hoſtes ab Edeſſa Carrhas receſſerunt. Vt ad vrbem Rex Francique conuenere, accitus eodem Tancredus, inuitus venit cum ſuorum mille et quingentis. Accuſante Balduino, Tancredus in iudicio, *ea cauſſa ſe Edeſſenis non ſubueniſſe*, dicebat, *quod Edeſſam Antiochiae ſubiici nollet Balduinus: nam priſcis temporibus hanc vtique vrbem ſubiectam Antiochenis tributa perſoluiſſe, quae nunc negentur*. Ex concilii ſententia ſic definita cauſſa eſt: *nihil e veteri Graecorum inſtituto poſtulari poſſe: quae quisque occupauerit, ea aequo iure vt teneat impediri non oportere*. Sic tandem Balduinus et Tancredus de amicitia colenda conſenſerunt. Inde iam Carrhas adunatis copiis petunt, vbi hoſtem videre nullum, primum Edeſſam pedem referunt, inde ad Euphratem. Quo cognito Turcae ſeu Perſae potius, collectis omnibus copiis exercitum Francorum inuadere aut remorantes in extremo agmine opprimere conſtituunt. Id ipſum veritus Balduinus Rex, duas nactus naues, quibus potuit copiis replet. Quinque millia relicta, quae tranſuehi non potuere. Tamen naues ab onere depreſſae ſubſidere et frangi. Interim Perſae ſub meridiem viſi ſagittis inceſſere relictos in vlteriori fluminis ripa Francos. Et quoniam neque Rex, neque Tancredus ſubuenire poterat circumuentis, partim caeſi, partim diſperſi per agros, per montes, vario genere belli occiderunt. Ab his Perſae in Edeſſenos verterunt: Balduinum, qui a deducendo Rege cum trecentis militibus vrbem petebat, adorti, fortiter pugnantem pellunt. Plerique caeſi: Balduinus pro-

prope ſolus in montes euaſit. Poſtridie Rex nauibus reparatis traiicit, vt hoſtes inuaderet. Nullos tamen vſquam reperit: Balduinum Edeſſam reduxit.

XVII. Sub extremum annum Sidon capta a Rege. At A. C. 1112 trepidi nuncii ab Edeſſa, *Turcos*, vt ait Albertus, (3) *e regno Corrozan egreſſos ad ducenta millia, praeſidium Turbayſel obſediſſe.* Erant, vt ait ille *Malducus*, *Arongaldus*, *Armigazi*, *Samarga*, qui obſederant. Gregorius Malatienſis, (4) A. H. 506. *menſe Moharram* ſeu A. C. 1112. menſe Iulio الامير مودود صاحب الموصل *Emr Maududus Princeps Mauſel* ſeu Niniues, Roham profectus, inquit, eam obſedit. Hic Maududus eſt Alberti *Malducus*. Vbi ſegetem agri Edeſſeni corrupit, inde mouit Sarugum ſeu Batnas. Tandem *Gjoſlin princeps Tel Baſcher*, ex improuiſo in eum irruens, non paucos in exercitu caecidit, equos, mulos, camelos auertit. Sic Gregorius. Albertus Aquenſis autem narrat, duces Perſas obſediſſe Turbayſſel ſeu Tel Baſcher potius, duos menſes et montes ſuffodere aggreſſos, vt fontes aquarum auerterent, nihil tamen profeciſſe. Inde centum millia ducta Antiochiam, altera pars exercitus ob inopiae metum dimiſſa eſt. Extrema agmina dimiſſi exercitus Iozelinus cum centum quinquaginta equitibus, centum peditibus ſecutus mille intercepit et occidit. Poſtea cum centum equitibus, quinquaginta peditibus Antiochiam

(3) p. 366. (4) p. 373.

tiochiam petiit, vt Tancredo opem ferret. Balduinus Comes Edeſſenus eodem cum ducentis equitibus et centum peditibus, Paganus quoque ab Sarugio cum quinquaginta equitibus triginta peditibus venerunt. Poſtquam omnes Francorum copiae adunatae fuerunt, ad Caeſaream cum Perſis decernunt acie. Balduinus et Tancredus primi adorti hoſtem, multis amiſſis, pedem referunt ad ſuorum aciem. Inde rurſum inuectos barbarus non ſuſtinuit. Incerta victoria diſceſſum ex acie, niſi quod Perſae non multo poſt tempore caſtris motis receſſerunt. Annus 1113. tum propter aeris intemperiem, tum quod agricultura impedita fuit ab excurſionibus, foeda fame grauis fuit. (5) Panem hordeo et glande miſtum edebant. Nihil tamen Ioſcelinus ex agris ſuis ſubuehi patiebatur. Et cum Balduinus legatos mitteret ad Rogerum Richardi filium, qui Tancredo defuncto, Antiochiae Princeps erat, dum Ioſcelini terras tranſeunt, liberaliter quidem ſunt accepti, ſed ſermone aulicorum haud mediocriter commoti. Hi enim paupertatem Balduini exprobantes, conſultius eum facturum dicebant, ſi Ioſcelino, vt potentiori, prouinciam traderet et auro accepto rediret in Francam. Legati tum diſſimulantes offenſam, poſtea Comiti Edeſſeno dicta referunt. Hic ſimulato graui morbo, ad ſe vocat Ioſcelinum. Venit ille in vrbem et in *Rangulath*, quae vrbis regio erat, deducitur ad Comitem. Hic Comes propoſitum nudat, Ioſce-

(5) Villermus p. 809.

Ioſcelinum vt ingratum incuſat, vinciri iubet et omnibus modis torquet, donec regionum poſſeſſione ceſſit. Dimiſſus e vinculis ad Balduinum Regem ſe confert, qui cum in Franciam oſcelinum redire velle cerneret, Tiberiadem cum circumiectis agris ei conceſſit.

XVIII. Nouo deinde bello Balduinus Comes virtutem ſuam illuſtrauit. Nam A. C. 1115. *Borſequinus*, vt eum vocat Villermus Tyrius, (6) vt Gauterius, *Burſo*, vt Albertus Aquenſis vero, (7) *Burgaldus de regno Corozan*, *Brodoam rex Alapiae et Cocoſandor de ciuitate Lagabria*, cum quadraginta millibus, Antiochiam petunt et in campis ciuitatum *Roſſa*, *Roſda et Femie* caſtra ponunt. Accurrit ab Edeſſa Comes, ab Hieroſolymis Balduinus Rex, ab Antiochia Rotgerus Dux. Erat ab Damaſco etiam accitus *Dochinus*, vt Villermus, apud quem etiam *Doldequinus*, vt Fulcherio vocatur, et *Boldequinus*: Gauterio Cancellario (8) *Boldechinus*. Geſta expugnantium Hieroſolyma (9) *Tuldequinum* dicunt. Hic eſt Gregorii Malatienſis (10) طغركين *Tugragin* ſeu *Togracin*, Damaſci praefectus, qui cum الامير مودود *Emirum Maudud*, Fulcherii *Mauduesum*, Gauterii et aliorum *Maledoctum*, Mauſelae principem in vrbem accepiſſet, deinde ſubmiſſo percuſſore de medio ſuſtulit. (1) Quamquam ignaro ſe et inuito Maududum cae-

(6) p. 810. 811. (7) p. 375. Multus hic pro vanitate ſua Gauterius Cancellarius p. 444. ſeq. (8) p. 444. (9) p. 610. (10) p. 374. (1) Fulcherius p. 425.

ſum ferebat, tamen inuidiam metuens, Francis ſe adiunxit. Villermus (2) et Gauterius ſcribunt, hoſtes caſtra habuiſſe in valle *Sarmati*. Proxime eam vallem ille Borſequinus, quisquis vero nomine fuerit, collem in altum ſurgentem *Danim*, Gauterio *Danit*, occupat, ne a Francis inuaderetur locus defendendae valli opportunus. Dum hoc agit, Franci adſunt: in primo agmine Comes Edeſſenus, cui hic locus ob virtutem tributus eſt, vt Gauterius indicat, cum Guidone Capreolo, directa acie hoſtes aggreditur. Fuſi valle tota et caeſi Perſae. Quod cum Borſequinus de colle videret, cum fratre fuga ſalutem quaerit, caſtra, commeatum et impedimenta relinquit. Franci duo millia paſſuum perſequuntur fugientes, deinde tantum per cohortes paſſim vagantes caedunt duos dies. Vt omnes copiae in vnum conuenerunt, ſpolia lecta et praeda diuiſa. Perſae iuxta Melitenen montes petunt, ex quo intelligimus, qua in regione praelium commiſſum ſit. Hoſtibus profligatis Rex Hieroſolyma ſuos reduxit. (3) Perſae ad *Gaſtum*, *Harech*, *Synar*, e fuga in iuſti ordinem exercitus collecti, paullo ante acceptam cladem vlciſci inſtituunt. Rotgerus Antiochenus Dux et Balduinus Edeſſenus Comes, cum Regem longius proceſſiſſe ſentiunt, ſuis viribus bellum gerendum ſuſcipiunt. Duxere in aciem quindecim millia. Perſae tres acies inſtructas tenebant ad fluuium *Farfar*, qui inter Caeſaream Stratonis et Femiam erat me-

(2) l. c. (3) Villermus p. 812. Albertus l. c.

medius. Rotgerus ab Antiochia XII. Septembris mouit, ad *Rugiam* cum Comite Edesseno copias coniunxit et XIV. Septembris, sub finem noctis dubia luce Persas ambo inuadunt. Pauci e nostris, e Persarum prima acie quindecim millia ceciderunt. Tum manus conserta cum altera acie, quae cum consternata pedem referret, ita acta est in fluuiuum, vt vadum quaerendo multi perierint. Tertia acies, vix visis Francis, recessit, donec in regionis *Camollae* valle, iuxta *Malbech* castrum, *Togragin* satrapa Damascenus se obiecit. Satis quieta tempora vsque ad Balduini Regis mortem fuere. Is A. C. 1117. primo vere, Aprili mense decessit. (4) Iure haereditatis regnum futurum erat Eustachii, qui Gothofredo et Balduino fratribus Hierosolymitani regni maiestate auctis, paternas possessiones tenebat. Balduinus de Montibus Comes Edessenus cognomento Aculeus, ob virtutem insignitam multis praeliis, tum maxime in via erat, vt Regem adiret: (5) ad vrbem incidit in ipsam multitudinem regium funus deducentem omniumque in se oculos conuertit. Consultatum deinde de successore inter Principes. Nonnulli tendebant, exspectandum e Francia esse Eustachium: alii magnitudinem rerum praesentissimum remedium postulare ostendebant, legendum igitur esse regem ex iis qui adsint. Arnulphus Patriarcha et vel in primis Ioscelinus tenuerunt, vt omnium animi in Balduinum, Comitem Edessenum

(4) Villermus p. 816. Annalista Saxo p. 641. A. 1118. At Fulcherius p. 427. et Albericus p. 231. in A. C. 1117. referunt mortem Regis, sic etiam Historia Hierosolymitana p. 613. (5) Villermus p. 817. 818.

num inclinarent. Multum hic valuit ſimultas, quam dudum fuiſſe inter Balduinum et Ioſcelinum tradidi. Nam Ioſcelinum, cuius teſtata et illuſtris erat prudentia, non videbatur aduerſarium commendaturus, niſi virtus Balduini et ipſa neceſſitas iſthuc ab eo exprimeret. Ita ſuffragia in Ioſcelini ſententiam ſunt lata. Fuit corpore procero, vultus virili decore, capillo flauo, canis miſto et raro, rara item barba, tamen ad pectus vſque demiſſa, clemens, religioſus, impiger.

XIX. Poſtquam de regno eratconſtitutum, Balduinus Rex Ioſcelinum ad ſe vocat et amicitia confirmata, vexillum Edeſſenum que Comitatum ei tradit. (6) Tum Morphiam vxorem et tres filias, Miliſſendam, Halim et Hodiernam Edeſſa deducit Hieroſolyma. (7) Iueta, quarta deinde nata eſt, iam rege Balduino. Pacata ſatis initia tum Rex, tum Ioſcelinus Comes habuere, vſque ad A. C. 1122. cum Ioſcelinus et poſt paullo Balduinus Rex capti ſunt a Balaco. Hic qui ſit, Gregorius Malatienſis nos docuit. (8) Is enim memoriae prodidit, quod بلك بن بهرام بن ارتق *Balak ben Bahram ben Ortok*, cum viderit *Badroddaulam Solimanum ben Abdol Iabbar ben Ortok* patruelem Halebi deſidiam agere A. H. 517. A. C. 1123. a 28. Febr. eius in prouinciam profectus Halebum vi ceperit. Albertus Aquenſis (9) tradit, anno ſecundo Balduini, primo paſchatis die, Iozelinum non leuem cladem pertuliſſe. Sa-

(6) Villermus p. 846. (7) Villermus p. 819. (8) p. 379. (9) p. 380.

Saraceni ex Arabia et Aegypto ad triginta millia camelorum, boum centum millia, ouium et caprarum infinitam multitudinem in regiones Damaſcenas duxerant, vt iſthic paſcerentur. Tributum pendebant *Dochino*, ſeu potius *Togracino*, qui in Francorum fide erat, vt ſupra diximus. Cuſtodes pecori ad quatuor millia armatorum, cum coniugibus et liberis magnoque commeatu. Iozelinus, quamquam Damaſceni in fide manebant, tamen tantae cupiditate praedae illectus, cum *Godofredo de Burs et de terra ciuitatis Pariſiorum*, atque cum *Vilelmo* fratre eius, fortiſſimis viris, centum et ſexaginta armatos in paſcua illa ducit. A dexteris Iozelinus cum quinquaginta ſuorum, a ſiniſtra item cum quinquaginta Vilelmus conſtitere. Godefridus cum ſexaginta medium tenebat. Hic, vt inter eos conuenerat, inuadit Arabes. Arabes cornuum claſſico exciti accurrunt: conſeritur manus. At Godefridus praeferociter euectus in hoſtes, circumuenitur. Tum ipſe, tum quadraginta fortes viri, qui plerique amplas poſſeſſiones habebant, pro quibus cum duobus aut decem equis, ad viginti vsque, militare ſolebant, ceciderunt, octo capti, reliqui latebras et occaſionem euadendi ſunt nacti. Contra ex Arabibus ducenti et amplius deſiderati. Vilelmus errore viarum per loca aſpera deflexit: Ioſcelinus ſerum auxilium ferens, viſa ſuorum clade, ſe recepit. Iam ſatis conſtat, ſic A. C. 1120. rem male eſſe geſtam. At quemadmodum poſtea A. C. 1122. vt ſupra diximus, Ioſcelinus captus fuerit, non memini me legere qui prodiderit. Tantummodo Vil-

lermus ſcribit, (6) *Balac Ioſcelinum et Galerannum eius conſanguineum ex improuiſo in eos irruens cepit et captos vinculis mancipauit.* Et Fulcherius Carnotenſis (7) ad A. C. 1122. *Goſelinus captus eſt Aediſſanus Comes, Galeranusque cognatus eius cum eo: interemtis quidem de ſuis ibi non minus quam centum: quos quidem Balac Admiratus quidam tam aſtutia quam inſidiis molitus intercepit.* Ad famam rei Balduinus Rex accurrit. (8) Balac, accepto eo, in tuta ſe recepit. Igitur Rex Comitatum obiit, et munimenta arcium contemplatus, commeatui prouidit. Ab oppido *Tel Baſcher* Edeſſam petebat, cum incautius incedentem Balac ex inſidiis adortus, citius vinctum abduxit, quam cuiquam eſſet viſus. Captum trans Euphratem in *Quartapiert*, Fulcherii *Kartapeta* praeſidio reponit, in quo Ioſcelinus et Galerannus erant. Non ita multo poſt Armeni quidam e comitatu Edeſſeno, incertum relinquit Villermus Tyrius, an a Ioſcelino promiſſis illecti, an ſponte ſua, arcis eius occupandae conſilia ineunt. Fulcherius, cui hic maxime fidimus, tradit, captiuos cum Armenis egiſſe multis pollicitationibus, donec perſuaſere. Quinquaginta Armeni, vt alii apud Villermum referunt, monachos habitu mentiti, ſicas ſub laxis veſtibus portantes, opem ſe petere ſimularunt, vt alii, mercatorum merces viliſſimas aduehentes illam in arcem intrarunt. Fulcherius Carnutenſis, qui quam veriſſime cognoſcere potuit, tra-

(6) p. 825. (7) p. 431. (8) Villermus p. 826. Fulcherius Carnutenſis p. 432. 434. Hiſtoria Hieroſolymitana p. 620.

tradit, eos cum mercibus, paullatim vſque ad portas interioris caſtri penetraſſe. Vectigalium magiſter iuxta portam cum quodam rei conſcio ſcacchis ludebat, cum ad eum accedunt, veluti de iniuria queſturi. Ab eo illico caedis initium captum. Illius deinde ex aedibus arma proferunt, obuios centum Turcas e praeſidio neci dant, portas claudunt, Regem, Ioſcelinum ceterosque e carceribus dimittunt. Alii ſcalis occupant moenia et in arce Chriſtianorum vexillum locant. In ea erat Balaci coniux. At ex ſuburbanis repente concurſus fit: portae, vbi vis nihil potuit, obſidentur. Conſilio opus erat nouo, qui aut euaderent, aut auxilia ſuorum adducerent: nam Balacum celeriter ad famam rei adfuturum apparebat. Ergo Ioſcelinus rem in ſe ſuſcepit. Subluſtri nocte cum tribus comitibus exitum per medios obſidentium cuneos inuenit. Vt euaſit, continuo vnum ad regem cum annulo remiſit, qui ſalutis ſpem eſſe nunciaret. Rex interim, qua potuit cura, arcem in auxilii aduentum muniebat. Forte ea nocte Balac in inſomnio viſus ſibi eſt videre, vt a Ioſcelino oculis priuaretur. Huius religione inſomnii tactus, ſpiculatores miſit, qui Ioſcelini caput reſcinderent. Iidem retulere, arcem teneri a captiuis. Praepropere aduolat Balac et obſidionem parat. Ioſcelinus noctu magis, quam interdiu incedens, attritis calceis ad Euphratem venit. Duos vteres, quos ſecum adduxerat aqua plenas, vento diſtendit et circumligat, innixus comitibus duobus transnatat, feſſusque inter dumeta ſub nuce ſomnum capit. Alter comitum, ſi

quid forte cibi reperiri poſſit, quaerens, in ruſticum Armenum incidit, qui caricas et racemos portabat. Hic deductus inter dumeta, Ioſcelinum illico agnouit, opem obtulit, aſellam praebuit, quam habebat vnicam, et cum duobus fratribus, coniuge filiaque eum comitatus deduxit in Tel Baſcher. Hic vero laeta coniux Ioſcelini, mariti libertate, laeti ciues: ruſtico gratia relata. Ioſcelinus a caſtro ſuo Antiochiam et Hieroſolyma petit compedesque ſuas in monte Caluariae votas ſuſpendit. Magnus repente exercitus colligitur: qui vt Tel Baſcher venit, cognitum eſt, et caſtellum eſſe occupatum et Regem abreptum eſſe in vinculis Carrhas. Et Balac, vt Cartapetam venit, cum Balduino Rege de dedenda egit arce, ita libertatem et ipſum et ceteros habituros: deducturum enim ſe Edeſſam. At Rex, qui, ne quid ſecus Armenis accideret, metuebat in primis, negabat ſe conditionem accipere. Collis, in quo arx ſita, cretaceus erat. Eum ſuffodit Balac, ſubiectaque materia ignem ſupponit. Secuta eſt ingens ruina, turre ſubſidente, quae Regem adeo perterrefecit, vt nullas conditiones alias ferret, ſoli clementiae victoris ſe ſuaque permitteret. Ductus eſt cum ipſe, tum Galerannus, Carrhas in vinculis.. In Armenos omni genere ſuppliciorum Balac deſaeuiit, alios excoriauit, alios ſerra diſſecuit, viuos ſepeliuit, ſagittis confixit. Exercitus autem Francorum a Tel Baſcher Haleppum diuertit et quatuor dies vexata vrbe, Hieroſolyma ſe recepit.

XX. Haud ita multo poſt A. C. 1124. vt Fulche-

cherius (9) vt Villermus Tyrius (10) A. C. 1123. Balac obſedit, *Ierapolim, quam vrbem Mambuth vulgus vocitat*, vt ait Fulcherius. *Mambuth* eſt منبج *Mambagj* ſeu *Mambugj*, vetus Hierapolis. Fulcherio conſentit Gregorius Malatienſis (1) A. H. 518. qui iniit 18. Februarii A. C. 1124. ab Balaco Bahrami filio oppugnatam eſſe *Mambagj*. In hoc a noſtris diſſentit, quod auctor eſt, ſagitta e moenibus fuiſſe confixum, eoue caſu copias eius diſperſas eſſe. Menſe *Maio* ineunte, vt Fulcherius ſcribit, Balac Hierapolin obſedit et blandis verbis praefectum ad ſe excitum neci dedit. Hoc in vicino agi ſentiens Ioſcelinus Comes Edeſſenus, coactis copiis, Balacum inuadit, ter reparata pugna victor, equitum tria millia caedit, peditum incertam multitudinem. Inter cadauera caeſorum Balacum repertum ſcribit Fulcherius illius temporis ſcriptor, agnitumque a Ioſcelino in armis. At Villermus ſcribit, ipſum Ioſcelinum congreſſum cum Balaco, manu ſua eum occidiſſe, ignorantem tamen qui eſſet. Vereor ne hoc honori Ioſcelini datum ſit ab aliquo, quem Villermus vir alioqui bonus et prudens imperite ſecutus eſt. Caput Baldaci Ioſcelinus, per armigerum ſuum, adoleſcentem fortem, ad exercitum miſit, qui tum Tyrum obſidebat. Tam grata ea res fuit, vt Patriarchae ceterorumque principum ſuffragiis armiger nobilitate donaretur. Pontius Comes Tripolitanus omnium ex voluntate eum more priſco veſtiuit. Eodem anno IV. Kal. Septembris

(9) p. 438. (10) p. 839. (1) p. 379.

bres, vt Villermus (2) teſtatur, Balduinus Rex pecunia diſſoluta et obſidibus datis, e vinculis dimiſſus eſt. Eodem fere tempore Boamundus Iunior e Francia Antiochiam venit. Nam Boamundus Dux Antiochiae, cuius res ſupra attigimus, cum grandi aere alieno premeretur A. C. 1105. in Franciam nauigauit, Tancredo relicto ad tenendam in poteſtate Antiochiam ſuo nomine. In Gallia Philippi Regis filiam Conſtantiam duxit, e qua hic Boamundus Iunior, natus erat annos admodum octodecim. Is cauſſis ex occultis inimicitias cum Ioſcelino Comite ſuſcepit, vt ait Villermus Tyrius. Puto tamen, non ita occultum eſſe poſſe, cauſſam fuiſſe, quod Boamundus paternis vius conſiliis, Edeſſenum Comitatum ad Antiocheni Principis clientelam pertinere diceret, cum contra ea Ioſcelinus, vt ſenior et rebus geſtis clarus, haud magis concederet Boamundo filio, quam ante eum Balduini Boamundo patri ceſſerant. Dum nimis ferociter negotium tractat Ioſcelinus et Perſas barbarosque alios in Antiochenam prouinciam immittit, qui omnia incendio delerent, omnium in odium et inuidiam incurrit. Rex ipſe aduolat, tum ad opem ferendam, tum ad reſtinguendam ſimultatem, quae magnam perniciem nomini Chriſtiano allatura eſſet. Forte tum Ioſcelinus grauiter decumbebat, vt de vita deſperans, conditiones pacis quascumque admitteret. Vt conualuit, Bernardo Patriarcha Antiocheno partes conciliandi vtrumque Principem ſuſci-

(2) p. 846.

ſcipiente, Antiochiam venit et Rege praeſente, cum Boamundo amicitiam reſtaurauit, fidem promiſit. Interfuit A. C. 1127. (3) expeditioni Francorum, quae nihil vtilitatis in rem Chriſtianam importauit. Et poſtea Boamundo ab Haleppi praefecto caeſo, Regem in pacanda Antiochia iuuit. (4) Ad Halepum (Halapiam vocat Villermus) grauem caſum ſubiit. Nam cum turrem e crudis lateribus ſuffodiendam curaret, collapſa turre, eius ruina prope obtritus eſt. Semimortuum magno labore milites e ruinis protraxerunt. (5) Ex eo caſu A. C. 1131. lecto grauiter adfixus erat, cum nuncius attulit, Sultanum Iconienſem *Creſſum* caſtrum (Marinus Sanutus, *Croiſſon*) (6) obſediſſe. Filium ad ſe vocat Ioſcelinum, oſtendit, quo in diſcrimine res eſſent, iret et hoſtem depelleret a munimentis. Ille, vt erat ſegnis, hoſtium multitudinem tollebat verbis multis, metum degeneris animi non diſſimulans. Ea re vehementer indoluit pater et vt ad extremum virtutem filio, ciuibus caritatem exhiberet, copias cogi iubet, ipſe in lectica decumbit, et in barbaros vadit. In via Gaufridus cognomine Monachus occurrit, qui nunciabat, ad famam aduentus eius Sultanum obſidione ſoluta, trepide ſe proripuiſſe. Tum vero Ioſcelinus, quem vires iam deficiebant, lecticam deponere iubet in terram et ſublatis in caelum manibus, quod hoſtes etiam ſemimor-

(3) Villermus p. 848. (4) Idem 850. (5) Id. p. 853. (6) Tabula Peutingeriana ab Arſinia XVI. M. P. *Coisſam* habet, a Coiſſa ad Caſtellum dictum, *Ad Tigrim*, prope fluuium eius nominis XXVII. M.

mortuum expauiſſent, res Chriſtianas deo commendat, filium ſuis militibus. Poſt pauca verba animam eo in loco exſpirauit.

XXI. Ioſcelinus minor, Ioſcelini filius, matrem habuit ſororem *Leuonis Armeni, viri inter ſuos potentiſſimi.* (6) Gregorius Malatienſis (7) tradit, A. H. 506. A. C. 1112. mortuum eſſe Baſilium Armenum cognomento كوغ باسيل *Cug Baſil*, quaſi Latronem Baſilium dicas, quod arces non paucas furto occupaſſet. Hic erat, inquit ille, دروب بلد بن لاون صاحب *Portarum regionis filii Leonis dominus*, vt Pocockius conuertit. دروب *Darub*, multitudinis numero captae ſunt, et arces in anguſtis viis munitae. Tota autem regio vocabatur *Bilad ben Leon*, a filio Leonis, vt antea forte ab ipſo Leone *Bilad Leon.* Sic haud longe a Tyro alia regio fuit *Campus Leonis*, teſte Fulcherio Carnutenſi. (8) Ex hac domo fuit *Leuones*: Ioanni Cinnamo (9) etiam Λεβόνης, Annae Comnenae (10) autem Λέων. Eſt eorum hoc ſtemma:

N. N.

Conſtantinus, Princeps in Armenia — Taphnutius ſeu Taphroc Princeps

I	II	III	
Leo Princeps	Stephanus a Graecis occiſus	N. Ioſcelini I. Comitis coniux	N Balduini I. Regis coniux
Baſilius	Leuones ſ. Leo	Ioſcelinus II. Comes	

Ma-

(6) Villermus p. 854. (7) p. 373. (8) p. 427. Hiſtoria Hieroſolymitana p. 612. (9) p. 8. (10) p. 80.

Maiorem ſtemmatis rationem, omiſſo tamen Baſilio, exhibuit Carolus de Fraxinis ad Ioannem Cinnamum. (1) Quas res hic Leo geſſerit, noſtrum non eſt attingere. Captus eſt a Boamundo, eo mortuo, dimiſſus ab Antiochenis. (2) Ex illius filia Ioſcelinus habuit filium Ioſcelinum et filiam Agneten. Agnetes nupſit primum Raynaldo de Mares, tum Amalrico Fulconis Regis filio, Balduini Regis fratri, Ioppenſi Comiti, qui poſtea regnauit Hieroſolymis. (3) Ex hoc matrimonio Balduinus et maior fratre ſoror Sibylla. Tamen vt ad regnum peruenit Amalricus, coactus eſt *Agneten* repudiare, tamquam quarto conſanguinitatis gradu cognatam. Boamundus quoque Antiochiae princeps, anno ante Regem vno, in Cilicia ad Mamiſtram ab Halepenſibus caeſus fuerat. Reliquit filiolam Conſtantiam ex Haliza, ſeu Aaliza Balduini de Montibus, ſeu ſecundi eo nomine Regis, filia, cuius ſororem Miliſendam Fulco Rex in matrimonio habuit. Hanc mater Manueli Ioannis Comneni Imperatoris CPlitani filio deſpondere voluiſſe videtur. Deſponſa eſt poſtea a Fulcone Rege, inuita matre, Raymundo Pictauienſi Comiti. Haec belli Graeci initia fuerunt.

XXII. Nam Ioannes Comnenus Imperator, motis in Aſiam armis, ſpecie compeſcendi Leonis, mox etiam in Antiochiam vertit. Obſeſſa vrbe, Ray-

(1) p. 432. (2) Ioannes Cinnamus p. 8 (3) Villermus p. 854. 858. (4) Ioannes Cinnamus p. 8. 9. collato Tyrio p. 850. 864.

mundus accurrit, ſed cum nihil opis humanae reperiret, in caſtra ad Imperatorem venit et ſe ſuaque tradidit. Imperator eum in ducatu Antiocheno confirmauit, vt Byzantio imperio dicto audiens eſſet. (5) Atque cum comitatus Edeſſenus in fide et clientela Ducis Antiochiae eſſet, ſimul cum Raymundo Ioſcelinus iugum ſubiit. Inde Ioannes Imperator Neocaeſariam A. C. 1136. obſedit. Erant in caſtris tum Raymundus Antiochiae Princeps, tum Ioſcellinus Comes Edeſſenus, ex pactis Imperatori opem ferentes cum ſuis militibus. (6) Et Imperator obſidionem fortiter inſtruxit, operibus agendis et oppugnandis vrbis munimentis. Interim in caſtris Ioſcelinus et Raymundus deſidiam ſectabantur, et aſſidue aleam ludebant, cum diſpendio patrimonii. Suo exemplo alios quoque corrumpebant: nec quidquam apud eos valuit Imperatoris auctoritas ab tali dedecore ſaepe abſterrentis. Iam ſuburbium inferioris ciuitatis occupatum erat, cum *Machedotus* Arabs praefectus inducias peteret. Imperator, qui Raymundi et Ioſcelini deſidia offendebatur, veluti ea altius quidquam ſpectaret, in indignationem paullatim prorumpit. Dat inducias Neocaeſarienſibus, veluti ad Sozopolin ſe oppoſiturus Perſis. Ab vrbe autem Antiochiam ducit, multum conſternato Raymundo. Ferunt, Ioſcelinum Comitem, occulto in Raymundum Principem odio, adoleſcentem blanditiis ſuis

(5) Cinnamus l. c. Villermus p. 866. 870. (6) Villermus p. 871. 872. Cinnamus leuiter attigit p. 11.

ſuiscorrupiſſe, vt eum apud Imperatorem in contemtum et inuidiam adduceret. Antiochiam Imperator ingreditur, Stratorum officio Raymundus et Ioſcelinus funguntur. Et primum quidem multa munifice et liberaliter tribuit Imperator, tandem Raymundum placide adfatur, ſe ex pacto aucturum eſſe principatum captis vrbibus omnibus, quae nondum in poteſtatem erant redactae: ea cauſſa praeſidium Graecum in vrbem acciperet, exercitibus ad receptum pateſaceret portas: ſibi in animo eſſe totius belli ſumptus heic deponere. Raymundo ob praeſentiſſimum diſcrimen titubante, Ioſcelinus Comes excepit, multo honore verborum de Imperatoris prudentia praefatus, nouam rem conſilio omnium Principum huiusce ducatus indigere, ait, vt ſine tumultu plebis negotium conficiatur. Recte monere viſus eſt Imperatori. Ita Comes Edeſſenus, Raymundo cum Imperatore in palatio remanente, diſceſſit in hoſpitium, tamquam corpus curaturus. Occulte autem dimiſſis nunciis, quid geratur, Francos monet. Conuolant armati: ingenti tumultu vrbs perſtrepit. Comes equo celeriter in palatium deuectus, apud Imperatorem trepidus irrumpit et mirante Imperatore, quid ita praeter morem aulae et decus gerat, ille, neceſſitatem, ait, ſibi impoſitam: tumultuari populum captis armis et ſe, qui quietis cauſſa in hoſpitio diuerterit, aggreſſum: vix furorem et manus euaſiſſe, veluti proditorem. Iam etiam tumultus ad palatium erat, occidentium paſſim Graecos. Imperator in re trepida Raymundum, et

Ioſcelinum orat, vt hunc motum componant, ſe poſtridie ceſſurum vrbe, omnia relicturum ex eorum voluntate. Sedata in hunc modum plebe, Imperator diluculo egreſſus vrbe, caſtris tamen poſitis obſidionem minatur. Tandem mitigatus, fide data acceptaque recedit, nec ita multo poſt vita defungitur in Cilicia. Ioannes Cinnamus non diſſimulat, Ioannem Imperatorem in animo habuiſſe, omnes has regiones Manueli filio minimo tradere. Succeſſit hic ipſe Manuel, adoleſcens impiger.

XXIII. Ex hoc tempore occultum odium in manifeſtas inimicitias erupit, Raymundo et Ioſcelino mutuo ſe euertere inſtituentibus. Hinc Edeſſenae vrbis calamitas repetenda eſt. Nam A. C. 1144. cum Balduinus IV. Fulconis filius Hieroſolymis regnaret, Sanguis, vt ait Villermus, (7) et noſtri fere omnes loquuntur, *Turcorum orientalium potentiſſimus in Niniue ſeu Mauſel*, niſus mutuis Principum diſſidiis, Edeſſam obſedit. Gregorius Malatienſis. (8) A. H. 539. qui iniit A. C. 1144. 3. Iulii اتابك عماد الدين زنكى *Atabeg Omadoddin Zengi, Roha.m Francis abſtulit.* Hic e *Zengi* noſtri fecere *Sanguinum.* Villermus Tyrius quidem captam Edeſſam ſcribit A. C. 1142. Atis certe error eſt. Oliuerius Scholaſticus, (9) circa initia Regis Balduini refert, qui A. C 1142. Nouembri menſe fratri ſucceſſit. Chronicon Alberici

(7) p. 891. (8) p. 387. (9) p. 1372. tom. II. Scriptorum Germ. Eccardi.

rici (10) Robertus de Monte (1) Dodechinus Abbas S. Dyſibodi (2) A. C. 1145. ſacra nocte captam tradunt. Nihil verius, quam A. C. 1144. eadem nocte, quod ob vicinitatem A. C. 1145. errorem peperit. Ioſcelinus Comes, ab Edeſſa ſedem tranſtulerat in Tel Baſcher, tum propter loci vbertatem, tum propter ſecuritatem, quo licentius otio indulgeret. Soli negotiatores in Edeſſa curam vrbis gerebant, pauci Franci ibidem habitabant, raro aliqui ab Tel Baſcher commeabant Edeſſam. Nec ſtipendia praeſidiariis ſoluebantur in tempore: plerumque in annum differebatur. Hoc in ſtatu cum Edeſſa eſſet, Zengius vrbem ita arcte clauſit, vt nemo pedem extra portam efferre poſſet, ex quo ſumma neceſſariorum penuria et fames exorta eſt. *Erat autem*, vt ait Villermus, *muro circumdata ſolido et turrium excelſarum vallata (praeſidio) ciuitatis parte (ſuperiore,) alterum inferius, ad quae ciuibus etiam expugnata vrbe ſecundum poterat eſſe perfugium.* Incluſa Iacobus Bongarſius adiecit, tamen locus corruptus manſit. Intelligi autem ex iis poteſt, quae ſupra de vrbis ſitu diſſeruimus. Aggere ducto, Zengius murum tormentis ſine intermiſſione quatit, ne ſentiri poſſet, cum cuniculus duceretur. Tum cuniculo ignem ſubiicit. Magna pars moeniorum ad centum cubitos cum fragore collapſa aditum aperit. Irrumpunt hoſtes, caedunt armatos et inermes. Ciues quidam in praeſidia arcium fugerunt, ſed tantus tumultus erat, vt

(10) p. 305 (1) p. 627. t. I. Script. Piſtorii. (2) p. 473. ed. Piſtorii.

multi ipſo in introitu conculcarentur. Hoſtis ſimul cum ciuibus irrupit. Occiſſus in vrbe etiam eſt epiſcopus Latinus, (3) eccleſiae chriſtianae, in primis S. Mariae Virginis baſilica et ea, in qua corpus S. Thomae repoſitum erat, pollutae praua ſuperſtitione. At Villermus, iure cecidiſſe contendit epiſcopum. Nam cum ingentes facultates poſſideret, tamen eum militum atque ciuium inopiae non ſubueniſſe, quae non minima amiſſae vrbis cauſſa fuerit. Ioſcelinus Comes copias quidem coegit, amicos ſollicitauit, Raymundum vero in primis multum orauit. At Raymundus, vt Oliuerius et Villermus tradunt, inimicitiarum cauſſa nihil iuuit, diſtineri ſe cauſſatus. Si res a Manuele Comneno geſtas apud Ioannem Cinnamum ſpectes, non caruit ſolicitudine ab Graecis inuaſionibus Raymundus. Meliſſinda Regina, quae Balduini Regis Hieroſolymorum tutelam gerebat, Philippum Neapolitanum conſtabularium et Elinandum Tyberiadenſem cum maximis copiis miſit. Non tamen in tempore adfuerunt.

XXIV. De Zengii exitu in Chronico Trium Fontium legimus in haec verba: (4) *Sanguinus filius Axungui Halepiae Princeps, capta Edeſſa ciuitate, dum in obſidione cuiusdam ciuitatis ſuper Euphratem ſitae et dictae Calogembar perſeueraret, ſuorum gladiis confoſſus interiit, vino tamen ante oppreſſus et nocturna crapula*

(3) Robertus de Monte p. 627. Chronicon Trium Fontium p. 306.
(4) p. 315

pula. Ad A. C. 1146. At Gregorius Malatienſis (5) hunc caſum A. H. 540 V. Rabii poſterioris ponit, vt acciderit A. C. 1145. 26. Septembris. Ab Edeſſa etiam قلعة البيرة *caſtrum Bira*, quod in Francorum manu erat, obſedit. Eſt autem, vt ex Eledriſo ſeu Geographia Nubienſi conſtat, in Meſopotamia, vna ſtatione a Carrhis, magis fere ad auſtrum, proxime Traiectum in Syriam; itaque Batnis viciniſſimum. Hic cum accepit Zengius, Naſiroddinum, cui Mauſelae praefecturam mandauerat, occiſum, eo diſceſſit. Franci caſtellum tradiderunt نجم الدين صاحب بن مارد *Nogjmoddino* praefecto Mardinenſi. Zengius, Mauſela recepta caſtellum جعبر *Gjabar*, Alberici *Kalogembar*, quaſi قلعة جعبر *Kalaat Gjaabar*, i. *Caſtrum Gjaabar* obſedit, atque iſthic noctu a ſeruis ſuis eſt occiſus. Hoc ſane Albericum confirmat. Is cum eum vocat filium *Axungui*, Okſenkari dicere voluit. Hic Zengius terras a Niniue ad Halebum tenuit. Interfecto Zengio نور الدين محمود *Nuroddin Mahmud*, qui in caſtris erat, Halebum confeſtim petiit vrbemque ſibi vindicauit. Contra alter Zengii filius سيف الدين *Saiſoddin*, Mauſolenſibus vocantibus, Niniuen regionemque circumiectam tenuit. Mortuo Sanguino ſeu Zengio, Villermus (8) ſcribit, Noradinum filium Mauſelam profectum, ſucceſſionem quaeſiſſe. Ea occaſione Edeſſeni, cum vident, praeſidium non ſatis firmum a Zengio relictum, occultis nunciis Ioſcelinum Comitem ad ſe vocant. Ille celeriter cum *Balduino de Mares*, fortiſſimo viro adue-

(5) p. 387. (6) p. 898. 899.

aduenit. Nocte, vigilibus dormientibus, in moenia funibus et ſcalis adſcendit, portas aperit, obuios e praeſidio caedit. At arx ipſa munita magis, quam vt ſine tormentis capi poſſet. Paucis diebus poſt Nuraddinus adeſt, vrbem obſidet. Noſtri et ab arce et ab hoſte externo incluſi, eruptionem parant. Ciues ſequi conſtituunt, cum coniugibus liberisque. At praeſidiariorum in arce auxilio hoſtes vrbem intrauerant, qui ad portam a Francis erupturis apertam gradum accelerant. Dum Franci ciuibus permiſti et imbelli turbae, erumpunt, hoſtes extra vrbem eos inuadunt: foeda facies tot mortis generum fuit. Euaſere tamen Franci. At Nuroddinus eos ſecutus, pedem ſine pugna proferre non ſiuit. Cecidit Balduinus et iuxta eum alii multi. Ioſcelinus inermis ad Euphratem euaſit, quidam relictis impedimentis diuerſa fuga ſalutem quaeſiuerunt. E ciuibus admodum pauci effugerunt: in ceteros animaduerſum eſt. Vt Tyrius haec ad A. C. 1145 refert, ita Albericus ad A C. 1147. *Nolandinus Sanguini filius Alapiae Princeps obſidet et miſerabiliter truncat eiectos.* At Oliuerius Scholaſticus recte ad A. C. 1146. quem initus a Nuroddino principatus poſtulat. Narrat deinde, Nurodinum Antiochenos aggreſſum. Occurrit ei Raymundus Princeps cum Raynaldo Comite de Mares, Iozelini genero. Ambo in acie ceciderunt. Et Iozelinus Comes iter nocturnum

(7) p. 298.

num faciens captus Halebumque deductus, in carcerem abſtruſus eſt. (8) Haec captae fama vrbis Germanorum animos ad expeditionem in Norimbergenſibus comitiis decernendam mouit. (9) Manſit tamen vrbs in barbarorum manibus.

XXV. Edeſſa deinde fata fere ea ſubiit, quae tota Meſopotamia. Captam a Saladino Oliuerius tradit. (10) Is eſt صلاح الدين بن يوب بن شادى *Salahoddin ben Ijub ben Schadi.* Hic a Nuroddino praefectus fuit Aegypto, quam ad Syriam et Meſopotamiam adiunxerat. Nuroddino, Al' Malek Aſſaleh Iſmael vndecim natus annos ſucceſſit. Mox Salahoddinus Syriam et Meſopotamiam omnesque regiones ſibi ſubiecit. Capta ab eo Edeſſa A. H. 578. A. C. 1182. (1) Omnibus regionibus in poteſtatem redactis, Hieroſolyma quoque occupauit. Venit deinde Edeſſa etiam in Tatarorum ſiue potius Mogulenſium manus. Nam cum Mogulenſes iam ipſi CPli metuerentur, eorum potentia motus السلطان علاى الدين كيقباد صاحب الروم *Sultan Alaoddin Caicobad, Rumaeae ſeu Aſiae minoris dominus*, in fidem ſeſe tradidit. Hac gratia niſus, bellum cum الملك الاشرف *Almalec Aſchraf* geſſit eumque multis regionibus exuit: Edeſſam vi cepit. Tres dies in Chriſtianos pariter et Mahumetanos ſaeuitum eſt: direptae eccleſiae, domus omnes expilatae. Vbi autem *Alaoddinus* receſſerat, *Aſchraſius*

(8) Oliuerius p. 1374 (9) Chronographus Saxo p. 298. (10) p. (1) Gregorius Malatienſis p. 270.

ſchraſus vrbem recepit, quatuor menſibus obſeſſam, et excelſam in arce turrim diruit. A. H. 632. hoc eſt A. C. 1234. et 1235. (2) Poſt id A. H. 658. A. C. 1260. *Hulacu Ilchan* Mogulenſium dux e regio genere, et Carrhas et Edeſſam deditione in poteſtatem redegit: idcirco in ciues nihil ſeuerius ſtatutum eſt: at Sarugienſes, veteres Batnaei, quod ſe armis defendiſſent, deleti omnes. (3) Poſt id horribiles clades aliae Meſopotamiam adflixerunt, quibus etiam Edeſſa eſt obruta. Quare Gregorius Abulpharagius A. C. 1283. ſic aiebat: (4) *numquid Antiochiae deſiderium me teneat, quam luctus et gemitus occupant? an Berrhoeae? an Mabug? an Callinici aut Edeſſae, aut Carrharum?* ... *quae omnes ſunt captae et deſertae.* Eugenius III. P. R. in epiſtola ad Ludouicum Francorum regem apud Ottonem Friſingenſem: (5) *Edeſſa ciuitas, quae noſtra lingua Rohais dicitur, quae etiam, vt fertur, cum quondam in oriente, tota terra a paganis detineretur, ipſa ſola ſub Chriſtianorum poteſtate domino ſeruiebat, ab inimicis crucis Chriſti capta eſt, et multa Chriſtianorum caſtella ab ipſis corrupta: ipſius quoque ciuitatis archiepiſcopus cum clericis ſuis et multi alii Chriſtiani ibidem interfecti ſunt.* Circa haec tempora et A. C. 1350 Ludolphus de Suchen Parochialis eccleſiae in Suchen Rector, ab Damaſco Edeſſam venit, quam *Rockar* vocat, pro *Roha*, (6) de qua ille ſic: *peruenitur in*

(2) id p. 311. (3) Gregorius p. 531. (4) In excerptis chronici Syriaci apud Aſſemanum t. II. p. 260. (5) Et in Conciliis Io. Harduini T. VI. parte II. p. 1241. D. 1293. A. (6) cap. 27.

in villam nomine Rockar, quae nunc etiam planities Noe vocatur: nam Noe poſt diluuium ibidem habitauit. Haec planities eſt pulcherrima et vberrima et fertiliſſima pratis, et paſcuis, arboribus, fontibus, pecoribus, piſcibus, multum abundans frumento, et eſt inter montes incluſa et a Saracenis agricolis inhabitata. Vt poſtea paullulum recreata eſt Edeſſa, ita grauem caſum pertulit, cum a Tamerlane capta fuit. Eius fama Principis, ob res in Perſia geſtas, adeo terrori fuit toti Meſopotamiae atque Syriae, vt citius opes eius reformidarent, quam perſentiscerent. Quod quidem Ahmed Arabſiades, more ſuo, magnifice refert, eam in ſententiam: *cum tympana atque litui Tamerlani in Perſia concinerent, Edeſſam et Graecas prouincias eorum ſonum et arcuum Tataricorum ſtridorem perſenſiſſe.* (7) Tandem A. H. 795. A. C. 1393. finibus Perſiae exceſſit. Anno poſt, Meſopotamiam, Tigri fluuio traiecto, inuaſit. Arabſiades, vbi a Timure Mauſelam et Rheſainam in poteſtatem redactas ſcribit, de Edeſſa ſic ſubiungit (8) ثم الي الرها

تحول ودخلها يوم الاحد عشرة شهر ربيع الاول زاد عبثا وفسادا وجري فيما عاند ثمودا وعادا وخرج من تلك البلد ثاني عشرية يوم الاحد.

Tum ad Edeſſam diuerſatus, eam in vrbem intrauit die vndecimo menſis Rabiae prioris, modum exceſſit in graſſando vaſtandoque et ſimilis fuit in ſaeuitia Thamudo et Adae (quorum in Alcorano mentio exſtat) *et egreſſus eſt illa*

Yy 2

(7) p. 80. ed. Golii (8) p. 93.

illa ex regione duodecimo die, feria prima. Capta vrbe, Iſam Malekodzaherum Sultanum Maredini, in fidem iam antea receptum, Sultaniam ſecum duxit, eaque in vrbe compegit in vincula. Non ita multo poſt extractum ex carceribus, magno honore multisque muneribus adfecit. Tota Meſopotamia vsque ad Armeniae fines ei attributa, ſex et quinquaginta vrbes cum praefectis ſuis dicto audientes eſſe iuſſit, quibus in vrbibus prima fuit Edeſſa. (9) Haec Timur eum in modum dolo malo compoſuit, vt, quia longinquis bellis diſtrahebatur, Malck odzaherum beneficio ſibi haberet deuinctum et inuidia ceterorum principum praefectorumque premeret, ne quid nouarum rerum moliri poſſet. Quod quidem poſtea apparuit. Quas autem res Timur contra Baiazethem regem Turcarum geſſerit, huius loci et inſtituti non eſt, commemorare. Quanquam Turcarum potentiae illo bello grauis plaga inflicta eſt: tamen ab hoc vulnere recreata, iis incrementis efflorescere coepit, quibus non modo Aſiae maximam partem vsque ad Euphratem oppreſſit, ſed Graecum quoque imperium deleuit et reliquae Europae praegrauis fuit. Edeſſa igitur ſub Turcis, et, vt rerum conuerſiones tulere, ſub Perſis fuit, ignobile oppidum, nec ſatis iam dignum memoria.

EMEN-

(9) Arabſiades p. 190.

EMENDANDA

P. 3. in notis L. *in hiſtoria dynaſtiarum.*

p. 20. lin. 7. L. *Nundinas* lin. 15. dele, *primum.*

p. 23. lin. 2. Quantum Edeſſeni lingua Graeca delectati ſint, paſſim apparet. Conf. *Bibliothecam Coiſlinianam Montfauconii p.* 230.

p. 23. in not. 1. *Abulpharagius* ib. lin. 3. *Dynaſtiarum.*

p. 40. lin. 5. poſt. *deumque noſtrum pietate.* Ioannes Erneſtus Grabius V. C. in notis ad Spicilegium Patrum primi ſeculi p. 314. quaecumque de Abgaris apud Graecos Romanosque repererat, ad hiſtoriam contulit. Sine his autem monumentis orientalibus, quibus nos vſi ſumus, nihil vsquam inuenit, quod ſatis cohaereret.

p. 54. lin. 1. pro *Ante C. N.* lege *A. C. N.* p. 55. et p. 56. item lin. 1. L. A. C. N.

p. 73. lin. 19. L. *Euagrius Scholaſticus.*

p. 75. lin. 3. L. ΑΥΓΑΡΟΝ.

p. 80. lin. 2. poſt: Φιλοϱωμαῖος *dictus eſt.* Venit, cum haec iam eſſent edita, ad manus meas, diu deſiderata Ioannis Vaillantii Hiſtoria Arſacidarum, in qua p. 111. doctiſſimum ſenem video, hunc Abgarum edere Arabem, praefectum alae Romanae ſub Craſſo, Cn. Pompeio antea foedere iunctum. Multa alia ſunt in hunc modum aliis in rebus peccata illo in libro: quae quidem cum ſunt poſthumi partus, auctori praeſtantiſſimo nemo imputauerit.

p. 80. lin. 11. L. *Meſopotamia.*

p. 87. lin. 1. L. *fando audiuiſſent.*

— ib. in notis lin. 3. L. *ſunt qui.*

p. 98. lin. 1-3. Somnus mihi obrepſit, vt Moſis Chorenenſis verba ſine animaduerſione praetermitterem. Nunc neque otii noſtri eſt, neque huius loci, ea accurate expendere.

p. 104. lin. 5. L. *Sanaductam.*

— ib. lin. vlt. in notis. L. in Spicilegio Patrum 1. ſeculi p. 1. ſeq.

p. 109. lin. 3. Ludouicus Bourguetus V. C. haud dita pridem in litteris ad me: *Vtinam quae de Abgari epiſtola ad Dominum, eiusque reſponſo in Tomo XIII. Bibliothecae Italicae dixi, vidiſſes: Euſebium ego horum auctorem feci, et rationibus, quas forſan non ineptas putares.* Quid eius rei ſit, non poſſum cognoſcere, quando eum maxime tomum nondum adepti ſumus. Niſi inuicta ſint, quae vir amiciſſimus adfert, haud poſſum diſſimulare, Euſebii fidem apud me maximi fieri.

p. 109. lin. 14. poſt: *At Guilielmum Caueum etc.* Caueum contra Natalem Alexandrum et Dupinium (quibus Bernardus Lamius, in Apparatu Chronologico p. 121. et Samuel Baſnagius aſſenſi ſunt,) defendit Io. Erneſtus Grabius l. c. p. 319. ita, vt argumentis eorum confutatis, rem ipſam in medio relinquat.

. 114. lin. 18. L. ἀχειροποίητος.

. 149. lin. 5 Hunc numum aeneum Ioannes Fideualens in Arſacidarum hiſtoria p. 345 ex theſauro

ſauro Regis Franciae produxit et Arſaci Vologeſo II. Regi Parthorum tribuit. Et huic vero Arſaci nullam aliam ob cauſſam, quam quod numeri epochae adſcriptae, eius temporibus conueniunt. Sed erat primum aliis argumentis ſtatuendum, hunc numum ad Parthicos referendum eſſe. Quod equidem haud inuitus faciam in contrarium. Primum vtar eo ratiocinio, quo Fideualens maxime delectatus eſt in Parthicis, τὴν προτομὴν Abgarorum vultibus congruere. At nauis typum habet, nulli Parthicorum conformem, in Edeſſenis vero perquam familiarem. Fideualens: *Ex aduerſa parte genius vrbis capite turrito ac diademate exornato, rupibus inſidet, quibus ſiniſtra innititur, dextera vultui admota.* Quid hoc extremum ſit, *dextera vultui admota*, mihi in primis perſpicuum eſt, qui Edeſſenos numos tractaui. Sunt enim quidem ita rudes, vt nonnumquam manus dextera videatur nuda, quae, ſi argutius inſpicias, ſeu ſiſtrum tenet ſeu ſpicas. Hoc ipſo in numo Pariſino Ezechiel Spanhemius ſiſtrum in dextera agnouit, quod oculos Fideualentis fugit. Ita typus omnis Edeſſenus eſt, tot aliis numis inſignis. Ne quis mihi hic obiiciat, geniale caput turritum tribus in numis aeneis, quos idem Fideualens Parthicis inſeruit. Quorum vnum Arſaci Choſrhoi p. 321 attribuit, cum A. ΔΟΤ. 374. ceteros duos p. 386. 387. Arſaci Artabano IV. cum annis ΑΟΥ 471 et ΠΥ 480. Nam is quidem typus non adeo pro-

prius

prius eſt Edeſſenis, vt ille, quem ſupra explicuimus. Tamen animus noſter non multum abhorret vel ab hisce etiam vindicandis noſtro inſtituto. Et illum primum quidem Abgaro XVI. aſſerendum duco. In duobus alteris magis haereo, quod ambo propter annos ſuos adſcribendi ſunt Abgaro XXV. Eius autem numi exſtant, cum L. Veri et M. Aurelii Antonini vultibus, quod nobis obiici poteſt. At non ita obnoxius Romanis hic Abgarus fuit, vt non numos alios ſuae genio vrbis ſignare integrum fuerit regi, in multorum annorum principatu. Vtcumque quis haec acceperit, tamen, ſi viueret Valens, fidem eius appellarem, et, vt erat aequus, ita certo ſcio, doctiſſimum antiquarium, conſideratis omnibus, ſaltem hic haeſitaturum eſſe, neque ad Parthos magis inclinaturum, quam ad Oſrhoenos. Redeo ad primum illum numum, cuius ἐν προτομῇ a tergo tiarae, Fidealens A litteram vidit, quam Spanhemius non ſenſerat. Is Arſaciae vrbi tribuit: nos ipſum *Abgari* nomen interpretamur. Sed quod tota in cauſſa ſummum eſt: quando hic numus propter annos ſuos tribuendus plane eſt Vologeſo II. conferat mihi quisquam cum illo aeneo alterum Vologeſi huius argenteum ex muſeo Vaillantiano. Non barba congruit, non myſtax, neque frons, neque naſus, vno verbo totus vultus diuerſus eſt. Quare concludo, hunc numum ad hunc Arſacen non poſſe referri: ad alium vt pertineat, temporis ſignati

gnati ratio non permittit.

p. 152. lin. vlt. Lege: *Maanu bar Maanu.*

p. 153. lin. 27. L. *Iudaeos.*

p. 165. lin. 21. De Εναγκάρω Grabius in eandem fere ſententiam incidit: ſed cum cetera huius loci non attigit, manſit corruptela. Praeterea Abgaro alii tribuit, cum illorum regum ſucceſſionem et tempora non teneret. Sic autem ſcribit l. c. p. 317. *Eius quoque mentionem factam puto ab eodem Iulio Africano in Ceſtis, vbi ait:* Εἶδον ἐγὼ αὐτὸς ἐναγκάρω τῷ βασιλέως. *In quem locum animaduertens Ioannes Boivin: Quis fuerit ille Enancarus, inquit, nondum didici. Nec mirum, difficile enim est diſcere, quod nemo docet. Ego legendum conïcio:* Εν Αβγάρω. *Nam et quae proxime ſequuntur, mutila ſunt et corrupta, vt laudatus Boiuinus notauit. Coniecturam meam confirmo exinde, quod tribus ante verbis memoretur* Βαρδησάνης ὁ Πάρθος. *et mox iterum:* ἦν δ' ἄρα σοφὸς τοξότης Βαρδεσάνης, εἶπερ τις ἕτερος. *At vero in istius, qui Iulii Africani aevo regnauit, Abgari familia, vel familiaritate ſaltem vixiſſe Bardeſanem, locuples testis est Epiphanius Haereſi LVI.* Αυγάρῳ δὲ τῶν Εδεσσηνῶν δυνάστῃ, ἀνδρὶ ὁσιωτάτῳ ἐξοικειώμενος τὰ πρῶτα ἐγὼ συμπράττων τε ἅμα ἐγὼ τῆς αὐτοῦ μεταχὼν παιδείας κ. τ. λ. Sed gratis haec de Bardeſane Partho ſibi ſumſit Grabius, quando ex Ceſtis non apparet, fuiſſe illum celebrem doctrina et haereſi Bardeſanem.

Edeſſenum etiam iſtum Bardeſanem Parthum fuiſſe, ex nomine arguo. Confer quae p. 166. a nobis ſunt dicta.

p. 169 lin. 2. L. *videri mihi*

p. 179. lin. penult. L. *honoratis* lin. ult. L. *ambitionem*

p. 200. lin. antepenult. L. *ſocero*

p. 234. poſt: *puluere pluiſſe.* In haec tempora incidunt, quae Priſcus Panites p. 74. edit. Pariſ. de Conſtantio legato Romano ad Perozen Perſarum regem habet, ἐν Εδέσσῃ, Ρωμαϊκῇ πόλει, περοσόικῳ δὲ τῆς περσῶν χώρας ἐγκατέμεινεν, *in Edeſſa vrbe Romana, vicina Perſiae permanſit, cum Perozes rex eum recipere cunctaretur: longo poſt tempore, concedente rege, in Perſiam eſt ingreſſus.*

p. 236. lin. 22. L. *quod vrbem*

INDEX RERVM.

A

Abagarus 73.
Abbarus 73. 192.
Abdo bar Mazour rex 64.
Abdus, nomen quod ſit? 64. 115. 119.
Abgar, nomen, quid? 73. ſeq.
Abgari omnes Edeſſeni reges dicti 73. ſq. 129.
Abgarorum ſtemma 97.
Abgar bar Abgar 77.
—— —— Ajazeth 147.
—— —— Manu 130.
—— —— Manu 158.
—— Phicas 73. 96.
—— Seuerus 162.
—— Sumaca 91.
—— Vchomo 95.
Abgar decimus rex 91.
Abgari et Chriſti epiſtolae 104 ſq.
Abgari Romae verſantur 120. 156 157. 175. 178. 202.
Abgari in inſcriptione Romana 178.
Abgari duo ſub Gordiano 201. 202 ſ.
Abrahami fons 6.
Abnrin Arabs praefectus Meſopotamiae 278.
Acabene prouincia Meſopotamiae 154.
Acabir quid? 175.
Acbar quid? 73. 175.
Achaeus Emir in Meſopotamia 282.
Aczianns praefectus Antiochiae 307.
Admirabilis quid? 307.
Admiratus quid? 307.
Adoptandi ritus apud Edeſſenos 301
Adulterii poena 173.
Aedeſſa, vide Edeſſa 14. 124. 125. 250. 154. 226.
Aelius Septimius Abgarus 173 ſq.
Agarrus rex 164.
Αγβαρος 73.
Agjam regio 308.
Agulani qui? 308.
Ακβαρος 73.
Alani 130 ſq. 146. 308.
—— —— pileati 146. 147.
Alannus 130 146.
—— cius pileus 146.
Alauni 147.
Alexander praefectus Edeſſenus 35.
Algjezirat 284.
Almalek titulus 284.
Alzababi qui locus? 281.
Alzabati qui locus? 281.
Alzabi qui locus? 281.
Amacha caſtellum 313.
Amida 189 ſq. 213 ſ. 218. 220. 241. 244
Amiralamir 273. 282.
Ammianus Marcellinus 219.
Ananias 109. 112.
Anaſtaſius praefectus Edeſſenus 235
Antoninus Abgari regis fil. 179.
Αναξυρίδες 144.
Ancobarites 154.
Anni Abrahae 24 ſ.
—— Chriſti ſecundum orientales 24 ſeq. 102. 110
—— —— ſecundum Euſebium 26.
—— Edeſſeni 14. ſq.
—— —— cum annis Abrahae comparati 27.
—— Mundi 23. 24.
Anthemuſia 254.
Antiochia ad Callirhoen 10. 29.
—— ad Daphnen obſeſſa et capta a Francis 306. 310.

a Grae-

—— a Graecis 345.
—— a Perſis 253. ſq.
—— Μιθοβάρβαρος II.
Antiochenus ducatus ſub imperio Chriſtiano 346
Antoninus Abgarus 174 178.
Ἀπομερμάνης 290.
Appianus Alexandrinus 21. 72. 73. 75 82.
Arabes paſtores 337
—— in Meſopotamia 31. 35.
—— Perſiam et Meſopotamiam occupant 278.
Arabum tribus 36. 38. 283
Arachenſes 4.
Arangaldus 329.
Araxes Xenophontis 12.
Arbandus 150.
Arech 3.
Arecca 4.
Areobindus 242.
Ariamnes 81.
Arimanes 81. 82.
Armeni Edeſſae 36.
—— arces multas occupant 344
Armigazi 329. 331.
Armoſata 300. 301. 302. v. Armoſata.
Arrhoaſia vide Roha
Arſamus 100 ſq.
Arſania fluuius 301
Arſauirus rex 100.
Arſchak rex 98.
Artavaſdes rex 98.
Arun campus. 321
Arzmidocht regina Perſiae 282.
Aſſemannus laudatus 41. 74.
Aſſingor quis? 308. 309.
Aſſungur 308.
Atargatis dea 139.
Αὐγαρος 73. 75. 109.
Auguſti numi an Edeſſae cuſi 94.
Aurora borealis 239. 241.
Aurum comparititium 225.
Autumnus aptus bello gerendo 290
Axungui 351.
Azagir, quid? 175.
Azimitae 308.
Azizus nomen proprium 139.
—— deus 139.

B

Baal 69. 139.
Baalti 69
Bacru nomen proprium 67 ſeq.
—— bar Bacru rex 68.
—— bar Paradaſcht rex 67.
Βαιαι vrbs 191.
Balak praefectus Batnarum 305. 313. 314.
—— ben Bahram 336. 340. 341.
Balas vide Balak
Baldak praefectus Samoſatenſis 302. 304. 305. 315.
Balduinus Bolonienſis 294.
—— Edeſſam capit 294. 299. corporis et animi dotes 294. 318. rex Hieroſolymorum 318. moritur. 335.
Balduinus de Burgo ſ. de Montibus 319. Aculeus 336. rex fit ib, animi et corporis dotes 336 liberi 319 capitur 323. deſcritur 325. capitur 336 redimitur 327. 342.
Balduk v. Baluak.
Bambyce vrbs 2. Vide Mambig.
Bar Zaphram 87.
Barbae honor 328.
Bardeſanes Edeſſenus 13. 171. 172. 173.
—— Parthus 165.
Barodatus epiſcopus Edeſſenus 255
Βασιλευς μεγας 175.

Baſilius Armenus. 344.
Baſilius Edeſſenus 245.
Batnae 191. 215. 219. 221. 222 244. 246. 252. 254. 305. v. Sarug.
Belſet, Belſetob, Belſetoſh, Belſetot 308. 309.
Beltiſame 69.
Belus 139.
Benedictus Edeſſenus epiſcopus. 323.
Bethzabe locus 281.
Bimund. 294
Bira caſtellum 351.
Boamundus dux 317. 320.
—— junior 242.
Boldechinus v. Boldequinus.
Boldequinus 333.
Borancs regina Perſiae 282.
Borſequinus 333.
Brodon 325. 333.
Burſo 333
Burs (de) 319.

C

Callinicum 234. 244. 252. 256. 322
Callirhoe fluuius 10. 12.
—— Edeſſa Callirhoe ib
—— Antiochia ad Callirhoen ib.
Calogembar 351.
Candys 144.
Caracalla (Antoninus) 176. 181.
Carrhae 80. 161 177 186. 212. 241. 243. 252. 255. 281
—— fines verſus Edeſſam Scirtus fluuius. 252. 320.
—— metropolis. 187. 188
—— eius vrbis epocha. 187
—— premuntur a Balduinis. 3 9.
—— deſertae 354.
Chabor fluuius 12. 14. 321
Chalifarum fata 278. 282.
Χειροδωτὸν 146.
Chlamys Edeſſenorum 145.
Choraſani rex 307.
Choſroes Artaxerxis fil. rex 200. ſeq.
—— Cubadis fil. 246. ſeq. 253.
—— Hormiſdae fil. 268
Chryſargyrum 238 ſeq.
Cobar fluuius 322.
Cocoſandor 333.
Coloſſus Rhodius 279.
Conſtantinus Armenus 303. 306. 344
—— Carantenus 290
—— Magnus ordinat Meſopotamiam & Armeniam 213.
Conſtantius Imp. 218.
Corasan 307. 331
Corbagath 307. 309
Corbanan 308
Cornelius Tacitus 127
Cortenaye 319
Cortona 319
Creſſum caſtrum 343
Croiſſon caſtrum 343
Crux in tiaris 144. 173
Cubades 241. 253
Cug Baſil Armenus 344.
Curbarannus 307.
Curia Edeſſena 226 ſ.
Curti 9. 308.
Cydaris v. tiara.
Cynegius dux 232. ſ.

D

Daizon fluuius 13. 14. v. Scirtus.
Daniſchmand quis? 317.
Daniſman 317.

Dar-

Darſianus 307.
Darub quid? 344
Demoſthenes dux 252.
—— praefectus Edeſſenus 240.
Diadema Edeſſenorum regum 134.
Diodorus Siculus 30.
Dionyſii Telmarienſis chron. 24 26.
Dochinus 333.
Doldequinus 333.
Donimanus quis? 317.

E

Edeſaei 94. 122.
Edeſſa Macedoniae 13. 123.
ciues Edeſſaei 122 ſeq.
—— Edeſaei 94.
—— Edeſſeni 124. ſ.
numi 94. 122. 124.
Edeſſa Meſopotamiae
vnde dicta 10. 13. 14.
Edeſſa 3.
Aedeſſa et Aedeſa v. ſuo loco.
Edeſſeni et Edeſſaei 122. 124.
Antiochia ad Callirrhoen 10 21.
Μιξοβάρβαρος 11.
an vetus Arech 3.
Roha dicta v. Roha et Vrhoi.
an Iuſtinopolis dicta 247.
Oſrhoene, Orrhoene Oſdroene regio v. ſuis locis.
vbi ſita 1. 2.
vrbis ſitus 2. 183 ſ. 248 ſ.
vrbs ſuperior et inferior 185 186 238. ſ.
vrbis fines a Carrhenis diuiſi 252. 320.
agri ſertilitas 184. 242. 244 295. 297. 320. 355.
fines regni 38. 319.
fines finitimae 233. 295. 297 300. 303. 310. 311. 313.
pagus Bochenus 243.
—— Cubae 243.
—— Dahaban 244.
—— Modad 245. 250.
—— Negbat 248.
—— Sala 248.
—— Telzama 245. 250.
mons Tabara 170. 248 ſ. 251
cliuus Zorenus 243. 248ſ.
regio ſ. vicus Saharitarum 170.
—— Rangulath 332.
moenia 169. 170. 233. 245. 263 297. 349.
murus duplex 249.
turris Perſarum 169.
—— in arce 354.
porta Barlai 263.
—— magna 235. 261.
—— Petrae 235. 263.
—— Soinae 263.
—— in qua reperta imago Chriſti. 264.
—— Tripyrgia 263.
caſtellum 250 261 352.
palatium maius 169 ſeq.
—— in Tabara 170 249.
praetorium 235 245
templum gentile celeberrimum 140 ſeq 23 . 236 ſeq.
eccleſiae chriſtianae 170. 171 250. 278. 353
—— S. Adaei apoſtoli 235.
—— Confeſſorum extra vrbem 243. 244.
—— S. Ioannis Baptiſtae 235 302.
—— Magna. 250
—— S. Mariae 222. 245. 350
—— Sergii extra vrbem 243 144.
—— in qua corpus S. Thomae 286 350.
—— Neſtorianorum 287.
eccleſiarum reditus 245.

mōnaſteria 243. 281.
—— reditus 245.
Bibliotheca 103.
archiuum 171.
antiphorus 250
porticus 169 239.
—— lampades in porticibus 245.
Hippodromus 120. 157.
balneum aeſtiuum 238. 245.
—— Hibernum 240. 245
—— Iberorum 239.
parepton 235.
dimaſion 235.
ſtatuæ 220.
officinae et opifices 169. 170 226 239.
Fontes 169 239.
fluuius Daizon ſ. Scirtus v. ſuis locis.
aquaeductus duo. 245 ſeq 248 ſeq. 250.
incolae 31 ſeq.
—— Syri 4. 31 ſeq 298.
—— Arabes 31. 35. 36. 38. 121.
—— Saraceni ib et p 78.
—— Armem 36.
—— Graeci 9.
ethnici incolae 144. 171 ſeq 222 ſeq 236.
dii 5. 69. 70. 137. 139.
genius vrbis 183.
chriſtiani 171. 236 297.
Neſtoriani fouentur a Perſis 271 287.
—— pulſi 272.
eorum ſchola 272
Iudaei 7. 9. 117. 279.
Ludi 234 ſeq 236.
Edeſſa ſub Perſis 7
ſub Alexandro. 7
ſub Seleucidis.
ſub regibus ſuis 33. ſ.
colonia Romana 181. 182 ſeq 186 ſeq 195 ſeq 207 ſeq
metropolis 188 ſeq 201. ſeq.
Edeſſa an a Nimrodo condita 3
colonia Chaldaea 4.
an a Seleuco Nicatore condita 8.
ab eo reſtaurata 8. 20 ſ.
an ab Abgaro condita 100. 102.
Tigrani obnoxia 76
in Luculli poteſtate 78. 79.
Pompeio obnoxia 79
numquam capienda 107. 242 297. 354.
capta a Perſis 129.
capta a Traiano 149. 153.
capta a Caracalla 176.
obſeſſa a Perſis 210.
obſeſſa a Perſis 241.
obſeſſa a Perſis 254.
obſeſſa a Perſis 258.
oppuguata 259.
obſeſſa 259.
capta a Choſroe 270. 271.
—— a Narſete 270.
—— a Leontio 270.
recepta ab Heraclio 272.
—— a Iaſdo Arabe 275.
capta ab Arabibus 280.
capta a Naſſiroddaula. 283.
a Graecis 290.
ab Arabibus bis tentata 292.
capta a Francis 293. ſ. 297.
obſeſſa a Codbuca 310.
ſeditio compreſſa 312.
obſeſſa et a Perſis 315.
recepta a Ioſcelino 338.
a Balaco 340.
a Graecis 347.
a Zengio 348. 349.
a Nuroddino 351.
capta a Saladino 353.
ab Alaoddino 353.
ab Alaſchrafo 353.
a Mogulenſibus 353. 356.
a Tamerlane 355.
Edeſſae eluuiones fluminis 169. 213

INDEX

233. 247. f. 278.
fames 306.
peſtis 234. 235. 240.
frigus 240. 316.
locuſtae 239.
terrae motus 239 278. 283.
Edeſſae ſtatus ſub Perſis 7.
ſtatus ſub Seleucidis 28 f. 33.
reſpublica 28. 33.
regnum 27, 63. 177.
iterum respublica 185.
Edeſſeni reges.
ex Parthis 35 f.
Arabibus ib.
Syris ib.
eorum tituli 35. 37. 173. 175
inſignia 133 f.
proceres 176.
curia 226. f.
ſenatus 226 f. 298. 299.
leges 172. 173. 215 f. 224
225. 226 f. 230. 233.
numi 40 et paſſim
milites praeſidiarii eorumque ſtipendia et praedia 215.
Edeſſae reges
I Orhoi bar Chevjo 33. 36. 63.
II Abdo bar Mazour 64.
III Paradaſcht bar Gabaru 67.
IV Bacru bar Paradaſcht 67.
V Bacru bar Bacru 68.
VI Abgar Phico 73.
VII Abgar bar Abgar 77.
VIII Maanu Aloho 80.
IX Pacorus 86.
X Abgar 91
XI Abgar Sumaca 91.
XII Manu Saphelul 92.
XIII Manu bar Manu 93.
XIV Abgar Vchomo 95.
XV Manu bar Abgar 125.
XVI Manu bar Abgar 129.
XVII Abgar bar Manu 130.
XVIII Abgar bar Ajazeth 147.
XIX Parnataſpates 148.
XX Parnataſpates iunior 148.
XXI Manu bar Ajazeth 148.
XXII Manu bar Manu 152.
XXIII Val bar Sahru 157.
XXIV Manu bar Manu 157.
XXV Abgar bar Manu 158.
XXVI Abgar Seuerus 162.
XXVII Manu bar Abgar 162.
XXVIII Abgar bar Manu 169.
Abgari reges duo ſub Gordiano Imp. 179. 201 f.
Edeſſae praeſides et praefecti
Palladius 217.
Anaſtaſius 235.
Alexander 235.
Demoſthenes 239.
Euſebius 240.
Eulogius 245.
Ioannes Catias 275.
Ptolemaeus Stratelata 275.
Aatira 283.
Naſſirod laula 284. 290.
Zeng 284.
Salaman Turca 290 291.
Georgius Maniaces 290 291.
Lependrenus 292.
Parazbatzes Iberus 292.
Senex Graecus 298 f. 303.
Edeſſae Comites Franci.
I Balduinus I. 293. eius coniux 294. v. *Balduinus Bolonienſis.*
II Balduinus II. v. *Balduinus de Burgo.*
III Ioſcelinus I. v. ſub ſuo nomine.
IV Ioſcelinus II. v. ibidem.
Edeſſae comitatus quas vrbes tenuerit 292 f. 317.
ſubiectus Antiocheno ducatui. 330 332. 342. 1346
CPlitano Imperatori 346
Seditio contra Comitem 312.
Edeſſena lingua 5. 257.

Edes-

epocha v. Epocha.
Edeſſeni menſes 17. ſ.
anni 14. ſ.
annorum initia 19 ſ.
Edeſſeni ſagittarii 166. 197.
Edeſſeni vt adoptarint 301.
Edeſſeni numi v. Numi.
Ediſſa. 3.
Effigies Chriſti ἀχειροποίητος 112. ſ. 264. 284 ſ.
Ἐκμαγεῖον quid? 113.
Elmachuel 31.
Emeſa v. Emiſa.
Emiralemira 273. 282.
Emirorum potentia 282.
Emiſa 188 ſ. 192. 211. 279.
Enancarus 165. 361.
Enxhu 312.
Epocha Edeſſena 14.
in numo 22. 149. 358.
Carrharum 187.
Erech 3.
Eunuchi 172. 313.
—— lex contra eos 172.
Euſebius Caeſarienſis 8. 14. 15. 24. 71.

F

Farfar fluuius 334.
Fluuiorum nomina 12.
Fulcherius Carnutenſis 293. 304 338.

G

Gabalus fluuius. 243.
Gabriel Armenus 316. 319. 328.
Galli ad Amidam. 220.
—— eorum ſtatuae. 220.
Gueras 316.
Geigremich 320. 321. 322.
Genealogia.
—— Abgari Vchamae 97.
—— Abgarorum ſub Gordiano 178.
—— Armenorum 344.
Gordianae 9. 308.
Gregorius Malatientis 96. 294.

H

Hanan 112. 109.
Harduinus (Ioannes) 10. 15. 41. 119. 124. 155. 158. 174. 186. 197. v. praef.
Haſartharx 310.

I

Iacobi Patriarchae tentorium 6. 192
Iacobus Rohenſis 22.
Ιαδ dux Arabum 275.
Iadz dux Arabum 275.
Iareh quid 2.
Ιάσδος 275.
Iezdegerd rex. 273.
Inſcriptiones explicatae 69. 70. 86. 178.
Ioannes Edeſſenus praediues 256.
Ioſcelinus I. de Cortenaye 319.
—— cognatus Balduini I. 319.
—— ad Raccam captus. 323.
—— redimit Balduinum Comitem. 327
—— inimicitiae cum Balduino 332.
—— Tiberiadenſis Comes fit. 333.
—— pro Balduino rege ſuffragia 335. 336.
—— Comes Edeſſenus 336 capitur et euadit 336 ſeq moritur 343.
Ioſcelinus II. filius 345.
—— eius genus 345.
—— peſſimi mores 343. 349.
—— dolus 346.
—— ab Edeſſa Telbaſcheram ſedem transfert 349.
—— Edeſſam amittit 349.
—— recuperat et amittit 351.

INDEX.

Isaacus Edessenus explicatus 1.
Isidorus Hispalensis illustratus 3.
Iter vnius diei 2.
Iudaei Edessae et Emesae 7.116.117.
—— praediuites 279.
Iulius Africanus 171.
—— eius κηςοὶ 165.
Iustinopolis 247.

K

Kalogembar quid 351.
Kesre Anuxiron quis? 261.

L

Lampades publicae 245.
Laodicaea 8.
Λεβούνης 344.
Leges illustratae 173.215.216.217 223.224.225.seq. 233. 265.
Leo Armenus 344 seq.
Leuo Armenus 344.
Limitanei milites.215.s.
Limitrophi fundi.215.s.
Locustae. 239.
Luna dea 5. 69. 70. 137. 139.
Lysias dux 154.

M

Macorus 82.
Maanu nomen proprium quid 69.
—— deus 69. 70. 139.
Maanubar Abgar 125. 129. 162.
—— Aloho 80.
—— bar Aj zeth 148.
—— bar Maanu 93. 152. 157.
—— Saphelul 92.
Mabug v. Mambugi.
Maifracta vrbs 290.
Maipherkin vrbs ib.
Malatia 316.
Maledoctus 331.333.
Malela (Io) illustratus 11.
Mambagi S. Mambugi 2. 296.342.
Mambuth 341.
Mannus Philorhomaeus 71.158.s.
Marachus. 82.
Marpha. 319. 336.
Mars Edessenus. 139.
Martyropolis 290. 291.
Maurofori 281.
Μαξάρθης 82. 85.
Mazour 64.
Meherdates 126 seq.
Melitene 316.
Menses Edesseni v. Epocha.
Mercurius Edessenus 69. 70. 139.
Mesopotamia in Syria 190.
—— nomen Syriacum 1. 181.
—— sub Alexandro M. 7.
—— Graeci coloni 9 seq.
—— sub Traiano 154.
—— sub Constantino M. 213 seq.
—— sub Parthis. 82.
—— sub Arabibus 283.
Mesopotamia alia 189. 190.
Messenii ad Euphratem. 151.
Metropoles ecclesiasticae 214.
—— Mesopotamiae 214.
Mezbin 103.
Michaelitae numi. 328.
Μιεφερκεὶμ 290. 291.
Monime nomen 70.
Monimus nomen proprium 139.
—— deus 69. 70. 139.
Moses Chorenensis illustratus 99 sq.

N

Nabo luna 139.

Na-

INDEX

Naſſiroddaula 283 291.
Nauxiruan. 261.
Nicoſius Armenus 307.
Niſibis. 164. 217. 219.
Numi quem vſum habeant 40 ſeq.
—— Edeſſae in Meſopotamia cuſi 40 et paſſim.
—— Edeſſae in Macedonia 94. 122
—— nimis eleganter picti. 159.
—— Edeſſeni EΔE inſcripti 182.
—— Michaelitae. 328.
Numi Parthici Edeſſae vindicantur. 22. 149. 358.
—— Edeſſeni cum epocha ib.
—— Alanni et Abgari 130.
—— vexatiſſimus 188
Nuroddin 309. 353.
—— aurei, argentei quando in oriente non ſint cuſi v. Praef.

O

Orchoenſes 4
Orech 3.
Orhoi rex. Vide Edeſſa
Orrhoene 38.
Oſdroene 38. 177
Oſrhoene 38. 214
—— ſub Traiano 154
—— ſub Caracalla 181
—— ſub Imperatore CPlitano 214. ſ.
Oſrhoeni 38. 154. 214.
—— Perſae dicti 37. 164.
—— Parthi vnde 37. 164
—— Sagittarii 166. 197
Oſrhoenum regnum vnde 38
—— quam late patuerit 38.
—— eius initium 32 ſ.
—— finis 27. 177. 181
—— nouum regnum 201
Oſrhoes rex quis 33. 36

P

Pacorus nomen proprium 86.
—— Edeſſae rex 86
—— Parthus regis filius 86 ſ.
Pancratius 296. 297 ſ.
Parnataſpates rex 148
—— iunior rex 148
Parthamaſpates 148
Parthyaea 33
Pharaſmanes 247
Phicas quid 73. 96
Phrataces 100
Phraates 100 ſ.
Piſces ſacri 6.
Plutarchus emendatus 81. 85. 245.
—— illuſtratus 244. 248. 250. 245
Procopius illuſtratus 33. 244. 248. 250.
—— emendatus. 245.
Proconſules Syriae 21. ſeq.
Ptolemaeus (Claud.) 4. 12.
Publicani, qui? 308.

R

Racca 322.
Racha 322.
Rages 13.
Ravendel 296.
Ravenel 296. 297.
Reges magni, qui? 175.
—— dicti praefecti Arabum. 282.
Renaudotus (Euſebius) 291.
Rhages 13.
Rheſaina 233.
Rhodius Coloſſus. 279.
Rhodus capta. 279.
Roaes 13.
Roais 12.
Rockar 355.
Roha 4 5. 12. v. Edeſſa.
Rohais 12.
Rohas 12.
Rohaſia 13.

Pó-

Ῥόχα 287.
Ῥοσῤῥώικεν. 215.
Rothasia 295.
Rufus (Sextus) 82.

S

Sagittarii Edeſſeni 166. 197.
Saharitarum regio 170.
Saladinus 353. et praef.
Salahoddin ben Ijub 353.
Samarcha 307.
Samoſata v. Armoſata.
Samuſart 301.
Sanatruces 98.
Sanguinus 309. 348.
Sarmes caſtrum 301.
Sarug ſeu
Sarugi 305. 314. v. Batnae.
Scaliger (Joſephus) 15. 16. 24.
Sceptrum 146.
Scirtus fluvius 2. 13. 169. ſeq. 320. 247. ſeq. 320. v. Edeſſa.
Seleucia 317.
Seroge 305.
Sochomanus 322.
Sokman ben Ortok 322.
Sol Edeſſae cultus 5. 69. 70.
—— in tiaris 133. ſeq.
Sororgia 305.
Sporaces 150.
Stellae in tiaris et numis 133. ſeq.
Stephanus medicus 258.
Sudarium Chriſti v. Effigies.
Syriacae linguae dialecti 5.

T

Taſuk 306. 313.
Tancrēdus 325. 327. 330.
Taphnuz Armenus 306. 313.
Tel Baſcher v. Turbayſſel.
Thaddaeus apoſtolus 115. 116.
Theophilus Edeſſenus 22.
Tiarae 133
—— recti 135.
Tigranes rex Armeniae 75. 93.
Togracin Damaſcenus 333. 337.
Traberez 295. 296.
Traianus Imp. 149. ſeq.
Tugragin Damaſcenus 333. 337.
Tuldequinus Damaſcenus 333.
Tulupa caſtrum 291. 299.
Turbayſſel 295. 296. 311. 319. 307. 331. 338. 349.
Turbeſſel v. Turbayſſel.
Turcae et Perſae confuſi 305.

V

Vchame, quid? 95.
Vchania 95.
Vchomo 95.
Verchi 13.
Veſirii ſub chalifis 283.
Vodena vrbs 13.
Vr Chaldaeorum 4.
Vrhoi Edeſſa 4. v. Roha.

Z

Zabas locus 281.
Zabdiel 30.
Zengius 321. 348. 350.
Ziffin campus 322.

HISTORIA
REGNI GRAECORVM BACTRIANI

IN QVA SIMVL

GRAECARVM IN INDIA COLONIARVM VETVS MEMORIA

EXPLICATVR

AVCTORE

THEOPHILO SIGEFRIDO BAYERO

ACADEMICO PETROPOLITANO ET ANTIQVITATVM P. P.

SOCIETATIS REGIAE BEROL. SODALI.

ACCEDIT

CHRISTOPHORI THEODOSII WALTHERI

MISSIONARII REGII DANICI

DOCTRINA TEMPORVM INDICA

CVM

PARALIPOMENIS

PETROPOLI

EX TYPOGR. ACAD. SCIENT. cIↃ IↃCC XXXVIII.

ILLVSTRISSIMO

ET

EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI

ALEXIO MICHAELIS FILIO CZERKASSIO

S. I. M. TOTIVS RVSSIAE

CONSILIARIO STATVS

INTIMO

ILLVSTRISSIMO

ET

EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI

ALEXIO MICHAELIS FILIO CZERKASSIO

S. I. M. TOTIVS RVSSIAE

CONSILIARIO STATVS

INTIMO

ORDINVM

S. ANDREAE ET S. ALEXANDRI

EQVITI

&c. &c.

D. D. D.

AVCTOR



SOlet hoc inter bellorum incommoda recenſeri, quod artibus nullus honor, ac ne locus quidem ſit vllus, leges autem atque iudicia conticeſcant. Quod, vt ſaepe eum in modum accidiſſe, clariſſimis ex omni memoria exemplis patefactum eſt, ita numine diuino atque beneficio fieri ſenſimus, vt his annis in hoc florentiſſimo imperio contra acciderit. Compoſitae ſunt ab ANNA AVGVSTA res ſociorum ſumma cum fide, celeritate inredibili: non tamen ſine armis, quibus

in foederata coniunctiſſimaque Rep. et fatalem calamitatem, quae mentes ciuium bene de patria ſentientium, ſed in hoc ciuili diſſidio, partem conſiliis partem ſtudiis aberrantium, vnam in ſententiam et potiorem coire non ſinebat, depelli, et ceterorum, rectius patriae conſulentium, fidem vero AVGVSTAE implorantium, ſalutem libertatemque defendi oportuit. Vix ad tranquillitatem redierat respublica, vix ciuium fortiſſimorum ad communem patriae cauſſam votis iisdem et ſententiis opibusque tuendam conſociatae erant manus, cum AVGVSTA ad maioris incendii flammam reſtinguendam animum conuertit. Latum eſt ex foedere Imperatori Romano Germanisque auxilium: Rhenum vidit exercitus Ruthenus: alius haud minor, paratus inſtructusque ad fines Germaniae adſtitit. Vt vero ſpes pacis adfulſit ſatisfierique ſociis videbatur, auſpiciis AVGV-

GVSTAE contra vnum atrociſſimum totius Chriſtiani nominis hoſtem exercitus ducti, res geſſerunt omni laude, praedicatione, litteris monumentisque decorandas. Quis interim noſtrum prope ſciuit bellum geri, niſi quoties de victoriis exercituum, ſociorum congratulatione, hoſtium metu, fuga, internecione perferretur? Duo validiſſima caſtella capta ſunt: et alterum quidem defenſum a iuſto lectiſſimoque exercitu intra moenia, a maiori in propinquo, a claſſe ab mari, intra tres dies vi ſumma expugnatum, hoſtium in eo ad viginti millia deleta. Munimentum, quod Cherrhoneſum Tauricam ab omni impreſſione tutam praeſtare videbatur, foſſa latiſſima profundiſſimaque, vallo, arcibus crebris, praeſidiis Turcicis, totiusque populi Tatarici innumerabili multitudine inexpugnabile, legiones Ruſſicae non occupaſſe, ſed transuolaſſe hoſtibus

ſunt

ſunt viſae. Hoc aditu recluſo tot tantaeque barbarorum inter quotidiana certamina clades conſecutae ſunt, tot non dicam vrbes, ſed regiones copioſiſſimae ad exitium atque vaſtitatem redactae, regia ipſa, propulſatis defenſoribus, eorum in conſpectu a fundamentis diſiecta. Quid nuper in Cherrhoneſo patratum ab ea parte commemorem, quam ſuperiori anno noſtri intactam reliquerant, exercitu per ipſum mare ducto, vrbe populoſiſſima et locuplete capta atque incenſa, agro longe lateque deuaſtato, hoſtibus ad deſperationem compulſis. Neque claſſes maximae et breui tempore inſtructiſſimae otioſae fuerunt, quippe quae non tantum in palude Maeotica hoſtilem claſſem profligauerint, ſed iam ipſo in Ponto nauigent, vbi naui hoſtili intercepta, maior eodem in mari fortuna videtur eſſe deſponſa. Sed poſtquam exercitus Ruſſici in hiberna ducti fuerunt, no-

noua gloriae materia ſubminiſtrata eſt. Quantus dolor metusque hoſtibus incuſſus fuerit Ozacouio expugnato, ex eo quoque intelligi poteſt, quod ex ſeueriſſimo edicto tam numeroſus exercitus et lectiſſimus vero per loca et natura et vaſtationibus ſqualida, importuniſſima tempeſtate, ad recuperandum caſtellum confluxit. Sciebant Turcae Ruſſicos milites longe ab his regionibus hiberna tenere: caſtellum, a parua manu, ſi, quae in eo antea militum multitudo fuerat, cogitarent, defendi: igitur intra dies quatuordecim, omni arte militari, vi et ferocia, crebris inſultibus noſtros oppugnarunt. A munimentis ſaepe quidem maxima cum clade depulſi ſunt, tanta vero denique cum pernicie reiecti, vt innumeris ſuorum deſideratis, vexillis ad triginta et amplius amiſſis, incenſis caſtris, magna rerum omnium copia derelicta, intempeſta

nocte, ad quatuordecim ſtadia trepidi fugerint. Hic fuit victoriarum ANNAE AVGVSTAE PIAE FELICIS quidam quaſi curſus, vt immortalis DEI prouidentiam DEO DILECTAE praeſentem omnibus in rebus eſſe vniuerſi ſentiamus. Magnae res: ſed in quibus illius animus minime conquieuit. Populum ſuum fouendum ornandumque ſuſcepit: in qua cura primum hoc quidem, tempeſtates diſpellere, hoſtes a finibus arcere, pacem firmam, honeſtam diuturnamque vel vi vel conſilio parare: at id ipſum, quamobrem omnis illa cura ſuſcipitur, cum multo etiam magis ſit expetendum, quis maiori quoque gloria dignum non cenſeat eſſe, cum AVGVSTA, tametſi illa agit, ſimul tamen ſalutem populi cum tuendam tum exornandam, omni contentione animi, tanquam nullo occupata bello, complexa eſt. Quam multa interim clementer, manſuete, iuſte, moderate ſapienterque facta recordamur! quan-

quantam iudiciorum grauitatem! quam curam legum! quam aduerſus cunctos aequitatem! Quid eorum omnium media in pace fieri videtur potuiſſe amplius? Iam et litterarum non modo non imminutus, ſed auctus fuit honor. Datum hoc fuit laudi Fuluio, qui Aetolos debellauit, quod Martis manubias Muſis conſecraſſet. Et ille quidem quas cepiſſet ab hoſte: AVGVSTA, dum hoſtes perſequitur, manubias militi relinquit, Muſis ex aerario largitur ſuo: non ea vero tantum, quae lege ſtatuit: nam nunc maxime iterum ad viginti millia dono dedit. Sed de incremento litterarum, quae maior vmquam cura fuit, quam nunc eſt? His tantis in rebus, tam variis, AVGVSTA vt fortiſſimis belli ducibus, ita miniſtris vtitur ad ſeruandum populum ſapientiſſimis. Hac in ſtatione Te pro optimo publico maxima cum laude excubantem cernimus, Illuſtriſſime Princeps. Sunt in domo tua vetera

maiorum tuorum decora, toga ſagoque parta: ſed nouum iisdem tuarum virtutum excellentia ſplendorem quotidie adfundit. Auus tuus, Iacobus Princeps, Cudeneti filius, auſpiciis ALEXII Imperatoris tantas bello Polonico res perpetrauit, tot victoriis, tot vrbibus, caſtellis, regionibus captis, tantam ſibi peperit gloriam, vt ea quidem pulcerrima virtutis merces fuerit, quod ſub oculis Imperatoris ſui iſta geſſit: altera autem, quae ex eo eſt conſecuta, non minus fuerit exoptanda, perpetua in eum Auguſti gratia. Inter tot tantosque belli duces, quorum iſthuc feraciſſimum erat tempus, is tamen fuit vnus, cui ALEXIVS ſummam rei militaris commendatam eſſe vellet. Eo defuncto, Michaelem patrem tuum adhuc adoleſcentem inter cubicularios allegit ALEXIVS, IOANNES vero AVGVSTVS, cognita perſpectaque illius iuſtitia, integritate, abſtinentia, iudiciis praefectum ſum-

mo

mo in tribunali collocauit. Hic tam teſtata atque illuſtris eius fuit innocentia et pietas, vt PETRVS AVGVSTVS neminem digniorem iudicaret, cui gubernandam traderet Siberiam. Dedit idem in hoc dignitatis gradu in primis ſingulare fidei continentiaeque documentum, cum prouentus regios ſic ordinauit, vt aerarium, quod ante eum fecerat nemo, impenſe ditaret. Quamobrem cum de prouincia ſic decesſisſet, vt magnam apud AVGVSTVM iniſſet gratiam, poſt autem ita contingeret, vt omnia in ea ruerent in deterius, PETRVS MAGNVS tantus ingeniorum, virtutis, fidei, tam acris iudex, te potiſſimum delegit, qui parentis et meritorum et animi haeres cum eſſes, prouinciam adflictiſſimam priſtinum in ſtatum reſtitueres. Quam breui tempore tantam rem, tam impeditam atque perditam, quam ſapienter confeciſti! Quantum tibi haec ipſa Petropolis debet, qui in erigenda

ea fundandaque, quod erat difficillimum, primus curam, consilium operamque posuisti? Fuerunt deinde ea tempora, cum Senatorio in Ordine multa praeclare egisti: vix aut em ANNA AVGVSTA imperium adierat, cum tua prudentia et optimi publici, qui in Te fuit, summus amor sic eluxit, vt ab AVGVSTA inter consiliarios adscriptus, ab eo tempore esses inter praecipuos. Accessit ad maximam dignitatem aliud haud minus ornamentum, quod inter Equites S. Andreae allectus es, quamuis nondum illum ordinem esses consecutus, ex quo ad hunc amplissimum gradum splendoris perueniri solet. Verum et hic deinde honori tuo est adiectus et non modo ANNA AVGVSTA Te quam ornatissimum esse voluit, sed CAROLVS Imperator Romanus quoque, cum ad Te illam vultus sui imaginem auro gemmisque fulgentem misit. Quamquam igitur tuae laudes ex

tuis virtutibus ſunt ſolidae, attamen tanto maiori in lumine verſantur, quanto illuſtrius et glorioſius de Te et PETRI MAGNI et ANNAE AVGVSTAE fuit iudicium, ex quo intelligi ea quoque merita poſſunt, quae in priuatorum hominum conſcientiam non penetrant. Haec cauſſa eſt, quamobrem Tibi hoc opuſculum dedicandum cenſuit Academia. Sed ſi ſtudia tua videamus, quae ad relaxationem animi, quantulamcumque Tibi perpetuae occupationes tuae permittunt, vel in mechanicis exercitationibus, vel in numophylacii tui contemplatione, vel in libris conſumis, cum earum litterarum amore ab ineunte aetate imbutus, Academiae cupide ſapienterque conſulis, haec enimuero cuncta propius nos attingunt. Quae cum ita ſint, Academia, Illuſtriſſime Princeps, ſummae ſibi laudi ducit, quod tanti viri patrocinio dignata, eos ex tua admirabili bene-

beneuolentia fructus capit, qui in bonum publicum redundent, propterea autem, me interprete, immortales Tibi gratias agit. Denique a Te petimus, vt apud ANNAM AVGVSTAM noſtras res perpetuo quam commendatiſſimas eſſe velis. Petropoli VIII. Kal. Ian. CIↃ IↃCCC XXXVIII.

PRAE-

PRAEFATIO

Anni sunt viginti et amplius, cum de veterum ecclesiarum sub extremo oriente historia cogitare coepi. Comprehendebam illo meo studio regiones supra Indiam ipsasque Sinas, in quibus subinde magis magisque sensi, quot ecclesiae, quam florentes exstiterint. Sed interceserunt aliae atque aliae occupationes, per quas mihi huicce uni rei vacare minime licuit. Interea tamen saepenumero quandam temporis opportunitatem nactus sum, quam isti argumento impenderem. Res haec iam inde a principio mihi visa fuit perdifficilis, in progressu vero longe impeditissima, quod tenuem sane memoriam, non obscuram tamen, neque contemnendam infinita circumstarent, tum incerta ad hunc diem, tum prorsus caliginosa, quae me vel in prisca regionum notitia, vel in ciuilibus populorum casibus conuersionibusque remorarentur. His autem neglectis, quemadmodum id, quod animo destinaueram, aliquo probabili cum fructu perficerem, non inueniebam. Quid enim, vt id dicam solum, nostra referat, si, quibus in locis ecclesiae fuerint, enumerarem, eadem vero loca, quae essent, lectoribus relinquerem ad diuinandum? Citius totum hoc dimittendum iudicaui, quam aliorum patientia vt abuterer. Itaque dedi operam, quaecumque illo in stadio impedire cursum meum possent, ea vt de medio remouerem. Multa ibi ab diligenti obseruatione in mentem venerunt, per se quidem ad ciuiles populorum res illustrandas apta, tum vero his quoque ecclesiasticis lucem foenerantia. Ea autem visa denique

ſunt ita accreſcere in cumulum, vt illa in copia inſtruenda cogerer eſſe diſſipatus: nam iſta eccleſiaſtica tali in turba vix apparebant. Quid facerem? Cepi conſilium ex re atque neceſſitate, vt, quemadmodum nauiculatores, cum nauem nimis depreſſam in breuia et ſyrtes impacturam metuant, ſic mea ex naui iactum facerem mercium. Conſequetur alius atque alius, ſi ita vobis videbitur. Nam veſtri eſt iudicii, lectores, num mea tali opera, vt haec eſt, quam ſuſcepi, Aſiaticae res celebriores euadant. De regno Graecorum Bactriano ediſſero: de Indico interſerui, quod minus etiam eſt notum: praeterea de Graecis inter hos populos colonis et hoſpitibus ſedulo diſquiſiui. Sed de Graecis artibus, quemadmodum cum oriente communicatae fuerint, ex coniectura egi. Quo in loco veniam mihi dari cupio, ſi minutis ſuſpicionibus plus fuerim obſecutus, quam vobis videbitur aequum eſſe. Odioſum hoc eſt ſaepe, ſuſpicari: attamen, vt mea opinio fert, in tempore et loco neceſſarium atque vtile. Vt enim in obſcuriſſimis quaeſtionibus primum hoc eſt, ſuſpicari, ita, ſi nihil proficiamus amplius, exſtare et cognoſci ſuſpiciones noſtras conuenit, quibus fortaſſis alii occaſio praebeatur, aut hoc ipſum, aut nouum et diuerſum iter ſibi muniendi, quo proxime ad veritatem perueniatur. Quae mihi ab amicis iam ſunt obiecta, ea minime diſſimulaui: non tam, vt refellerem, quam, vt ſimplicis veritatis amicus, ea quoque ad diiudicandum vobis proponerem, ne quem meae circumuenirent opiniones. Credidi autem dignam eſſe eruditorum hominum ſtudio operam, cum ſatis appareat, artes et diſciplinas in humano genere peregri-

regrinatas et aliis atque aliis in populis vel diuerſatas fuiſſe, vel domicilium collocaſſe, earum ſi nos quaſi itinera inueſtigemus. Non ſemper eaedem gentes fuerunt vel ſapientes, vel barbarae: fuit huiuſce et dedecoris et laudis quaedam in genere humano vicissitudo. Neque vna aliqua gens per ſe vidit omnia et reperit: neque quae aliquid inuenit, eadem ſemper perfecit aut conſtanter retinuit. Ne in Graecis quidem haec ſtatuo: quamquam, ſi ea gens non plurima vel prima vidit, vel expoliuit, tamen nulla eſt alia, in qua illuſtriora ad fidem exſtent monumenta, quantum fuerit eniſa. Graecorum teſtimonio gentes praeterea recolimus ſapientes, Chaldaeos, Aegyptios, Indos: aſt eorum numquam mihi ſeſe probauit oratio, qui omnia praeclare inuenta ad eos referrent auctores et neſcio quid immenſae ſcientiae et omni quidem aeuo in iis fuiſſe praedicarent. Si huius tantae exiſtimationis cauſſam requiratis, faſtidium eſt rerum notarum: ita fit, vt, quae non ſatis ſint cognita, ea vbi in mentem venerit aliquo in loco eſſe habenda, tanto cupidius efferamus, quo minus cognoſcuntur. Itaque Graecos ab iisdem nonnulla accepiſſe, vltro et lubenter quidem concedo: modo item alii eosdem populos a Graecis quaedam cum vt noua et inchoata, tum prope conſummata accepiſſe conſentiant. Sed numquam celerius priſcae aliqua in gente diſciplinae vel exſtinctae ſunt, vel obſcuratae, vel auctae quoque aut cum aliis commutatae, quam per ciuilium rerum conuerſiones, quae et multis modis et in bellis contigerunt maximae. Attamen diuerſarum gentium inter ſe commercia et conſuetudines hic etiam multum potue-

runt. Eorum omnium conſideratio fecit, vt iſtae ſuſpiciones meae mihi non ineptae iuerint viſae. Nihilo autem plus iis tribui velim ab alio, quam a me tributum ſentiet. Hoc ſaltem mecum recordemini, quantum in oriente potuerint Graeci. Graecos reges in Bactriis fuiſſe annos centum et amplius: Graecos reges in India etiam poſtea fuiſſe, et florentes tam opibus quam artium ſtudio: alteros vero reges, Graecos Seleucidarum regum praefectos annis ſexaginta iisdem in regionibus exſtitiſſe: populos denique barbaros longo poſt tempore Graeci ſermonis vſu fuiſſe delectatos. Habetis orientem apertum tot Graecis in Meſopotamia et Syria coloniis, et, vt tum quoque Graecorum ingenia fuerunt, mercaturae appetentiſſimis. Inde Antiochiae ad Daphnen opes et regum Syriae, Romanorum non tantum bello, ſed corruptela celebratae diuitiae. In Graecorum apud Bactrios regum chronologia, ab annis epochae Iulianae abſtinui, quod illi ante C. N. Dionyſiani et ſufficerent hic ad ceteras epochas ordinandas et memoriae cumprimis inſeruirent. Alias ob cauſſas Iuliana epocha opus non fuit, vt in rebus Oſrhoënis fore arbitratus ſum. Interruptam rerum ſeriem et ſolitudinem paſſim interiectam cernitis. Moleſte tuli: opis humanae praeterea nihil vidi: πειθανάγκην eam quidem eſſe ſenſi, vt ſic ſcriberem. Igitur eā quidem cauſſa nemo ſuccenſebit mihi. Enimuero ita aequos ſcriptorum meorum cenſores, ad hunc diem nactus ſum, vt hac excuſatione potuiſſem ſupersedere, cum et illi ipſi, qui iure ſuo agerent et quam exquiſitiſſime expenderent omnia, qui teſtes

a me

a me productos, tamquam in iudicio incorruptae fidei explorarent, meis tamen ſtudiis ſumma cum beneuolentia fauerint. Vt is doctiſſimus vir, qui nuper (*) hiſtoriam Oſrhoënam nitidiſſima accuratione ſic recenſuit, vt errores quoque retegeret. Hoc vero nihil aliud fuit, quam noſtra ſtudia mundo communicandoque adiuuare, quae res explicare verbis non poſſum quantum me delectauerit. Satisfaciam ei alias, cum retractationes aliquot locorum eius hiſtoriae edam. Nam et nuperrime cum numum Amidenum, qui adhuc tantummodo apud Pariſinos in gaza Regia exſtitit, multis Antiquariorum iactatum diſceptationibus, ex muſeo Imperatorio apud Academiam producerem, quaedam inſignia, quae tum emendarem in Oſhoëna hiſtoria, tum reficerem, inueni. Conſtitueram huic Bactrianae hiſtoriae adiungere commentationes de Seribus et Sacis: tum alias de priſcis Sinis. Et illa quidem, de Seribus et Sacis ſic pertractaueram, vt in his Bactrianis multa copioſius illuſtrari viderentur. Has vero commentationes caſus quidam intercepit. Periere, vt vno dicam verbo: iacturam moderate fero: datur opera, vt reparetur, tametſi hoc ſine moleſtia fieri nequit. Ea quoque de cauſſa geographicam tabulam, quam confecto opere fueram concinnaturus, omitti hic oportuit, quod ſine illis commentationibus confici non poſſet. Adiunxi huic opuſculo Chriſtophori Theodoſii Waltheri doctrinam temporum Indicam. Nam cum mihi a multis annis cum religioſiſſimis viris, qui Trangambariae et Madraſtae Indos ad ciuitatem Dei aggregant, amicitia intercedat

(*) *Bibliotheque raiſonnee t. XV. part I. p. 92. ſeq.*

et litterarum frequens vſus, multa in me exſtiterunt fidei eorum beneuolentiaeque teſtimonia. Itaque hunc ornatiſſimum virum et humaniſſimum oraui, vt, quod per occupationes grauiores ſanctioresque liceret, obſeruata a ſe dudum, vt mente eſt acri et ſagaciſſima, ad hoc argumentum conferret atque digereret. Iſtam induſtriam et ſuis fore perutilem, qui habituri ea eſſent expedita, quae non niſi multa diligentia, nec a quouis tamen exquiri poſſint, et doctis hominibus periucundum. Conſectum ab eo negotium eſt citius, quam exſpectaueram. Deinde et ipſe et ceteri integerrimi viri, in primis Antonius Sartorius in epiſtolis ad me multa praeterea monuerunt, quae non potui negligere. Ita nata mihi ſunt ad eam doctrinam Paralipomena. Non eſt neceſſe, vt haec intelligentibus commendem. Ioſephus Scaliger primus ſenſit, quantum haec recondita populorum doctrina explicari mereatur, vt ne a minimis quidem fragmentis abſtinuerit ille incomparabilis ſenex: nos interiora, et plena quae manu praebeantur, non faciemus maximi? At oſtendit iam aliqua ex parte Leonardus Eulerus inſignis Mathematicus et collegii neceſſitudine mihi deuinctiſſimus, quam grata haec omnibus eſſe debeant. Quare ob operam ſedulo pro publica vtilitate nauatam et auctori et ſociis eius et ſanctiori eorum muneri, bene precemur.

SVM-

SVMMA CAPITVM
HISTORIAE BACTRIANAE.

I. Dionysi res cum Bactriis: quae Indi de Baccho tradant et quid in his vero sit simile. II Quae alia incerta de priscis Bactriis ferantur. III. Bactra vnde dicta? Fines ad meridiem Paropisus mons: quomodo Graecis dictus? Caucasus Macedonibus cur dictus? Merus, Imaus, Emodus montes qui? et quomodo Indis vocati? vbi siti? etymologia Indica Paropisi: vbi situs? IV. Septemtrionales Bactrianae limites: Oxus vnde dictus? Ab occidente Margiana et Chorasana: qui Margus fluuius? V. Limites Sogdianae: Iaxartes fluuius vnde dictus? Silin Plinii et Sogdiana: Chorasmii vicini ab occidente. VI. Vrbes Bactrianae et Sogdianae permistae a scriptoribus. Maracanda quae? Bactra sunt Balch. VII. Zariaspe quae? VIII. Ceterae in Ptolemaeo vrbes exquiruntur. IX. Qui factum, vt Sogdiana cum Bactriana confunderetur: populorum eorum ortus, mores et studia. X. Res Bactriorum et praefecti sub Persiae regibus. XI. Res eorundem sub Alexandri M. expeditione XII. De Pori et Taxilis regionibus: Indus fluuius ad quem Alexander res gessit: rectius Sindus. XIII. Tumultus in Bactriana repressus. XIV. Alexandro mortuo qui status Bactrianae? XV. Sandracota in India rex: vnde dictus ortusque? res eius gestae: Palibothra quae vrbs: vnde dicta? Seleucus Nicator Bactrios in potestatem redigit: res eius cum Sandracota. XVI. Chronologica tabula regum Graecorum in Bactriis ad illustranda cetera praemittitur. XVII. THEODOTVS primus rex: nomen et genus eius: primum fuisse regem, contra Vaillantium statuitur et Strabonis locus illustratur: Theodoti potentia. XVIII. Parthicum regnum post Bactrianum coepit: de principiis motuum contra Seleucidas varia elucidantur. XIX. A. ante C. N. 250. Arsaces Parthus res mouere coepit. XX. Altera epocha regni Parthici ante C. N. 247 refertur: coniectura de caussa huius epochae et de interitu Antiochi Thei. XXI. Epocha Bactriana ex superioribus aliisque argumentis constituitur: forma annorum Bactrianorum. XXII. Theodotus res regni sui ordinat: moritur. XXIII. THEODOTVS Theodoti filius rex: aliquanto ante victum a Parthis Seleucum Callinicum regnare coepit: quando Seleucus victus? epocha tertia Parthica ad A. ante C. N. 241. ex coniectura refertur. XXIV. Confirmatur hoc grauioribus argumentis: a quo mense prima et tertia epocha exorsa videatur. XXV. Haec amplius confirmantur ex Attali Pergameni rebus. XXVI. Parthi Hyrcaniam A. ante C. N. 244. occuparunt: ex his omnibus, tempus, quo Theodotus patri successerit, statuitur. XXVII. EVTHYDEMVS vt regnum adierit? XXVIII. Quando regnare coeperit. XXIX. Bellum cum Antiocho M. quando et quomodo gesserit: quae Taguria Poly. ii? Dachanabades regio quae? XXX. Quando et quomodo huic bello finis impositus fuerit? An-

tiochi M. res in India XXXI. Confirmatur tempus belli compoſiti Euthydemi bellum Nomadicum et Indicum. XXXII. MENANDER rex: Vaillantii errores excuſantur: Strabo notatur: Menandrum Bactriorum fuiſſe regem. XXXIII. Menander idem Indiae rex fuit: de Indico Graecorum regno: de Apollodoto rege: de Siriptolemaeo rege: quam late regnarint: Menander rex Indiae quemadmodum ad Bactrianum regnum peruenerit: auget regnum: Seres debellati: Demetrius Euthydemi filius partem Indiarum occupauit: quando Menander Bactrianum regnum videatur occupaſſe? XXXIV. EVCRATIDES rex eodem fere tempore, quo Arſaces VI in Parthis, ad regnum peruenit: de Arſacis huius temporibus exquiritur: inde de initio regni Eucratidis coniectura. XXXV. Quomodo ad regnum Bactrianum peruenerit: quae bella geſſerit. XXXVI. Bellum Indicum cum Demetrio: ſocietas cum Parthis ad opprimendum Demetrium et tempora illarum rerum. XXXVII. Etiam de hoc Demetrio rege. XXXIX. EVCRATIDES Eucratidis filius, rex: ſtudet rebus Demetrii Nicatoris regis Syriae contra Parthos: inde concluditur de initio regni huius Eucratidis. XL. Parthus adoritur Eucratiden aliarum gentium bellis defatigatum eum opprimit. XLI. Quae deinde Bactriorum conditio fuerit. XLII. Numus Eucratidis prioris: eius aduerſa explicatur. XLIII. De titulo Μεγάλου Βασιλέως. XLIV. De argento huius numi: de aliis numis horum regum. XLV. Cur numus Graece inſcriptus: de multitudine Graecorum in orientalibus regionibus et eorum linguae exiſtimatione. XLVI. In Indicis linguis Graecae inſtitutionis veſtigia: vt in numeris Indicis. XLVII. An numerorum Indicorum nomina a Romanis? an a Perſis? immo et Perſica et Indica a Graecis: an potius ex communi linguarum ſtirpe? XLVIII. Indorum Sapientia nimis laudata: Indi numerorum nomina a Graecis ſimul cum arithmetica acceperunt: arithmetica Graeca cum Indica comparatur: ratio alia, cur Indi a Graecis potius accepiſſe videantur arithmeticam, quam a ſuorum philoſophorum quodam excogitatam: de Brahmanis Indorum et Gymnoſophiſtis. XLIX. Algorithmi auctores Indi non fuerunt: quando Arabes ab Indis figuras numerorum, ſeu Ziphras receperint? Indi tamen naturam et aptitudinem earum ad logiſticam non ſenſerunt: *Indi figuras illas a Seribus, Seres a Sinis accepere: variae indidem ductae numerorum formae: de origine Ziphrae, nullitatis ſigno. L. Indorum muſica a Graecis quoque* videtur recepta: *doctrina temporum Metonica apud Bactrios, aliosque populos et Indos et Sinos: dies item hebdomadis Indorum a Graecis.* LI. Primi cycli Metonici auctores Graeci non potuere formam eam ab Indis recipere: contra Indi potuere a Graecis: ab Indis Sini: confirmatur haec opinio noſtra Miſſionariorum Sinicorum iudicio.

HISTORIA
REGNI GRAECORVM
BACTRIANI

IN vetuſta memoria multa ad Bactriani populi celebritatem exſtant: ad perpetuam rerum geſtarum memoriam perpauca. Virtus gentis apud Graecos ita celebrata fuit, vt in fabulis quoque poetae Dionyſo ex Bactriis debellatis gloriam quaererent. Primus illorum in numero, quod ſciam, Euripides fuit, cum Bacchas ſuas in ſcena produceret. Polyaenus (1) vero auctores habuit locupletiores, qui, vero an falso obſcurum, Dionyſium, Indis deuictis, in Bactrios mouiſſe proderent: Bactrios, vt hoſtem aditu arcerent, montes ſupra Sarancen, fluuium eius regionis extremum, ſitos occupaſſe: illum vero Bacchas et Amazonas primo in agmine inſtructas tranſire vadum fluminis iuſſiſſe, vt Bactrios mulierum ſpectaculo a ſcrupeis locis eliceret, ipſum cum omni ſatellitio in effuſos vertiſſe, arma et victorem diſceſciſſe. Megaſthenes (2) paucique alii res a Baccho in India geſtas crediderunt. At

(1) In Stratagematis l. 1. c. 1. (2) Apud Strabonem p. 472.

Dionyſiacorum eleganti architecto Nonno Panopolitano haec Bactrianae ſcenae fabula non placuit: ignotam ei fuiſſe non opinor. Ego, vt huiuſce famam belli non defendo, ita in Dionyſi rebus aliquid veritatis verſari ſentio. Philoſtratus, quamquam, praeſertim vbi Indica tractat, admodum infans et vanus auctor, (3) tres ſententias de Dionyſo protulit, vehementer diſcrepantes. Graecorum eſt, Thebis in Boeotia ab Ioue ex Semele genitum, in femore patris ad maturitatem partus vsque geſtatum, quod mater caelesti fulmine conflagraſſet, inde iam multis maximisque facinoribus editis Indiam petiiſſe. Contra Indi ad Paroniſum montem et Cophenen fluuium, quibus Graecos fuiſſe permiſtos in progreſſu operis declarabo, quos ego potius opinionis illius auctores fuiſſe cenſeo, Aſſyrium ediderunt Bacchum. Denique Indi ad Indum fluuium et Hydraotam ipſumque Gangem, Dionyſum Indi fluminis filium, in Mero monte prope Nyſam natum ſtatuerunt. Sed Graeci, quidquid veri in fabula fuit, perplexe interpretando deleuerunt: manet tamen Meri montis memoria, ἐν τῷ τοῦ Διὸς μηρῷ et Nyſae in Bacchicis ſacris ipſoque Dionyſi nomine. Egregie, vt pleraque omnia doctus Ariſtophanis interpres ad Ranas: (4) Νύσιος δ' ὁ Διόνυσος τοῖς Ινδοῖς ὀνομάζεται ἀπὸ τῆς ἐν Ινδοῖς Νύσης. *Dionyſus Indis Nyſius dicitur a Nyſa Indorum vrbe.* Nyſam, cum Graeci alii fabularum pertaeſi in Aſſyria reperirent vrbem, inde ſuum Nyſaeum Aſſyrium fecerunt. Multa autem alia nobis perſuadent, Dionyſum fuiſſe ex India. Indi Tamuli narrant, (5) *Maid-*

(3) p. 57. (4) A. r. ſc. V. p. 222. (5) Ex epiſtolis Reuerend. Miſſionariorum Trangambarienſium ad me ſcriptis. Confer Solinum c. 52.

Maidhâsuren fuiſſe aliquem, dictum a *Maidham* et *âſuren*, quaſi *taurum gigantem* (gigantes autem fingunt heroas ſuos fuiſſe) in *Niſadaburam* vrbe, haud longe a *Meru* monte natum, qui taurina cornua geſtarit, carnibusque paſtus cum aliarum animantium, tum vaccarum (quod in Indis ſummum ſcelus) et vino ad ebrietatem repleri ſolitus, diis bellum intulerit. Ceterum in comitatu habuiſſe octo *Pudam* ſeu giganteos et malitioſos daemonas, ex familia Indica paſtorum, quos *Kobaler*, ἀυτὸ τοῦτο, *paſtores* vocant, curru vectum ab octonis leonibus, aut leopardis, aut tigridibus, aut elephantis. Habetis Nyſam, (6) vbi natum ferunt Bacchum etiam Graecorum aliqui: habetis *Merum* montem, vnde Iouis μηρὸς Luciani exagitatus iocis: habetis κοῤάλυς Bacchi, et cornua et currum, et quidquid ad fabulam veteris Graeciae deſideretis. Nam de Amazonibus ſeu bellicoſis viraginibus ad Gangem, Indi nunc quoque multa praedicant. Ille autem thyrſorum tympanorumque apparatus Indicus eſt. Indi boreales *par tympanorum* दुमामे *Dumame* ſeu *Dmam* appellant, vnde Graecorum τύμπανον, vt mihi quidem videtur. Heſychius: Σάμμα ὄργανον μουσικὸν παρ' Ινδοῖς. (7) Primam litteram, quam noſtrum aliquis accurate pronunciare non poteſt, mirum mihi non eſt, quod ita protulerit Heſychius. Conchis maioribus Indi etiam nunc vtuntur in ſacris, tamquam tubis. शंख *zank* tali conchae nomen eſt, Tamulis

(6) Confer Strabonem p. 473. (7) Conf. Suidas in τύμπανα.

சங்கு *Sangu*, vnde κόγχη. Phialarum quoque in orgyis Bacchi vſus fuit : eſt autem etiam haec vox Indica, பியாலா *piala*, *cyathus*, quales ſunt Sinorum cum maiores, tum minores. Pompa omnis cum tympanis et εὐανθῶς σολῆς (8) amictu et Indica eſt, et Bacchi. Quae cùm ita ſint, nam multa alia praetereo, Dionyſum vetuſtiſſimorum temporum bellicoſum regem merito ſibi vindicare videntur Indi. Nihil autem abſurdi eſt, cum quis eundem in vicina Bactriana bellum geſſiſſe dicat. *Meru* mons in *Puwana-ſaccaram* (9) fabuloſiſſime deſcribitur. Hoc vnum commode nobis cadit, vt poſtea enucleatius tradam, quod ex eo libro ſitum montis cognouimus. Nam *Imeia*, Graecorum *Imaus*, eo in libro fontes Gangis continere dicitur. *Meru* vero huic Imeiae ponitur ab occidente. Ex quo apparet, Merum fere medio inter fontes Indi atque Gangis ſpatio ſitum, vbi *Niſada-buram*, ſeu *Nyſa vrbs*. Nam *buram* eſt ſuperiorum Indorum புரம் *pur* multis in nominibus Indicarum vrbium, atque opus, aedificationem, ſtructuram ſignificat, vt பதே·புரம் *Fatepur*, *opus cuiusdam Phatæ*, vrbs ab eo condita. Naſſireddino Ettuſaeo et Vlugbego نيسابور *Niſabur* in Choraſana : ex quo Chryſococcae Νισαμπυρ, non *Niſambour*, vt Iſmael Bullialdus et Ioannes Hudſon edidere, ſed more eius ſcribendi

(8) Strabo p. 473. (9) Quem librum geographicum Tamulorum in foliis palmae Indicae cum parte interpretationis, beneficio Rev. Miſſionariorum Trangambarienſium poſſideo.

di Perſica, Νισα-μπυρ, *Niſapur*, de quo more alibi diximus. Igitur Graeci veteres terminatione *pur* omiſſa, *Nyſam* recte dixerunt. Iam cum ab Mero interiori Bactrios petiturus eſſet Dionyſius, petendus erat Indus fluuius, deinde Paronyſus mons traiiciendus. In via erat Saranges fluuius. Arrianus in Indicis: (10) τῷ δ'Ινδῷ ἐς ταυτὸν ἔρχεται Ὑδραώτης, παραλειφὼς τόν τε Ὑφασιν καὶ τὸν Σαράγγην, *Hydraotes Indo miſcetur, poſtquam Hyphaſin accepit et Sarangen.* Si Polyaenus ex genuinis auctoribus hanc Dionyſi expeditionem retulit, ſimul apparet, Bactrios olim Paroniſum quoque et vicina Indi fontibus tenuiſſe. Ceterum Bacchus ex illa gente fuit, quam vetus fama virtutis inſignuiit. Nam Herodotus (1) Ινδοὶ δὶ Βακτρίοισι παραπλησίον ἔχουσι δίαιταν, μαχιμώτατοί εἰσιν Ινδῶν, *Indi, qui Bactriis vicini, ſunt bellicoſiſſimi.*

II. Diodorus Siculus (2) Oſymanduae Aegyptii expeditionem Bactrianam commemorat. Enimvero res plena eſt nebulis, quam tractare non audeo. Quid de Nino rege dicemus, quem ille Siculus (3) tradit, aduerſus Oxyartem regem Bactrianum duxiſſe? Aequior animo iſta cognoſcerem, niſi de Menone et Semiramidis Ninique amoribus admiſtum eſſet. Sunt tamen, qui vt ſeria in re Oxyarten interpretantur Zoroaſtrem. Nam hunc quoque exſtant, qui Bactriorum regem nomine citarint. Sed de Zoroaſtre rege fruſtra quaeri arbitror, rei veritate ſic obſcurata, vt nomen longe eſt clariſſimum Zoroaſtres. Philoſophum Bactrium Darii Hy-

(10) p. 317. ed. Gron. (1) p. 128. ed. Stephani. (2) l. 1. c. 5. conſer Strabonem p. 561. (3) l. 11. p. 74. etc. et p. 79

ſtaspis temporibus fuiſſe, ſcriptores orientales memoriae mandarunt, quos Thomas Hyde in hiſtoria religionis veterum Perſarum diligentiſſime conquiſiuit. His autem ſcriptoribus neque quemadmodum refragari hoc in loco, neque vti fidem addicere meam poſſim, reperio. Nam iſti quidem quae neque ſunt, neque fuerunt vmquam, tamen ſciunt: ita fit, vt eorum leuitas infinitis in rebus teſtata, vbique Epicharmi cantilenae nos admoneat. Diodorus iterum nobis aurem vellicat, vbi res Semiramidis deſcribit, vbi deinde Arbacis Medi a Sardanapalo defectionem Bactriorum viribus ſuffultam fuiſſe refert. Ego autem ad haſce res et ad Cteſiae Cnidii priſca illa penitus obdurui. Sub Perſis denique rerum dominis, de Bactriano populo aliqua cum adſenſu proferre poſſumus: plura ſub Macedonibus, quamuis ne iſta quidem difficultatibus deſtituantur.

III. Sed nos initio, de regionis ſitu et de populo dicemus, deinde perſequemur cetera. Plerique veterum Bactriam dici prodiderunt a Bactris vrbe, in quibus Ammianus Marcellinus fuit: (4) vrbem vero a Bactro fluuio, qui moenia ſtringat: ſic Ariſtoteles, (5) Lucanus, Q. Curtius, Iſidorus Hiſpalenſis. At nihil poteſt eſſe veroſimilius, quam Graecos nomen a Perſis accepiſſe, quibus باختر *Bachter*, *oriens* vocabatur, vnde Trogus Pompeius Bactrum *orientis fluuium* merito dixit. Ita ante nos Thomam Hyden, neſcio quo in loco ſenſiſſe, memoria teneo. Nimirum extremam ſub oriente regni ſui prouinciam ſic commode appellarunt Perſae. Nunc vulgo باختر *Bachter*, teſte Mesgnino Meninskio, *occidentem* di-

(4) p. 292. ed. Gron. (5) In meteorologicis l. 1. c. 13.

dicunt: ſed de hac ſignificatione coniecturam noſtram alibi commodius proferemus. Regionem Bactrianam hoc difficilius eſt deſcribere, quanto Macedonum in ea imperium latius patuit, vbi ſcriptores non ſatis cauti, ſubiectas regiones modo Bactriis accenſent, modo Sogdianis. Qua in re etiam Claudium Ptolemaeum offendiſſe reperio. Auſcultemus tamen primo omnium Ptolemaeo, quocum Agathemerus concordat. Fines Bactrianae ad meridiem ſunt montes Indici et ille praeſertim, quem *Paroniſum* Graeci vocarunt. Claudio Ptolemaeo et Agathemero eſt Παροπάνισος, Arriano in Indicis Παραπομισὸς, Dionyſio Periegetae Πάρνησσος et Παρπάνισος. Euſtathius Theſſalonicenſis in multis codicibus Παρπάμισσον et Παρνισὸν reperiri teſtatur. (6) Non quadrant haec in Periegetae illa loca, igitur Stephani Byzantii codices ſub oculis habuiſſe videtur: illo enim auctore et Strabone in parecbolis tum Homericis tum Dionyſianis perpetuo vſus eſt. Nunc in Stephano legitur Παροπάμισσος. Ita in Plinio quoque et Pomponio Mela. In tabula Peutingeriana *Daropaniſos*: vbi Marco Velſcro potius errorem attribuerim, qui in ſcriptura Langobardica labi facile potuit, cum *Paropaniſos* eſſet. Iam gens ipſa in his montibus Claudio Ptolemaeo Παροπανισάδαι. Ita Marciano Heracleotae, in MS. vno et Ammiano Marcellino in regio codice: nam aliis in codicibus illorum auctorum ſunt Παροπαμισάδαι, vt Strabo habet, etiam apud Euſtathium, quamquam Χρησομάθειαι ἐκ τῶν Στράβωνος γεωγραφικῶν, Παροπανισάδας ediderunt: (7) Arriano et Q. Curtio Παρα-

πα-

(6) Ad Dionyſii periegeſin v. 737. et 1097. (7) p. 147.

παμισάδαι. Corruptiſſime in Honorii excerptis, (8) *Paropanneſes gens*: in Aethici geographia (9) *Paroparſoſianos*, in Anonymo Rauennate (10) *Parapamſidon*, pro Παραπαμισάδων. Nimirum montes Indici latiſſime patent, a Perſiae finibus ſupra Indum et Gangem multiplicibus anfractibus ſibi ſuccedentes in extremum vsque orientem. Iam Strabo teſtatur, (1) aliis alibi nominibus montes illos dici, aut *Parapamiſum*, aut *Emodum* aut *Emaum* vel *Imaum*, vt eſt apud ceteros. Macedones *Caucaſum* vocarunt hosce montes, vt a veteribus quoque obſeruatum fuit, per errorem: at Philoſtratus, quantum potuit, in Apollonii Tyanenſis vita hoc nomen in ore tulit. Nimirum audiebant Macedones, Indis montem quemcumque vocari *khoo*. Ita hodie quoque appellant vnum ex montibus कु: काफेर *khoo kafèr*, *montem kaſer*, ſeu *montem hominum perniciem*, quia niuibus oppletus, ſaepenumero homines praecipiti mole earum opprimit: nam et hoc imperitum eſt in Philoſtrato, (2) quod in Caucaſo Indico niuem eſſe negat. Perſis diceretur ille mons كوه كافر *kuh* ſeu *koh kafir*, *mons infidelis*, *impius*. Nam et Perſis كوه *koh*, *mons* dicitur. Iam illi Macedones, qui Caucaſum tragoediis ſuis illuſtrem, geographiae videlicet ignariſſimi, in oriente quaerebant, cum montes audirent *khoo* obſcuro ſono vocitari, nihil aliud vna ex ſyllaba iudicabant, quam, quod quaeſiuerant, ſese reperiſſe. Alii ex Macedonibus veriora nomina cognouere, Imai, Meri, Nyſae. In

(8) p. 17 (9) p. 33. ed. Gron. (10) p, 44. ed. Porch. Ita quoque Iac. Gronouius edidit. (1) p. 474 ed. Caſaub. (2) p. 69.

In *Trigala-ſakkaram* (3) Tamulicae aſtronomiae et cosmographiae libro, montium nomina exſtant, *Meru*, *Imavan*, *Kenda*, alia deinceps, pleraque tamen Indiae meridionalis. *Puwana-ſakkaram*, ſeu Geographia Tamulica, *Imeia* montem ad orientem Meri collocat. In illo et *Malei-araſſen* montium rex et Gangis fontes. Reuerendi Miſſionarii Danici in epiſtola ad me annotarunt, Indos in Kirendum, (lingua et ſcriptura Tamulorum, „aliis *Grantham* dicta,) eum montem *Himavat-parbadem* dicere, quaſi *rorulentum montem*: *himam* enim „*rorem congelatum*, qualis plerisque in montibus Indiae „glacies eſt, ſignificat. Tamulos vero *Imeia parubadam*, Imeiam montem, et quaſi honoris cauſſa, *Imeior* et *Emor* et *Emot-parubadam* vulgari lingua nuncupare. Vnde, Reuerendi viri merito concludunt, Graecos nomen *Emodi* montis duxiſſe, nullum enim alium montem eſſe, in quo Gangis fluuii fontes ſint. Huic igitur Emodo ab auctore *Puwana-ſakkaram* Merus mons ad occidentem ſtatuitur. Non pigebit huius geographi Indi de monte Mero fabulas ex eorundem amiciſſimorum „virorum interpretatione recognoſcere: „*Meru* montis pedem tradit 16000 *joſinei* in circuitu continere: vnum „*joſinei* paullo plus eſt, quam duo miliaria Germanica: „cacumen vero 32000 *joſinei* aſſurgere: eo in monte „mille atque octo *kodumudi* ſeu *colles* eſſe ſitos: in ori„entali regione *Viſchtnu* deum et *Letſchmi* coniugem „eius verſari: in ſeptemtrionali tractu *Bruma* deum cum „coniuge *Sarasbadi*: ad meridiem degere *Tetſchana-*

(3) Quem etiam librum in foliis palmarum Reuerendorum Miſſionariorum Trangambarienſium beneuolentia poſſideo.

„*Murti*, monarcham mundi, in orientalibus *Nandiſu-*
„*rer*, *Siveni* dei atrienſem: circum montem agere *Sit-*
„*ter* et *Kenduruver*, alatos deorum miniſtros, *Munie-*
„*ſurer*, prophetas, *Dewergœl*, deos minorum gentium,
„*Kinærer* et *Tumburu-narader*, cythariſtas et *Attama-*
„*ſitter*, protectores deorum ſatellites. Brahmanes ſupe-

rioris Indiae montem illum vocant मनेरो: पराउ: *Smeru parabud* ſeu *parbud*, vt a Sonhara et Nrhohotam Multanienſibus, meis in hac litteratura magiſtris accepi. Eſt autem *Sméru*, *auri in molem exaggeratus cumulus*. Dicunt quoque मेरो *Mero* centeſimum et nonum ex globulis, ſecundum quos preces fundunt, eſtque hoc nomine inſignitus propter honorem Meri montis. *Parabud* autem ſeu *parbud* nihil aliud ſignificat, quam montem, ſed honorificentiſſima appellatione, (4) cum econtrario *khôo* iſthuc ſit plebeium. Merum igitur ex ſolido auro aſſurgere praedicant: ſolem vtique, cum occidit, ab huius montis auro reſplendeſcere ad ruborem, denique eodem in monte सरग: पोरी *Sârgu puri*, ſanctum purumque beatorum locum eſſe. Graeci veteres huius Meri montis partem occidentalem longe maximam *Nyſae* nomine celebrant. Hunc dico eſſe Παρόνισον, ex quo cetera nomina *Paropaniſi*, *Paro-*

(4) In mappis Delislianis eſt *Mons Purbet ſiue Naugracut*. Scilicet नागरकोट: पराउ: Nagarakut parabud, *Nagara cot mons*; aeque enim haec diuersa eiusdem montis nomina ſunt.

ropamiſae et quaecumque ſunt alia, corrupta fuerunt. Nam vt *khôo*, ita etiam पाहरो *báharo* ſeu *bâhro*, plebeia Indorum lingua *mons* eſt, vnde पहरावित्ते *bahárawitſch*, *vallis*. Nyſae autem montis mentionem iniicit auctor geographiae Indicae *Pûwana-ſákkaram*, in hunc fere modum: „Ab occidente montis *Meru* eſt mons *Adi-niſchâjam*, a quo *Râgu* fluuius dilabi-„ tur, in eo magna eſt tilia *Aræſu*, vnde omnes ad oc-„ cidentem regiones *Aræſæn-tîwu*, *tiliae inſula* dicuntur:„ incolae colore flauo ſunt longamque vitam agunt.„ Igitur ex iſto *bâhro* et hoc *niſchâjam*, ſeu, vt ſuperiores Indi dicunt, *Niſcha* vel *Nisa*, Παρόνισον Graeci effabricarunt.

IV. A ſeptemtrione Bactriorum Ptolemaeus Oxum fluuium ponit. Strabo: (5) ῥεῖν δὲ Οχον οἱ μὲν διὰ τῆς Βακτριανῆς φασιν, οἱ δὲ καὶ παρ' αὐτὴν, *Ochum alii per Bactrianam fluere tradunt, alii in finibus eius.* Ochum dicit Oxum, quem alii diſtinguunt ab altero. Oxus, nunc جيحون *Gjihun*, Bactriis اقصى *Akſai* ſeu اقصا *Akſa* dictus videtur, αὐτὸ τοῦτο, *extemus terminus*. Solini Polyhiſtor: (6) *Oxus amnis oritur de lacu Oxo, cuius oras hinc inde Bateni et Oxiſtae accolunt: ſed praecipuam partem Bactrii tenent.* Oxum lacum, fontium fluminis parentem, nusquam inuenio: fontes in montibus Indicis ſunt. Credo igitur Solinum de

(5) p. 357. (6) c. 49.

lacu *Aral* loqui, in quem Oxus recipitur, de quo vero etiam Polybius inaudiuit, cuius de Oxo terram ſubeunte narratio cum natura ipſa conferri meretur. (7) Idem Oxus, teſte Ptolemaeo, Bactrios ab orientalibus populis diſterminauit. Ab occaſu erat Margiana Perſiae prouincia. Nondum tamen ea ad Hyrcanum mare pertinebat. Ammianus Marcellinus: (8) *Bactrianes pleraeque partes, ita, vt Margiana, procul a litoribus ſunt diſparatae.* Nam Aria intercedebat, vt Strabo teſtatur: (9) τῆς δὲ Βακτρίας μέρη μέν τινα τῇ Αρίᾳ περιβέβληται πρὸς ἄρκτον, τὰ πολλὰ δ' ὑπέρκειται πρὸς ἕω. *Bactriae partes quaedam ab Aria circumiectae ſunt verſus boream, pleraeque autem porriguntur in orientem.* Margiana autem, quemadmodum a vetuſtis ſcriptoribus definitur, nulla poteſt eſſe alia, quam خرسان *Chorasân.* Margus vero fluuius in Oxum ſeſe exonerans, is ipse videtur fuiſſe, qui eodem cum duobus oppidis مرو *Maru* et مرو الرود *Maru-rrud* nomine مروآب *Maruab*, quaſi *Maru aquam* dicas, appellatur. Hunc fluuium Dionyſius Afer inter Bactrianam et Margianam limitem conſtituit. Margiani enim ſunt, quos Mardos dicit, et Μάρδος illius, *Margus* fluuius. (10)

ἄγχι δὲ Μάρδοι,
Υρκάνιοι, Τάπυροί τ', ἐπὶ δέ σφιν ὅλκον ἐλίσσει
Μάργος, Δερκεδίων τε καὶ ἀφνειῶν πόμα Βάκτρων.
Αμφοτέρων γὰρ μέσσος ἐς Υρκανίην ἅλα βάλλει.
Αλλ' ἤτοι Βάκτροι μὲν ἐπ' ἠπείροιο νέμονται,
Χώρην εὐρυτέρην, κνημοῖς ὑπὸ Παρνησσοῖο.

Fe-

(7) Excerpta Polybiana p. 619. ed. Caſaub. (8) l. XXXII. c. 6. p. 292. ed. Gron. (9) p. 355. (10) v. 107.

Feſtus Auienus : (1)

Trux illic arua Caduſus
Dura tenet, Mardi celeres, Hyrcani Apyrique:
Ceſpite vicino Mardus fluit et procul ipſos
Accedit Bactros, attingens denique atroces
Agmine Dercebios, medius diſterminat ambos,
Hyrcanique ſalis tumido conuoluitur aeſtu.
Sed Bactrina ſolo vaſto procul arua recedunt,
Parneſſique iugi tegitur gens rupibus illa.

Quod ſolum Bactrianes vaſtum poeta dicit? nempe regio non ita ampla fuit, vt praeterea ſolititudines contineret immenſas. Sed bene ſatis habet in Dionyſio, qui, dum maxime ſtudet Homericis, ſummi poetae exemplo nonnumquam pulcrum duxit, verbis ampliſſimis omnino dicere nihil. Sed, ſi Ptolemaeum audias, Margus fluuius non ipſe limes et ripa ſtriga Margianae praetenta fuit, ideo fines Bactrianae ne ſic quidem plane ſcimus. Vt autem illum *Maruab*, *Margum* fluuium fuiſſe credam, conuenientia vocum facit, cum praeſertim regionum, vrbium, fluuiorum gentiumque, quae nunc iſtis in terris ſunt, nomina, olim fere ita fuiſſe perſentisco. Ita nunc تخارستان *Tocharestan* ſeu *Tocharorum regio*, vbi priſci Τόχαροι vel Τάχαροι, quamquam amplioribus ſpatiis, iam, Claudii Ptolemaei aeuo, vt nunc, coluere. Ammianus Marcellinus : (2) *Gentes Bactrianis obediunt plures, quas exſuperant Tochari*, vt Valeſius emendauit. Vbi Strabonis Χωρασμιανοὶ ceterorum Χωράσμιοι, ibi quoque خوارزم *Chovareſm*, vbi Σογδιανή, ibi nunc etiam سغد *Sogd.*

(1) v. 710. (2) L. XXIII. c. 6. p. 292.

V. Limites Sogdianae auſtrales ſeptemtrionalesque non poſſunt eſſe obſcuri : Oxo enim et Iaxarte fluuiis continentur. Iaxartes forte جكسر *Iekſr* Perſicum, quod *vno impetu, agmine alueoque fluat*, nunc Perſis سيحون Sihun, forte Plinio (1) quoque *Sihyn*, vbi nunc in exemplaribus eſt *Silyn*. Regio haec ماوراالنهر *Mavarannâhar*, quaſi dicas, *trans fluuium* ſeu Tranſoxianam. Sogdiana nomen traxit a Tempis et flumine et monte سغد *Sogd*, de quibus Iacobus Golius ad Alfraganum (2) diligenter egit. Ceterum Strabo monet, reges (3) Graecos, de quibus poſtea tractabo, etiam Sogdianam tenuiſſe ὑπερκειμένην πρὸς ἕω τῆς Βακτριανῆς, μεταξὺ τοῦ τε Ὄξου ποταμοῦ, ὃς ὁρίζει τήν τε τῶν Βακτρίων καὶ τὴν τῶν Σογδίων, καὶ τοῦ Ιαξάρτου, ὅτος δὲ καὶ τοὺς Σογδίους ὁρίζει καὶ τοὺς Νομάδας, *quae ſuperior iacet ad orientem Bactrianae, inter Oxum fluuium, qui Bactrianam a Sogdiana diſterminat, et Iaxarten, qui Sogdianos et Nomadas diuidit.* Hinc accidit, vt veteres, cum Sogdianam a Bactriana verbo diſtinguunt, re ipsa tamen confundant, veluti vnius regni prouincias. Ab occaſu Sogdianae Ptolemaeus Scythiae partem ponit, Dionyſius vero Periegetes Χωρασμίους *Chorasmios*, quos Ptolemaeus Sogdianae accenſet. Scilicet reperiſſe eum puto, Chorasmiam ſub Bactrianis regibus prouinciam aeque fuiſſe, vt Sogdianam. Ceterum totum tractum Ponti Euxini orientalem Graeci ſcriptores ignorarunt, vt tanto facilius hic labi poſſet Claudius. Neque dubito, Chorasmiam ſemper ſuis limitibus et per *Aral* lacum a Sogdiis diuiſam fuiſſe. Termini Sogdianae ad orientem, fon-

(1) l. VI. c. 16. p. 677. ed. Hard. (2) p. 171. (3) p. 356.

fontes Iaxartis fluuii. Vicini deinde Sacae et denique Seres, de quibus alio loco exquisitius dicam.

VI. Quod autem modo diximus, Sogdianam a plerisque cum Bactriana permisceri, id vrbes indicant Bactrianae, quae nihilo minus apud scriptores in Sogdiana exstant. In primis Ptolemaeo in Bactriana commemoratur Μαράκανδα et duobus vero gradibus meridionalior Bactris. Vide, quam parum Ptolemaicis dimensionibus fidere nos deceat. Quicumque de Alexandri expeditionibus scripserunt, Bactra intra Oxum et Paronisum collocarunt: econtrario Arrianus (4) Maracandam τὰ βασίλεια τῆς Σογδιανῆς trans Oxum posuit, nullo reliquorum repugnante. Strabo (5) Μαράκανδα τῆς Σογδιανῆς, vt. Isaacus Casaubonus ex MSS. emendauit, cum esset Παράκανδα. Quis dubitet, esse سمرقند *Samarkand*, Chrysococcae Σαμαρχάντ, Indis समरकंद *Samarcánde*. Eam vero vrbem tam Persae, quam Arabes adhuc مرقند *Maracand* appellant. Et Ismael Abulfeda ad Samarcandam Ptolemaeum testem citat, vtpote qui ante nos id ipsum animaduertit. Possis existimare, ex vero vrbis situ reliquarum pro portione interualla statui oportere: at ne isthuc quidem in Ptolemaeo tutum est, quando et numeri sunt deprauati et ex periodis viarum diaetarumque rationes ad stadia, inde ad gradus relatae, multiplicium errorum foetae fuerunt. Ne nunc quidem ex Abulfeda aut Nassireddino aliquid certius definiri potest. Ptolemaeus in tabula insignium vrbium, has in Bactriana insignes recenset:

Χα-

(4) p. 356. (5) p. 356.

	Long.		Latit.	
Χατράκαρτα	110.	0′	44.	10′
Ζάρισπα	113.	0′	43.	45′
Βάκτρα βασίλειον	116.	0′	41.	0′
Μαράκανδα	112.	0′	39.	30.

In editione Bilibaldi Pirckheimeri (6) rariſſima:

	Long.		Latit.	
Charracharta	111.	0′	44.	10′
Zarispa	115.	0′	44.	0′
Bactra regia	116.	0′	41.	0′
Maracanda	112.	0′	30.	15.

Vilelmus Schickardus (7) quod Ptolemaei dimenſionibus plus aequo fideret, Bactra credidit Bocharam vrbem eſſe. In eadem opinione Iſmaelem Abulfedam fuiſſe reperio: nam ad Bocharam Ptolemaei dimenſiones ponit, plane quidem abhorrentes a Graecis exemplaribus, tamen vt non appareat, eum aliam vrbem in animo habuiſſe, quam Bactra. Schickardum Iacobus Golius (8) confutauit, cum obſeruaſſet, vetera Bactra ad auſtrum Oxi, Bucharam vero trans Oxum conſtitui. Nihil reliquum eſt, quam vt de communi ſententia *Bactra* dica-

(6) Norimbergae 1524. fol. (7) In Tarich p. 179. (8) Ad Alfragan. p. 175. 177.

camus esse بلخ *Balch* et *Bactrum* fluuium, qui nunc دهاش *Dehaſch*, quatuor ab vrbe parasangis planitiem ex montibus ingressus, per suburbia Balchi Oxum petit, duodecim ab vrbe parasangis dissitum. Plane ita Iacobus Golius censuit, (9) quem excellenti virum doctrina lubenter sequor. Persae vrbem *Balch*, *ab ilicibus*, quae isthic copiosae sunt, dixerunt, quod Thomam Hyden aliquo in loco monuisse recordamur: sed iidem Persae plerumque cum adiecto باخر بلخ *Balch Bachára* efferunt, atque sic quoque Indi बलखे बुखारा *Balk Bukâra*. Non credo, *Balch Bucharorum*, sed *Balchum Bactrianum*, Persica voce باختر *Bachter* eum in modum deprauata.

VII. Haec Bactra veterum quidam cum *Zariaspa* confundunt. Eratosthenes apud Strabonem: (10) Βάκτρα πόλις ἡ καὶ Ζαριάσπα καλεῖται. Plinius: (1) *Bactra oppidum, quod appellant Zariaspa.* Et paullo post: *Bactri, quorum oppidum Zariaspe.* Ζαρίασπα etiam Characi Pergameno apud Stephanum Byzantium. Credo aliquem veterum, qui ita, vt Polybius, scripserit, (2) τὰ Ζαρίασπα τῆς Βακτριανῆς, offensioni fuisse Eratostheni, vt regionem Bactrianam cum Bactris vrbe commiscuerit. Arrianus (3) Ζαρίασπα τὴν μεγίσην πόλιν in occidentali Sogdiana ponit, vt ex itineribus Alexandri M. colligo. Ammianus Marcellinus (4)

(9) l. c. p. 177. (10) p. 354. (1) l. c. (2) p. 865. ed. Gronouii. (3) p. 151. 159. ed. Gron. (4) l. XXIII. c. VI. p. 292. ed. Gron.

Zariaspen fluuium cum Artemi conſociari tradit, et in Oxum exonerari. Id nominis Thomas Hyde (5) ex لهراسب *Lohrasb* corruptum fuiſſe credidit: Graecos enim cum Perſicas litteras imperite legerent, ex eo زهراسب *Zarasb* effeciſſe. Lohraspen illum Balchi vrbis conditorem ſtatuunt Perſae. Illum, inquam, fabuloſum Hyſtaspis patrem, Darii auum. Hyſtaspen vero Herodotus prope aequalis et Cteſias Cnidius Herodotomaſtix, principem virum, priuatum tamen fuiſſe tradunt: Hyſtaspen et Lohraspen reges omnis vetuſtas ignorat. Solus Ammianus Marcellinus, (6) *Hyſtaspen Darii patrem regem prudentiſſimum* citat, quem vero et Lactantium et Agathiam Myrinaeum multo antiquiorem Dario et patre eius prodidiſſe, Henricus Valeſius iam annotauit. Attamen, vti nunc, ita Marcellini aeuo Perſae de Darii patre ſenſerunt. Nempe ſcriptores barbari negotium ſibi in Lohraſpe et Hyſtaspe dari exiſtimarunt; vt quae vellent, impune comminiſcerentur, nullius memoria fabulas ſuas refellente: ſunt enim in his prope infinita; et cum Graecis pugnantia monumentis et inter ſe. Quod autem Thomas Hyde, Graecos Perſica litteratura eruditos, Perſicorum librorum ſtudioſos fuiſſe opinatur, id quidem tolerari poteſt: quod idem litteras Perſicas, hac forma, qua facile fallunt, quamue ipſe reſpexit, tam veteres fuiſſe ponit, hoc in eo paſſim ſum miratus. Profecto cum talia coniectaret, animum ad ea non aduertit, quae tam eruditum virum non poterant latere.(*) Vt mea opinio fert, *Zarispa* et *Zariaspa* vrbs eſt هزارسف *Haſaraſph*, vt apud Naſſireddinum et Vlugbegum enuncia-

(5) In hiſtoria religionis veterum Perſarum p. 301. (6) p. 288.
(*) Trecentis fere poſt Muhamedem annis hae litterae ex Cuficis concinnatae ſunt ab *Ebn Mokla* et deinde ab *Ebn Bowab* perfectae.

ciatur, هزاراسب *Haſarasb*, vt apud Iſmaelem Abulfedam et *Hajarasb*, iisdem tamen litteris, vt apud Abulgaſium Bahadur Chanum. Abulgaſius vicinam Turceſtaniae collocare videtur: ceteri in Chowareſmia, et Abulfeda quidem ſex paraſangis ab vrbe Cath.

VIII. Quae autem Ptolemaei Χαρράκαρτα vel *Charracarta* dicemus eſſe? Ammiano Marcellino: (7) *Chatra* et *Charte*. Perſice چرّت *Cherret* vel *charret*, *petroſa regio* et چرّت *Charet*, *vicus vrbis*. Ab alterutro videtur factum Ζαδράκαρτα, quod Arrianus (8) in Hyrcania recenſuit. Niſi خرجرد *Chargjerd* ſit, quae ſub *Herat* vrbe in Choraſana, Balcho occidentalior et auſtralior ab Abulfeda ponitur, poteſt fieri, vt dictum fuerit قره چرّت *karah charret*: forte eadem, quam Q. Curtius (9) *Garabactra* قره باختر *Karah Bachter*, *Nigra Bactra*, nuncupauit. Nimirum nihil certi definire poſſumus. At *Choana* Ptolemaei ſane videtur fuiſſe چغندة *Chogjandah* in Mawarannahra et *Suragana* جرجانیه *Gjorgjania* in Chovàraſmia, quamquam Abulfeda ad اسروشنه *Oſruſchna* in Mawarannahra Ptolemaeum citat teſtem, vbi nullius alterius nomen vrbis, quam *Suraganae* videtur reſpexiſſe. *Aſtacana* Ptolemaei et Ammiani (10) *Aſtacia* eſt اشتیخن *Aſchtichan* in Mawarannahra. *Curiandra* forte کرکانج *Corgangj* et *Cavaris* کشغر *Caſchgar*. In Sogdiana *Cyreſchata* Ptolemaei et Ammian *Crescata*, vt in MSS optimis recte eſt, ſine dubio خرشکت *Charaſchkat* et *Oxiana* اخسیکث *Achſikatſch*, quaſi dicas *Achſi ſedem*. Sed vtramque Ptolemaeus ad

(7) P. 292. (8) p. 138. (9) l. c. (10) p. 292.

Oxum collocauit, contra Abulfeda illam in *Schaſch* regione, hanc in *Fergana*, ergo vtramque vltra Iaxartem. Ad Iaxartem, ſed in Sogdiana, Κύρυ πόλιν illam ponit. (1) Recte Stephanus Byzantius: Κύρυ πόλις, ἡ καὶ Κυρέσχατα καλεῖται. *Drepſa* Ptolemaei videtur Strabonis (2) Δάραψα eſſe. Sed alibi Strabo: (3) Αδραψα πόλις τῆς Βακτριανῆς. Ita apud Ammianum in MS. Colbertino *Areta ipſa*, vbi Iacobus Gronouius edidit *Drepsa*: malim *Adrepsa*: اندراب *Andarab*, ad orientem Balchi. *Phratrua* Ptolemaei forte ex فرير *Farabr* in Chowareſmia corruptum.

IX. Videtis igitur, oppida Bactrianae, Sogdianae et Chorasmiae multimodis inter ſe confuſa fuiſſe, quod, cum a Macedonibus tenerentur, nobile magis et illuſtre eſſet nomen Bactrianum. Et hactenus eo facilior fuit confuſio, quod eiusdem ſtirpis et vnius corporis populus eſſent Bactrii et Sogdiani. Strabo: (4) τὸ μὲν ἓν παλαιὸν ἡ πολὺ διέφερον τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσι τῶν Νομάδων οἵ τε Σογδιανοὶ καὶ οἱ Βακτριανοί, μικρὸν δ' ὅμως ἡμερότεροι ἦν τὰ τῶν Βακτριανῶν. *Olim vita et moribus Sogdiani Bactriique a Nomadibus non multum diſcreparunt: Bactrii tamen nonnihil fuerunt moratiores.* Nomadas dicit gentes, quae ad boream Iaxartis et ad ſeptemtrionem Choraſmiae ad mare vsque Caſpium coluerunt. Iuſtinus (5) Bactrios Scythico inſeruit corpori. *Scythae*, inquit, *Parthos Bactrianosque condiderunt.* Plenius haec ex Trogo Pompeio, vt opinor, Iſidorus Hiſpalenſis: *Bactriani Scythae fuerunt, qui*

(1) L. IV. c. 2. 3. (2) p. 356. (3) p. 498. (4) L. II. c. 1.

qui ſuorum factione a ſedibus ſuis pulſi, iuxta Bactron orientis fluuium conſederunt, ex cuius vocabulo et nomen ſortiti ſunt: Parthi quoque et ipſi a Scythis originem trahunt, fuerunt enim eorum exules. At Parthos cum Armenis neceſſitudine deuinctos fuiſſe, eorum lingua argumento eſt. Eodem argumento colligitur, Bactrios, vt a Parthis toto genere ſtirpis diuerſos, ita neque Scythas fuiſſe. Perſae vtique, qui poſt Parthos regnarunt, eodem cum Bactriis ſermone ſunt vſi, quare Behramgur rex, quem Theodoſio Iuniori Imp. aequalem dant, abrogata زبان پهلوي *dialecto Pehlavi*, tamquam rudiori, linguam دري *Deri* ſeu aulicam, qualis nunc eſt, in ſumma dignitate collocauit. Nam prae illa lingua haec lenis eſt et delicata, quae nihil abrupti patiatur, voces omnes explanate et concinne enuntiet, quod aliter fuit in ceteris Perſarum dialectis. (5) Haec autem lingua *Deri*, quae in regno Perſico lege conſtituta, in aulam, in acta publica priuataque introducta eſt, apud Balchum et Bocharam antiqua fuit et vernacula. Si mihi concedatur, quod ex aequo poſtulo, populorum ingenia in ſermone ſpectari, hoc praeterea ex iis, quae dixi, conſtituo, Bactrios Parthis ceterisque Perſis humanitate praeſtitiſſe. Nam ex hac regione quoque, Perſis ipſis confitentibus, Zoroaſtriana philoſophia dudum profecta eſt, quo etiam ſepulturae illud genus apud Bactrios pertinet, de quo apud Strabonem Oneſicritus. (*) Neque Bactriorum Σαμαναῖοι (6) alii fuiſſe videntur, quam

(5) Videatur Th. Hyde in hiſtoria religionis veterum Perſarum p. 419. (*) p. 356. (6) Clemens Alexandrinus in Stromatis p. 305. Origenes contra Celſum p. 19. ed. Spene Cyrillus contra Iulianum p. 90. ed. Baſil. Conf. Porphyrius de abſtinentia animalium paragr. 117. ed. Cant.

Zoroaſtrianae diſciplinae ſacerdotes, quod quidem ipſa vox indicat. Nam شمن *Schaman*, vt Thomas Hyde nos docuit, *ingemiſcentem* ſignificat et *ſingultantem*, quod Magorum ritus continet, qui, cum ſacra facerent, non concinna voce inſtaurabant, ſed repreſſa, ore obligato. Bardeſanes (7) et Porphyrius, Gymnoſophiſtas Indorum in Brahmanes et Samanaeos diuiſerunt: illorum vero errorem alibi coarguam. Caeſarius Grēgorii Nazianzeni frater Cedreno teſte refert, (*) Bactrianos ſeu Brahmanas neque carnem comedere, neque vinum bibere et ab laſciuia omni flagitioque refugere. In Bactriano autem populo, etiam poſtea, vbi Mahometi dicto audientes fuere, doctrinae ingeniorumque gloria viguit. Propemodum plures eximia laude viri ex his regionibus prodierunt, quam ex Perſia omni et Turcia. Adhuc litterae iſthic magis florent, quam inter reliquos barbaros.

X. Nunc mihi in rebus Bactrianis *aliquanto* magis quam antea inoffenso pede verſari poſſe videor. Ex Herodoto (8) conſtat, Cyrum regem, Croeſo deuicto, reliquias belli contra Ionas in Aſia ſatrapis permiſiſſe, ipſum vertiſſe in Babylonios et Bactrios. Ergo Bactrii aut ſui iuris fuerunt, aut Perſarum, a quibus genus ducebat Cyrus, dominationem contempſerunt prae Medica nobilitate. Cteſias Photii auctor eſt, praelium inter Perſas et Bactrios aequo Marte commiſſum eſſe, poſt id Bactrios voluntaria deditione in Cyri poteſtatem peruenisſe. Si iterum Cteſiae aduertamus, Cyrus morti proximus Ta-

(7) Vide Hieronymum contra Iouinianum l. II. p. 36. ed. Baſil. (*) p. 145. (8) l. I. c. 153.

Tanyoxarcen filium minorem natu, Cambyſis fratrem, δεσπότην Βακτρίων et circumiectarum regionum conſtituit, quém Cambyſes occulta fraude ſuſtulit de medio, magi cuiusdam Sphendadati calumniis permotus. Is igitur Tanyoxarces, Herodoti Smerdes eſt. Interea magus, ſi qua fides Cteſiae eſt, pro Tanyoxarce ſeſe gerens, Bactrianam adminiſtrauit, donec regnum quoque rapuit Perſicum. Dario Hyſtaspis tributum Bactrii pependerunt trecenta et ſexaginta talenta, vt auctor eſt Herodotus. (9) Xerxes rex in exercitu contra Graecos habuit Bactrios, quibus dux datus Hyſtaspes, Darii regis ex Atoſſa Cyri filius. (10) Secundum Hyſtaspen Bactriis praefuit Maſiſtes, Dario item et Atoſſa genitus, quem Xerxes, cum Bactrianum nomen concitaturus videretur, interficiendum curauit. (1) Alter deinde Hyſtaspes Xerxis filius Bactriorum ſatrapa fuit. (2) Huic quid acciderit, non inuenio. Cum autem, vt ex Diodoro Siculo cognouimus, Artaxerxes cunctos ſatrapas, imperio per ſcelus parto ſuſpectos mouit, non potuit pati, vt Hyſtaspes frater bellicoſam gentem et validam teneret. (3) Si quid tribuamus Cteſiae Cnidio, neque enim ille vsquequaque fuit impoſtor, Bactriis deinde praefectus datus eſt Artabanus. Ἀφίϛαται, inquit Cteſias apud Photium, Ἀρταξέρξου Βάκτρα καὶ ὁ σατράπης, ἄλλος Ἀρτάπανος. Huic loco Henricus Stephanus caliginem adfudit, quam Iacobus Gronouius non diſpulit. Sic enim interpretatus eſt: *deſciſcunt ab Artaxerxe Bactra, aliusque item praefectus Arta-*

(9) l. III. c. 92. (10) l. VII. c. 64. (1) Herodotus l. VII. c. 82. et l. IX. c. 112. (2) Diodorus Siculus l. XI. p. 278. ed. Steph. (3) Humphredus Prideaux in V. et N. T. Initio libri quinti, cum has res attingit, quod ſolet accidere nobis hominibus, paſſus eſt. Inuitus dico, ne quem ſummi auctoritas, viri fallat in re pertenui.

Artapanus, veluti ſi is alterius prouinciae, non Bactrianae fuerit ſatrapa. Locus Cteſiae, vt conciſus ſententia, ita planiſſimus eſt, ſi quis animum aduertat. Bactra defeciſſe ſcribit et ſatrapam eorum, alterum Artabanum, non illum, quem ſupra commemorauerat, regiae parricidam domus. Videtur autem Artabanus per occaſionem defectionis Aegyptiorum res nouas fuiſſe molitus. Artaxerxes Bactrios bello petiit: pugnatum eſt aequo Marte, incerto ad victoriam euentu. Praelio iterum inito, ventus, qui Bactriis aduerſus contigerat, arenarum nubem pugnantium in ora tulit, Perſis tempeſtatem a tergo haud aeque grauiter ſentientibus. Sic in ordinem redacti Bactrii.

XI. Bello Macedonico Darius Codomannus re ad Iſſum male geſta, Beſſum Bactriorum ſatrapam, quantis maximis cum copiis poſſet, exciuit. Ad Gaugamala Bactrii in laeuo cornu fortiter ſe geſſerunt. (4) Nota omnia et peruulgata non perſequar: vt Beſſus, Perſis a Macedonibus fuſis fugatisque, labantem regiae domus fortunam proditione et nece Darii praecipitauerit, vt diadema et Artaxerxis appellationem ſumpſerit et contra Alexandrum M. octo millia Bactriani nominis inſtruxerit, vt a ſuis deſertus et dum nouas copias in Sogdiana comparat, coniectus in vincula perfidiae poenas luerit. Alexander Bactriana potitus, Artabazum ſumma nobilitate virum et ſpectata in Darium regem fide, nunc rebus deſperatis ſupplicem prouinciae praefecit. (5) Inde iam Macedones, Oxo traiecto, longius proceſſere ad Iaxartem, vbi Alexan-

(4) Arrianus p. 134. Plutarchus in Alexandro p. 683. 685. Q. Curtius l. IV. c. 6. VII. c. 5. (5) Arrianus p. 146.

ander vrbem condere inſtituit. Haud ita multo poſt barbari flumio vicini, quos Scythas vocat Arrianus, (6) Macedones, qui praeſidio fuerant relicti, comprehenſos interficiunt, ſeque munimentis contra vindictam ſepiunt. Illius defectionis participes fuere Sogdianorum multitudo et Bactriorum nonnulli, quod Alexandrum metuerent, qui conuentu omnium ὑπάρχων, *praeſidum*, ad Zariaspa indicto, ſtatum reipublicae conuellere videbatur. Alexander ſeptem vrbes et in his Cyropolin munitiſſimam vi cepit. Vrbem deinde, quam deſtinauerat, intra viginti dies moenibus perfectis, habitandam Graecis mercenariis dedit, nonnullis etiam Macedonibus, qui militiam ferre non poterant: ex finitimis barbaris voluntarii in coloniam recepti. (7) Ita vix compoſitis in prouincia rebus, Scythae, ita enim ignotos regionum illarum populos Macedones vocitabant, in vlteriore ripa fluminis aduentare nunciantur: contra eos Alexander ducit: flumine traiecto, praelium init cruentum, Scythas fundit fugatque. Interea Spitamenes Macedonica praeſidia inuadit, Marcandam obſidet. Contra eum duces ab Alexandro miſſi. Hoc audito, Spitamenes obſidionem ſoluit et in regiam Sogdianorum ſeſe recepit. Inſequitur Pharnuchus cum ducibus copiisque Macedonicis et Spitamenem Scythicis auxiliis, quae ſubmiſſa erant, fidentem aggreditur. Res a Macedonibus non pro reliqua fortitudine geſta, quod duces barbarum ſibi praepoſitum indignarentur. Eo in ſtatu pauci cladem euaſerunt: Spitamenes a victoria ad Maracandam reuerſus eſt. Soluere tamen obſidionem repentinus Alexandri aduentus coegit. Is, vbi fugientes diu perſecutus, de

(6) p. 151. (7) Arrianus p. 153.

multis conſciis poenas repetiit, ad Zariaspa in hiberna duxit, qua in vrbe et veſtem Perſicam et cidarim ſumpſit et adorari ſe paſſus eſt, multaque alia inſtituit, Macedonibus quidem praegrauia, his autem populis cumprimis grata. Venerunt ad Alexandrum et legati Scytharum, quibuscum pugnatum eſſe diximus, et Pharasmanes Chorasmiorum rex cum mille quingentis equitibus. Itaque cum Alexander expeditionem Indicam animo agitaret, Artabazum Perſam, ſatrapam Bactriorum conſtituit, alios aliis ſatrapiis praeficit: quamquam locus hic Arriani, (8) vnde narrationem duximus, non ita eſt lucidus, vt non contra Iacobum Gronouium cum aliis poſſimus ea in ſententia verſari, Artabazo ceteros ſatrapas ſubiectos fuiſſe. Erat autem hic Artabazus et praecipua nobilitate et fide in Darium regem illuſtris. (9) Cum Sogdianorum plerique ſatrapis nouis repugnantes, ſuas ſe in arces abderent, Alexander Polyſperchonte, Attalo, Gorgia, et Meleagro apud Bactrios relictis, ab Oxo Maracandam petit, vrbes Sogdianas recuperat. Interim Spitamenes, qui ad Scythas confugerat, cum auxiliis eorum regreſſus, arcem quandam Bactrianam primo impetu occupat, ad Zariaspa praedas agit. Ea ex vrbe Macedonum parua manus eruptione facta, fortiter pugnando circumuenta deletaque eſt. Quo accepto, Craterus Spitamenem inſecutus, acri certamine victor diſceſſit. Interea Alexander Artabazum propter ſenectutem a ſatrapatus Bactriani molestiis abſoluit: Amyntam Nicolai filium eius in locum ſufficit (10) Coenumque cum ſuis et Meleagri copiis equi-

(8) p. 172. 173. (9) ib. p. 139. (10) ib. p. 175.

equitibusque quadringentis et omnibus iaculatoribus equeſtribus relinquit, vt regioni eſſent praeſidio. Ita Amyntas ſatrapa cum Bactrianis Sogdianisue Coeno duci parere iuſſus. Turbabat prouinciam, vt antea, Spitamenes: eum praelio magno vincit Coenus: Sogdiani Bactriique, qui cum ipſo fuerant, in fidem recepti. Qui cum Spitamene in deſerta ſe abſtruſerant Scythae et Maſſagetae, tot diſcriminum pertaeſi, ducem ſuum capiunt, obtruncantque: caput ad Alexandrum mittunt. Hibernis ad Nautaca actis Alexander primo vere, rupem inexpugnabilem, vt videbatur, in quam Sogdianorum multi confugerant et in his Oxyartis Bactrii, qui defecerat, vxor et filiae, inuaſit. Difficilis expugnatio fuit: obſeſſi ad deditionem arte compulſi ſunt. Ibi tum Roxane Oxyartis filia excellenti pulchritudine Alexandrum perculit, ductaque eſt in matrimonium. Venit igitur ad regem etiam Oxyartes, quem Porphyrius Bactriorum regem fuiſſe perperam praedicat, magnoque in honore haberi coepit. (1) Occupata deinde alia rupe, in hyberna ad Bactra vrbem diſceſſum eſt. Primo vere expeditio Indica ſuſcepta. Amyntas apud Bactrios relictus cum equitum tribus millibus, peditum decem. (2)

XII. Cum ex Perſia Bactrios peteret Alexander, ad Paroniſum montem Alexandriam vrbem condidit, (3) Prŏexen Perſam, regionis ad Indum vergentis et a ſe captae ſatrapam reliquit et Niloxenum Satyri filium, inſpectorem.

D 2

(1) Arrianus p. 180. (2) ib. p. 182. (3) ib. p. 145.

ctorem. Nunc vbi in Indiam verteret, vrbe nouа receptus, praeſidem, quod officio ſuo non eſſet functus, amouit, plurimisque ex Macedonibus exacta militia aut debili corpore in vrbe collocatis, (4) Nicanorem ex amicis vnum, praefectum dedit: Tyriaspen totius regionis Paroniſadarum ad Cophenem vsque amnem ſatrapam conſtituit. Non excedemus ſtadio noſtro et res ab Alexandro in India geſtas recenſebimus: tantummodo de Taxilis et Pori regum ditionibus quaedam monebo. Satis apparet ex Arriano, (5) qui Ariſtobulum et Ptolemaeum Lagi maxime ſecutus eſt, Taxilis regionem ad occidentem Indi fluminis fuiſſe, vbi nunc eſt काबेल *Kabel.* Pori regiones intra fluuios maiores, qui ex montibus Indicis delapſi, पंजनाद *Pangienand*, *Quinque fluuii* dicuntur, vti terrae inter eos fluuios iacenti nomen eſt पंजाब *Pangiab.*

Sunt autem nunc haec eorum nomina चेनाब *Dgienab* iuxta Multanum, वेहा *Weha*, रावी *Rawi*, prope *Labor*, quam *Loohor* pronunciant Indi, घारा *Ghara* contracte pro *Kabarab*, *aqua turbida*, vbi *Phat-*

(4) ib. p. 182. (5) p. 183.

Phattiabur et *Dunniabur* vrbes sunt, denique ਤਾਖ਼ੀ: *Sindo* seu *Sind* ad vrbem *Deram*. Hoc *Sind* verum deinde nomen celebratissimi fluminis est: *Indum* enim fluuium Indi ipsi ignorant. Quare Arrianus in periplo maris Erythraei recte Σινθον dixit, et Cosmas Aegyptius (*) curatius: ἡ Σινδȣ̃ δέ ἐςιν ἀρχὴ τῆς Ινδικῆς. Cum enim Graeci iam ante Alexandrum a Persis audissent, nomen gentis ਨਾਖ਼ੀ: *Hindu* seu *Hind*, *Indus*, et ਨਾਖ਼ੀ: *Hindi* πληθυντικῶς, ideo et fluuio hoc nominis esse existimarunt. Persae quoque et Arabes fluuium recte appellant, vt Gregorius Malatiensis (6) نهر السند *fluuium Sind*, non *fluuium Sendiae*, vt Eduardus Pocokius conuertit. Et cum de India loquuntur, plerumque coniungunt سند وهند *Sind et Hind*: nimirum quod etiam Indi regionem flumini vicinam eodem nomine *Sindo* seu *Sind* vocant, in qua gens fortissima ਬੋਲੋਚ: *Blootsch* degit, socia Imperatoris Indorum et tributaria, ceterum fere sui iuris. Scriptores Arabes regionem Pori *Belhera* et *Belur* vocant. Eledrisus Geographiae Nubiensis auctor: فاما مدينت نهروارة فملكها ملك عظيم يسمي بلهرا *Vrbs Naruarah et eius rex magnus vocatur Belhera*. Muhamed ben Iacob Phiruzabadius: بلور عظيم من ملوك الهند *Belur maximus*

(*) p. 337. (6) In historia Dynastiarum p. 448.

mus regum Indiae. Abulfeda in Chorasmiae descriptione ويلي بلاد خان بالق من الجنوب جبال بلهر (7) ملك ملوك الهند *Terram Chanbalek ab austro attingunt montes Belhar, qui est rex regum Indiae.* Anonymi Persae tabulae longitudinum et latitudinum, quae in bibliotheca Regia apud Berolinenses exstant بلور *Belur* ponunt in climate quarto longit. 103. 0′. latit. 36. 0′. Nassireddinus vero et Vlugbegus long. 108. 0′ lat. 35. 5′. qui quidem ab Insulis Fortunatis testantur sese gradus numerare. Nescio an ita sit vetus nomen, vt de eo inaudiuerit Philostratus, apud quem sunt Βάλαρα.. (8) Ceterum Indi ad hunc diem Alexandri memoriam recolunt, nomine शां:शांकधुर:पातम: *Scha Schkandur Padascha*, eumque Indo secundo in oceanum deuectum fuisse narrant. Addunt, eum duodecim annos nauigasse in oceano et fontem aquae, vnde immortalitatem hauriret, quaesisse. Ita ex ore Sonhhara Multaniensis excepi.

XIII. Redeamus ad Bactrios. Dum in India res gerit Alexander, Macedones, qui Garabactra deducti fuerant, barbaris in societatem consiliorum receptis, tumultus serebant, vt res defectionem spectaret. *Garabactra* dixi supra قره باختر *Karah Bachter* videri. Athenodorum quendam ducem factionis suae sequebantur Macedones, tanta virum seu virtute seu fortunae fiducia, vt regis titulum sumeret. Bicon vero Athenodorum apud Bo-

(7) p. 80. ed. Hudson. (8) p. 138.

Boxum Macerianum comiter inuitatum inter epulas obtruncauit. *Bicon*, vt mihi videtur, non aliquis eo nomine Bactrius, ſed dignitatis vocabulum بك *Beg*, praefectus regionis cuiusdam Bactriorum. Arrianus complures ὑπάρχους τῆς χώρας ſeu *Begos* ſub vno ſatrapa, ſeu ستراب *Strab* et اولو بك *Vlu beg*, *ſupremo bego* fuiſſe indicat. Ita quoque *Boxus* ille *Macerianus* پشا *Paſcha* ſeu militiae dux fuiſſe videtur. Agatharchides Cnidius (9) quoque Perſam quendam Βόξον commemorat, *qui* exul patriae Athenis egerit: credo etiam iſthuc non hominis nomen fuiſſe, ſed dignitatis. Bicon igitur iſtum in modum Athenodoro ſublato, in concionem vocat tam Macedonas, quam barbaros: rationem vltro reddit, inſidias ab Athenodoro ſibi ſtructas in auctorem vertiſſe criminans. At Macedones regis ſui commilitonisque caede irritati, arma capiunt. Et edidiſſent horribilem ſtragem, niſi duces monendo orandoque praeferoces animos mitigaſſent. Hos vitae ſuae et incolumitatis auctores de medio tollendos iudicauit Bicon, vt regnum ad ſe ſolidum traheret. Deprehenſus eo in conſilio captusque eſt cum Boxo. Boxum duces impotentis animi illico trucidant: Biconi etiam tormenta erant admouenda, vt mori ſe ſentiret parricida, cum forte militari tumultu perterriti carnifices diſcedunt. Is, ſicut erat nudatus, ad militum fidem confugit, miſerabilique ſpecie mouit, vt incolumis dimitteretur. (10). Ita res in Bactriis conquieuerunt.

XIV.

(9) p. 3. ed. Hudſ. (10) Q. Curtius l. IX. IX. c. 7.

XIV. Defuncto Alexandro, in concilio Macedonum tandem conuenit, vt Arrhidaeus Philippus regnaret, Perdiccas regni procurator esset, prouinciae inter duces diuiderentur. His, qui Indis Bactriisque et Sogdianis dati erant praesides, satrapiae ius, quibus quisque finibus tenebat, relictum. Paroniso monti et Indiae vicini populi Oxyarti, quem Tyriaspi successorem dederat Alexander, (1) confirmati sunt. Indiae intra Hydaspen fluuium et Indum, Porus rex praeerat: reliquam Indiam Macedonicae ditionis Taxiles tenebat: Pithon Agenoris filius proxima Indiae. (2) In diuisione prouinciarum ad Triparadisum Philippo Parthyaea data, Aria et Drangiana Stasandro, Bactriana et Sogdiana Stasanori Solensi, Arachosia Sibyrtio, Paronisadae Oxyartae relicti: his finitima India Pythoni data: Poro et Taxili, quae tenebant, seruata. (3)

XV. Post vbi Macedonum inter se discordia immensi res imperii iactari coeperunt, Sandracotta Indus caput extulit. In quibusdam codicibus est Ανδρόκοτος, vt apud Appianum Alexandrinum: et apud Plutarchum Ανδρόκοττος, apud Arrianum in MSS. (4) Σανδράκοττον et Σανδροκότταν Iacobus Gronouius reperit, apud Athenaeum ex Phylarcho est Σανδρόκοττος. R. Christophorus Theodosius Vualther, Missionarius dexterrimus in epistola ad me: (5) Sandrocotti *regis nomen idem est, quod Ierachus* 1. *Chron. I.* 20. *seu* Iarcha *c.* II. 34. *Arabum*

(1) Arrianus p. 253. (2) Dexippus apud Photium p. 116. ed. Hoeschi (3) Arrianus apud Photium p. 127. (4) De expeditione Alexandri p. 803. in Indicis p. 318. (5) Trangambaria 1732. Kal. Dec.

bam ابن هلال *Ibn Hilal*, Αλιλαῖος *filius Lunae*, *apud Boch. . un in Phaleg. Tamulice*, *luna*, Sandiren *audit*, *Graecdice* Sandraha, *vnde nomen regis Indici*, *vt exiſtimabatur*: *quid autem proprie ſibi velit nominis alterum dimidium* cottus, *Brahmanes noſtri ignorant*. Brahmanes borcales circa Multanum, *lunam* vocant चान्द्रमा: *Tſcha-nderma*, ſeu *Tſchandermaa*. In qua voce, *Tſchander* cum *Sandiren* et *Sandraha* conuenit: nam *maa* videtur Perſicum ماه *mah* eſſe, quemadmodum in vicina Perſis India multa eiusmodi adſcititia vocabula Perſica exſtant. Deinde कोट *koot*, *caſtellum*, *arcem* ſignificat, vt कालाकोट *kaalakoot*, *nigra arx*: nam Thomas Hyde hoc arcis nomen nequidquam tentat ex Perſico explicare. Igitur चान्द्रकोट *Tſchandracoot*, *Sandracottus*, *lunae caſtellum*. Similiter Σισίκοττος apud Arrianum, (6) incomperta adhuc nobis primae vocis ſignificatione. Plutarchus (7) teſtatur, Sandracottam μειράκιον ὄντα, puerum admodum cum Alexandro M. fuiſſe: puta eum dicere adoleſcentem annorum admodum duodeuiginti. Et Iuſtinus vero narrat, (8) humili genere natum, cum Alexandrum procacitate offendiſſet, interfici a rege iuſſum, ſalutem pedum pernicitate quaeſiuiſſe: ex qua fatigatione, cum humi procumbens ſomno caperetur

(6) p. 194 (7) in Alexandro p. 700. (8) l. XV. c. 4.

tur, leonem ingentis magnitudinis ad dormientem accessisse, sudoremque ei lingua sua detersisse: hoc prodigio ad spem regni excitum, contractis latronibus, Indos ad res nouandas sollicitasse: molienti deinde bellum contra praefectos Alexandri, elephantum ferum inusitatae magnitudinis, vltro sese obtulisse et veluti domitum mansuetudine, eum tergo excepisse. *Dux belli*, inquit Iustinus, *et praeliator insignis fuit: sic acquisito regno Sandrocottus ea tempestate, qua Seleucus futurae magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat.* Item de eodem Iustinus, ex quo sua hausit Paullus Orosius: *India post mortem Alexandri, veluti a ceruicibus iugo seruitutis excusso, praefectos eius occiderat: auctor libertatis Sandrocottus fuerat: sed titulum libertatis post victoriam in seruitutem verterat, siquidem, occupato regno, populum, quem ab externa dominatione vindicauerat, ipse seruitio premebat.* Iustino hic vtimur auctore, non vt bono, sed vt in ceterorum inopia testium: necessario. Humilitas generis mihi in Sandrocotta suspecta est, vt illa quoque sollicitata totius Indiae defectio, denique pro libertate ostentata turpis seruitus. Porus sane etiam postea fidus mansit Macedonibus, et, quamquam Megasthenes, (9) cum sub Seleuco rege iam confirmato Asiae viribus apud Sibyrtium Arachosiae satrapam ageret, hunc Sandracottam, ad quem frequenter commeauit, (10) μέγιστον βασιλέα τῶν Ἰνδῶν appellauit, tamen Porum eo potentiorem scribit fuisse. Ergo saltem Porus regno non fuit exutus. Dein-

(9) In Indius Arriani p. 318. (10) Arrianus ib. p. 318. et in Alexandri expeditione p. 203.

inde quam Indiam ad defectionem ſollicitare potuit? Prouinciae Macedonum Indicae ad Indum prope Taxilis ditiones fuerunt, at Sandracotta, vt ex Plutarcho intelligo, (1) ad Gangem, quo Alexandri arma non peruenerunt, vltraque in Gandaritis Praſiisque regnauit. Addit Plutarchus, eum cum ſexcentis armatorum millibus vniuerſum Indiam ſubiugaſſe: ſed quid Poro faciemus, etiam poſtea potentiori Sandrocotta? Itaque ea in opinione verſor, Sandracottam collectis Indis, qui ſub Alexandro militauerant, regem Gangeticarum gentium debellaſſe. Id adeo facile fuit: nam apud eundem Plutarchum Sandracottus fertur dixiſſe ſaepe, Alexandrum, ſi Gangem fuiſſet petiturus, haud dubie futurum ſuperiorem, cum rex Indorum διὰ μοχθηρίαν καὶ ἐυγένειαν, ob ignobilitatem contemptus et propter improbitatem ſuis eſſet inuiſus. Strabo (2) cum in concurſu Gangis et alterius fluuii τὰ Παλίβοθρα ſita eſſe refert, vrbem ingenti magnitudine, quam Πράσιοι teneant, ita deinde ſcribit: τὸν δὲ βασιλεύοντα δεῖ τῆς πόλεως εἶναι Παλίβοθρον καλούμενον, πρὸς τῷ ἰδίῳ τῷ ἐκ γενετῆς ὀνόματι, καθάπερ τὸν Σανδρόκοττον, πρὸς ὃν ἦκεν ὁ Μεγασθένης πεμφθείς. *Regem ea in vrbe oportet eſſe, qui Palibothrus dicatur, praeter nomen, quod a natalibus habet proprium, ſicuti Sandrocottus fuit, ad quem Megaſthenes peruenit legatus.* Id hunc in modum explicat, vt apud Parthos Arſacis nomen cuique regum tribuatur, qui praeterea vel Orodes, vel Phraates, vel aliter ſit appel-

(1) In Alexandro p. 699. et 700 (2) p. 483. Geographo Rauennati p. 42. *Palibotra.*

latus. Haud fere dubito, alteram compoſitae vocis Παλιβοθρος, ſeu Παλι, ſeu Πόλι, regis nomen ſuiſſe, alteram eſſe Brahmanicum पोत्र *potra*, *nepos*. Non igitur a Palibothro ſeu Polibothro vrbe ſunt dicti, ſed a *Palo* aliquo rege, *Pali nepotes*. Vrbem autem illam e contrario पालिपत्रो *Palipatrhur*, *Pali lapidem* nuncupatam ceneo. Huius ſitum vrbis, quam Geographus Rauennas Sericae accenſet, de quo errore alibi dicam, Χρησομαθειαι εκ τῶν Στεφάνωνος (3) quaſi digito nobis demonſtrant: Gangem a montibus auſtrum petere, vbi campeſtrem regionem attigit, diuergere in orientem vsque ad vrbem maximam Παλιβοθρα, inde iam conſtanti curſu meridiem verſus ferri, donec exoneretur in mari Erythraeo. Ceterum Arrianus tradit, (4) Indos a Dionyſo ad Sandracottam numerare 153 reges, annos 6042. Nos, qui ex Graecis aetatem Bacchi ſic ſatis definire poſſumus, hanc illorum infantilem vanitatem vix aequis auribus accipimus. Iam, cum Seleucus iis temporibus, quibus Sandracotta fuit, Babyloniam tenens et Perſiam omnem, Bactrianos autem, qui defecerant, teſte Iuſtino, (5) deuiciſſet, opportunum viſum eſt praepotenti victori, vt Sandracottam in ordinem redigeret. Hic ille ſine dubio tam Pori, quam Taxilis opibus contra aemulum vſus, res maximas geſſit, quae nunc caliginoſa tegunt nocte. Plinius (6) tantummodo magnitudinem iſtarum rerum quaſi dimenſus eſt nobis. Nam poſt-

(3) p. 193. (4) p. 323. (5) l. c. (6) l. VI. c. 17.

quam Hyphaſin Alexandri itinerum terminum fuiſſe dixit, ita fatus eſt: *Reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata ſunt: ad Hypanim CLXVIII millia: Iomanem amnem tantundem: exemplaria aliqua adiiciunt quinque millia paſſuum: inde ad Gangem CXII millia: ad Rhodaphan CXIX millia, alii CCCXXV millia in hoc ſpatio ponunt: ad Calinipaxa oppidum CLXVII alii CCLXV millia: inde ad confluentem Iomanis amnis et Gangis* DCXXV *millia, plerique adiiciunt XIII. millia; ad oppidumque Palibothra CCCCXXV: ad oſtium Gangis* DCXXXVIII. *millia paſſuum.* Videsne quam longinqua fuerit Seleuci militia, Sandrocotta eum per omnem fere Indiam circumducente. Qua fortunae varietate bellatum fuerit, non inuenio, tantummodo, quod Seleucus cum Sandrocotta pacem inierit, id nobis argumento eſt, praeualidas adhuc illius vires fuiſſe. Nam Seleucum, cum illo bello diſtrictus eſſet, Antigoni potentia magis aduertebat, vt pace cum Sandracotta inita, contra illum duceret. Iuſtinus: *Seleucus cum Sandrocotta facta pactione compoſitisque in oriente rebus in bellum Antigoni deſcendit.* Plutarchus teſtatur, (5) Sandracottum illo in foedere pacis quingentos elephantos donoſ dediſſe Seleuco. Sic autem ait: Ανδρόκοττος ὕστερον δ' πολλῷ βασιλεύσας, Σελεύκῳ πεντακοσίους ἐλέφαντας ἐδωρήσατο καὶ στρατῷ μυριάσιν ἑξήκοντα τὴν Ινδικὴν ἐπῆλθεν ἅπασαν καταστρεφόμενος, *Androcottus qui haud multo poſt* (poſt bellum dicit ab Alexandro in India geſtum) *regnauit, Seleuco quingentos elephantas*

(5) In Alexandro p. 699.

dono dedit et cum ſexcentum millium exercitu Indiam obiit, vniuerſamque occupauit. Phylarchus, in libris credo hiſtoriatum, (6) memoriae prodidit: Σανδρόκοττον τὸν Ινδῶν βασιλέα Σελεύκῳ μεθ' ὧν ἔπεμψε δώρων, ἀποσελεῖν τινὰς δυνάμεις συτικάς. κ. τ. λ. *Sandrocottum Indorum regem Seleuco, cum ceteris, quae miſit muneribus, ſimul, ſiue herbas*, (vt Caſaubonus cenſuit) *aptas natas ad incendendam libidinem, ſiue aliquam aliam tali vi medicinam miſiſſe*, nam δυνάμεις συτικὰς vtroque modo explicari poſſunt.

XVI.

Nunc nos primum chronologiae regum Graecorum in Bactriana canonem hic ponemus, qualem diligenti inueſtigatione perfecimus, deinde de origine eius regni fatisque ſub ſingulis regibus dicemus.

Ante C N. a Kal Ian. Iulian.	A. V. C.	Olymp.	A. Seleuc. a Sept.	A. Ep. Bactrian.	
255	499	131 2	58	1	I. THEODOTVS regni Bactriani conditor.
254	500	3	59	2	
253	501	4	60	3	
252	502	132 1	61	4	
251	503	2	62	5	
250	504	3	63	6	Parthorum primi tumultus et prima eorum epocha.

(6) Apud Athenaeum, p. 18.

Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Ep. Bactrian.	
249	505	4	64	7	
248	506	133 1	65	8	
247	507	2	66	9	Altera epocha Parthici regni.
246	508	3	67	10	
245	509	4	68	11	
244	510	134 1	69	12	Arſaces Hyrcaniam occupat. Arſaces contra Theodotum regem bellum parat.
243	511	2	70	13	II. THEODOTVS THEODOTI. F. pacem facit cum Parthis.
242	512	3	71	14	
241	513	4	72	15	Arſaces Seleuco Callinico inuadente fugit. Seleucus Callinitus vincitur.
240	514	135 1	73	16	Tertia epocha Parthici regni.
239	515	2	74	17	Attalus Pergamenus regnare incipit in regni Aſia.
238	516	3	75	18	
237	517	4	76	19	
236	518	136 1	77	20	
235	519	2	78	21	
234	520	3	79	22	
233	521	4	80	23	
232	522	137 1	81	24	
231	523	2	82	25	
230	524	3	83	26	

Ante C N.	A V C	Olymp.	A. Sel.	A. Ep. Bactr.	
229	525	4	84	27	
228	526	138 1	85	28	
227	527	2	86	29	
226	528	3	87	30	
225	529	4	88	31	
224	530	139 1	89	32	
223	531	2	90	33	
222	532	3	91	34	
221	533	4	92	35	
220	534	140 1	93	36	III. EVTHYDEMVS MAGNESIVS regno euertit Theodotum regem
219	535	2	94	37	
218	536	3	95	38	
217	537	4	96	39	
216	538	141 1	97	40	
215	539	2	98	41	
214	540	3	99	42	
213	541	4	100	43	
212	542	142 1	101	44	
211	543	2	102	45	

Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Scl.	A. Ep. Bactrian.	
210	544				
		3	103	46	
209	545				Antiochus Magnus contra Parthos res maximas gessit.
		4	104	47	
208	546				Antiochus M. Euthydemum bello petit.
		143 1	105	48	
207	547				
		2	106	49	
206	548				
		3	107	50	
205	549				Antiochus cum Euthydemo pacem facit.
		4	108	51	
204	550				
		144 1	109	52	
203	551				
		2	110	53	
202	552				
		3	111	54	
201	553				
		4	112	55	
200	554				
		145 1	113	56	
199	555				
		2	114	57	
198	556				
		3	115	58	
197	557				
		4	116	59	
196	558				
		146 1	117	60	
195	559				IV. MENANDER rex Indiae et Bactrianae.
		2	118	61	
194	560				
		3	119	62	
193	561				
		4	120	63	
192	562				
		147 1	121	64	
191	563				
		2	122	65	

Ante C. N.	A. V. C.	Olymp		A. Sel	A Ep. Bactrian.	
190	564					
			3	123	66	
189	565					
			4	124	67	
188	566					
		148	1	125	68	
187	567					
			2	126	69	
186	568					
			3	127	70	
185	569					
			4	128	71	
184	570					
		149	1	129	72	
183	571					
			2	130	73	
182	572					
			3	131	74	
181	573					
			4	132	75	V. EVCRATIDES
180	574					
		150	1	133	76	
179	575					
			2	134	77	
178	576					
			3	135	78	
177	577					
			4	136	79	
176	578					
		151	1	137	80	
175	579					
			2	138	81	
174	580					
			3	139	82	
173	581					
			4	140	83	
172	582					
		152	1	141	84	
171	583					
			2	142	85	

Ante C N.	A V. C	Olymp.	A. Sel.	A. Ep. Bactr.	
170	584				
		3	143	86	
169	585				
		4	144	87	
168	586				
		153 1	145	88	
167	587				
		2	146	89	
166	588				
		3	147	90	
165	589				
		4	148	91	
164	590				
		154 1	149	92	
163	591				
		2	150	93	
162	592				
		3	151	94	
161	593				
		4	152	95	
160	594				
		155 1	153	96	
159	595				
		2	154	97	
158	596				
		3	155	98	
157	597				
		4	156	99	
156	598				
		156 1	157	100	
155	599				
		2	158	101	
154	600				
		3	159	102	
153	601				
		4	160	103	
152	602				Mithridates Parthus Mediam Hyrcaniam et Elymaida occupat.
		157 1	161	104	

Ante C. N.	A. V. C.	Olymp.	A. Sel.	A. Ep. Bactrian.	
151	603				
		2	162	105	
150	604				
		3	163	106	
149	605				
		4	164	107	
148	606				
		158 1	165	108	Eucratidis numus cuſus.
147	607				
		2	166	109	Finis belli Indici
146	608				
		3	167	110	VI. EVCRATIDES EVCRATIDIS F.
145	609				
		4	168	111	
144	610				
		159 1	169	112	
143	611				
		2	170	113	
142	612				
		3	171	114	
141	613				Demetrius Nicator a Parthis
		4	172	115	captus
140	614				
		160 1	173	116	
139	615				
		2	174	117	
138	616				
		3	175	118	
137	617				
		4	176	119	
136	618				
		161 1	177	120	Mithridates M. rex Parthorum videtur obiiſſe.
135	619				
		2	178	121	
134	620				
		3	179	122	

XVII. THEODOTVS regnum Bactrianum inſtituit. Trogi Pompeii prologus primus et quadrageſimus: *Bactrianas res a Diudoto conſtitutas dicit. Diudotus*, Διόδοτος, *Diodotus*, apud Strabonem. Pro Θεὸς quidam δῖος, vt Homerus δῖον ἀντὶ τοῦ Θείου frequenter. Nempe et Δίος κύριον exſtat. (1) Numum aeneum vidi cum virili capite et leniter barbato, vt opinor, Herculis. In auerſa, claua intra lauream, cum titulo ΔΙΟ. ΔΙΟΥ. Δίος Δίου. Sic Θεοκλῆς et Διοκλῆς. Eſt quoque Διόσδοτος apud Heſychium, cuius exemplum nominis in priſcis monumentis nondum obſeruaui. Iuſtino *Theodotus*, vt ille Theodotus Smyrnenſis apud Vitruuium, (*) cuius in fundo creta viridis reperta eſt, quae inde Θεοδότιον appellata. Graecum hominem fuiſſe, non Macedonem tamen genere, vt erant Seleucidae, ex eorum teſtimonio ſcriptorum concludo, qui de his rebus aliquid memoriae prodiderunt. Nam vniuerſi et Graecos appellant hos reges Bactrios et a Macedonibus nominatim diſtinguunt. Vnius Euthydemi regis patriam edunt Magneſiam: de ceteris nihil inuenio, niſi quod ad ſuſpicandum procliuis ſum, ex Graecis in Aſia coloniis etiam ceteros fuiſſe. Hic nobis iam inde a principio Ioannes Vaillantius in Annalibus Arſacidarum ſeſe opponit, qui ante Theodotum, Euthydemum regni auctorem inducit. Teſtem citat Strabonem: is autem ita fatus eſt: (2) Νεωτεριζθέντων δὲ τῶν ἔξω τοῦ Τάυρου διὰ τὸ πρὸς ἀλλήλοις εἶναι τὰς τῆς Συρίας καὶ

Tabula I. Fig. 2.

(1) Videatur Suidas in Δίος (*) l. VII. c. 7. p. 139. (2) p. 354.

τῆς Μηδείας βασιλέας, τὰς ἔχοντας καὶ ταῦτα, πρῶτον μὲν τὴν Βακτριανὴν ἀπέσησαν οἱ πεπιστευμένοι (καὶ τὴν ἐγγὺς αὐτῆς πᾶσαν οἱ περὶ Εὐθύδημον) ἔπειτα Ἀρσάκης ἀνὴρ Σκύθης τῶν Δάων ἔχων τινὰς Πάρνους, καλουμένους Νομάδας, παροικοῦντας τὸν Ὀχον ἐπῆλθεν ἐπὶ τὴν Παρθυαίαν καὶ ἐκράτησεν αὐτῆς. Si verſionem Guilielmi Xylandri videas, recte ſenſit Valens: *ceterum rebus extra Taurum nouatis, quod Syriae et Mediae reges diſſiderent, quibus iſtae regiones parebant: primum Euthydemus et omnem viciniam ad defectionem pertraxit.* Hoc autem Strabo non dixit. Ita enim ait: *Rebus in Aſia extra Taurum nouatis, quod ſibi inuicem aduerſarentur Syriae Mediaeque reges, qui iſta quoque loca tenebant, primum quidem Bactrianen illi, quorum fidei tradita fuit, ad defectionem inclinarunt, (tum etiam regionem omnem vicinam Euthydemus:) poſtea Arſaces Scytha, qui Dahas quosdam regebat, Parnos inquam, cognomine Nomadas, prope Ochum colentes, Parthiam inuaſit et occupauit.* Nimirum Theodotum dicit illum, qui Bactrianam fidei ſuae commiſſam ad defectionem traxerit: Euthydemum deinde huic regno etiam vicinam Indiam adieciſſe, ὡς ἐν παρενθέσει, monet: Arſacen autem non poſt Euthydemum ſcribit res Parthicas mouiſſe, ſed poſt illum primum defectionis Bactrianae auctorem. Ita omnia alia poſtulant vt plane ſtatuamus: nam Strabo heic obſcurus profecto, vt ſaepe alias, et diuerſas res non definite complexus, alibi nos in viam reducit. Notam temporis vero quam ponit, non in Theodotum, ſed multo poſt in Euthydemum con-

conuenire, infra demonſtrabo. Theodotum mille vrbium praefectum fuiſſe Iuſtinus commemorat. (3) Apollodorus autem in Parthicis, (4) Eucratiden aucto multis bellis imperio tot vrbium poteſtatem habuiſſe, auctor eſt, quod referri credique aequiori animo patiar, quam inde vsque a principio Theodotum a regibus Syriae tot vrbibus praefectum fuiſſe.

XVIII. Poſtquam Theodotus ſe Macedonasque colonos et Graecos in libertatem aſſeruerat, exemplum eius ſecutus eſt Arſaces Parthus. Nam Bactrios ante Parthos caput extuliſſe et Iuſtinus e Trogo Pompeio et Strabo, illo loco, quem modo produxi, teſtantur. Sed Strabo alibi dilucidius: (5) Οἱ δὲ Βακτριανὸν λέγουσιν Ἀρσάκην, φεύγοντα δὲ τὴν αὔξησιν τῶν περὶ Διόδοτον ἀποσῆσαι τὴν Παρθυαίαν, *ſunt, qui memoriae tradant, Arſacen Bactrianum fuiſſe, atque auctae in dies potentiae Diodoti ceſſiſſe et ad defectionem perduxiſſe Parthyaeam.* At Georgius Syncellus (6) Arſacen Bactriis vindicat tamquam ſatrapam, qui cum Teridate fratre ab Artaxerxe Perſarum rege genus duxerit, ἐσατράπευον δὲ Βακτρίων ἐπὶ Ἀγαθοκλέους Μακέδονος ἐπάρχου τῆς Περσικῆς, *ſatrapae Bactriorum fuerunt ſub Agathocle Macedone praeſide Perſiae.* Hoc loco teſtem citat Syncellus Arrianum. Arrianus vero in Parthicis apud Photium (7) τῷ Φριαπίτου ἀπογόνους fuiſſe prodidit. Hoc citius crediderim. Reliqui cum apud Cteſiam (8) legerent, Artaxer-

(3) l. XLI. 4. (4) Apud Strabonem p. 472. (6) p. 284. ed. Paris. Hunc locum Ioſephus Scaliger ex Syncello Excerptis Euſebianis inſeruit p. 68. (7) p. 24. ed. Hoeſch. (8) In fragmentis Perſicis p. 652. ed. Gron.

taxerxem Mnemona primum fuiſſe Arſacen dictum, illius nominis cauſſa iſthuc commenti fuiſſe videntur Arſacis ab Artaxerxe rege genus. Pro ea tamen opinione Ioannes Valens quoque tendit et praeterea auum Darii Hyſtaspis *Arſaa* producit. Sed quid haec ad cauſſam faciant, non inuenio. Neque enim, qui idem in Perſis nomen geſſerunt, idcirco ex vna atque eadem fuerunt domo. Non poterat Arſaces ex Artaxerxis Memnonis poſteritate eſſe, cum Ochus regiam domum internecione deleuerit. (9) Atque vt ille hoc parricidio inſidias occupare ſibi eſt viſus, ita eas Artaxerxes pater aduerſum ſe comparatas, nece Darii, coniugum liberorumque vindicauerat. (10) Quamquam autem Ochus quoque Artaxerxis nomen geſſit, teſte Diodoro Siculo, tamen neque is felicior fuit pater, vt deleta domo regia Codomannus quidam ex praefectura Armeniae a populo ad regnum vocaretur, Ocho defuncto. Si quid regii ſanguinis in Arſace fuit, neceſſe eſt, vt ex filiarum regiarum aliqua genus duxerit, quae in domo nupſerit Parthica et tot inſidiis ſuperſtites reliquerit poſteros. *Phriapitus* autem Arriani et Parthicum nomen fuit et Perſicum. Xenophon (1) *Parapitan* Perſicam mulierem commemorat: atque in Parthicis regibus e ſobole Arſacis eſt *Priapatius* apud Iuſtinum. Cum ἀπογόνως Phriapati Arrianus dicit, ſic ait: Αρσάκης καὶ Τεριδάτης ἦσην ἀδελφῶ Αρσακίδαι, τῦ υἱῦ Αρσάκυ, τῦ Φριαπίτυ ἀπόγονοι. Vaillantius emendat υἱῶ Αρσάκυ: ego vero Ar-

(9) Iuſtinus l. X. c. 3. (10) ib. c. 2. (1) In Hellanicis l. IV. c. 18. p. 202. ed. Oxon.

Αρσακίδας primum inducendum esse arbitror, deinde vt ille fere, υἱὼ τοῦ Αρσάκου. *Arsaces et Teridates erant fratres, filii Arsacis, Phriapiti nepotes.* Caue autem Syncello credas, Bactriorum fuisse satrapam Arsacen, caue item Straboni, ex Bactrio populo genus duxisse. Nam, cum alia clarissime demonstrent, Theodotum Bactriorum praefectum fuisse, tum Parthum fuisse genere Arsacen, et alii scriptores Graeci confirmant et ex Armenis Moses Chorenensis. (2) Quem autem Georgius Syncellus Agathoclen Persiae praesidem dicit, sub quo satrapae Bactriorum fuerint, quemue postea occiderint Arsaces et Teridates? Arrianus, quo haec auctore tradit Georgius, praefectum Parthorum, quem Arsaces occidit, Φερεκλέα vocat. Et Parthos dicere voluisse Georgium, ex loco illo sane apparet, sed *Persarum praefectum* dixit, quod eius aetate hoc nomen esset celebrius, postquam Arsacidarum genere extincto, suam in nationem regium fastigium nomenque imperii postliminio receperant Persae. Iustinus tertium nomen huius praefecti edidit *Andragoram*, qui memoriae error fuit, quod inuenerat, Parthis ab Alexandro M. praefectum datum ex nobilitate Persica Andragoram. (3) Nimis hoc Graece sonat et Arrianus (4) econtrario Αμμυνάπην Παρθυαῖον, aut, vt in quibusdam codicibus est, Αμμινάτην, Parthis atque Hyrcanis praesidem datum scripsit. Quocumque autem ille Parthorum satrapa fuerit nomine, quo occiso, Arsaces Parthos ad libertatem vocauit, non potuit tamen idem satra-

(2) p. 30. seqv. (3) Iustinus L. XII. c. 4. (4) P. 136. ed. Gron.

trapa etiam Bactrios habere dicto audientes, vt Gregorius Syncellus poſtulat. Famam autem de ſatrapia Arſacis et Teridatis Bactriana ortam inde eſſe colligo, quod ἔπαρχοι τῆς Χώρας ſub Theodoto praefecto fuerint: ab eo autem vexatos, cum a Syriae rege deficere nollent, neque poſſent Theodoto reſiſtere, fugiſſe arbitror in Parthiam et per occaſionem iniuriae acceptae, interempto praefecto, patriam in libertatem aſſeruiſſe. Nam ita Strabonis (5) auctores prodidiſſe opinor, qui Arſacen Parnis, Dahici corporis populo rectorem fuiſſe ſcripſerunt. Dahae ad Oxum et Chorasmiis et Bactriis vicini fuerunt, inde ad Caſpium pertinuerunt mare. Itaque in curſu illo victoriarum non poterat eos intactos relinquere Theodotus, qui, ſi a Syriae regibus inuaderetur, in bellicoſiſſimo Dahico nomine, ſeu hoſtes eosdem a tergo haberet, ſeu fidei ſuae deuinctos, quantum momenti eſſet, videbat. Theodotus ſatis iam potens erat in oriente, cum res nouas in Parthia moliretur Arſaces. Hoc igitur mirabile viſum Trogo Pompeio (6) in Arſace, *inter opulentiſſimum mille vrbium Bactrianum imperium, emergere potuiſſe*. Ammianus Marcellinus: (7) *Bactriani, natio antehac bellatrix et potentiſſima Perſisque ſemper infeſta, antequam circumpoſitos populos omnes ad ditionem gentilitatemque traherent nominis ſui, quam rexere veteribus ſeculis etiam Arſaci formidabiles reges*. Videtur ſane ex Trogo haec accepiſſe Ammianus, quae oratorum argute dictis magis ſunt apta, quam rerum geſtarum momenta ſine

(5) p. 354. loco ſupra citato. (6) Apud Iuſtinum l. XLI. 1. (7) l. XXIII. c. 6.

ſine leuitate tamquam in iudicio reſpicientibus. Satis enim videtur occupatus fuiſſe Theodotus cum tuendis iis, quae virtute peperiſſet, tum paullatim augendis, quam vt recenti regno nondum confirmato Arſacen cohiberet, hocque ipſum Arſaces ad audendum aliquid in Parthia, ſpectaſſe videtur. Tum, vt ſupra iam dixi, mille vrbium imperium non ita aequo animo tribuerim huic Theodoto, quando Apollodorus tantumdem adſcripſit Eucratidi, qui multo poſt et ſtabilito iam regno et adaucto, Bactriorum rex fuit.

XIX. Iam cum Bactrii res ſuas ante Parthos ordinarunt, conſtituenda a nobis primum eſt Parthorum epocha. Inſtinus ſcribit: *Parthi defecere primo Punico bello, L. Manlio Vulſone, M. Atilio Regulo Coſſ.* (8) Ioannes Valens (9) locum illum ſtrictim ſecutus eſt et initium epochae Parthicae cum A. V. C. 498. colligauit, quo anno hi fane Coſſ. fuere. Mihi vero Iuſtinus potius videtur ſcripſiſſe, L. Manlio Vulſone, C. Atilio Regulo Coſſ. qui A. V. C. 504 fuerunt, magiſtratum autem, vt Henricus Doduellus ſtatuit iis temporibus fuiſſe, (10) Maio menſe inierunt, Olymp. CXXXII. 2 procedente. Nam τῶν Ολυμπιονίκων Συναγωγὴ a Ioſepho Scaligero edita, poſtquam ad Olymp. CXXXII. 1. annum alia retuliſſet, ſubiungit denique, τότε καὶ Αρσάκης ὁ Πάρθος κατά τινας τῶν Μακεδόνων ἀπέση, *tunc etiam Arſaces Parthus ex quorundam ſententia a Macedonibus de-*

G 2

(8) l. XLI. c. 4. (9) In hiſtoria regum Parthorum p. 4. (10) In veteribus cyclis p. 545. ſeq.

defecit. Scaliger ex deprauato codice Pariſino, quem Iſaacus Caſaubonus cum eo communicauerat, perperam edidit Ἀρβάκης. Alio loco iam oſtendi, me certis induci rationibus vt credam, haec Olympionica primum ab Ariſtotele digeſta fuiſſe, deinde ab Eratoſthene Cyrenaeo aucta continuataque a Phlegonte Tralliano et Iulio Africano, vt eius libelli auctoritas apud me fiat plurimi. De Parthis illa hic auctor ponit poſt Carthaginienſes ad Panormum a L. Caecilio Metello ſuperatos. Superati ſunt, quod ex Polybio conſtat, (1) paullo poſt Maium menſem A. V. C. 504 cum noui Coſſ. nondum profecti eſſent in prouincias. Itaque is auctor plane nobis eosdem reſpicere Coſſ. iubet, quos a Iuſtino edi diximus, tamquam initiis Parthicis aequales. Quod autem ſuperiori Olympiadis anno res illas Olympionicon ſcriptor inſerit, eius videlicet erroris cauſſa deprehenſa tenetur, cum L. Caecilii Metelli victoriam conſulatui illius inſcribi oportere credidit, quod Dionyſium Petauium quoque fefellit, Polybio refragante, quamquam Petauius tamen deinde Euſebium ſecutus, Arſacis defectionem cum A. V. C. 504. vt nos fecimus, deuinxit. Suidas (2) auctorem habuit, Arſacen anno 293 regno fuiſſe potitum. Ab initiis Cyri, ſicuti alibi ea conſtituimus, ad Olymp. CXXXII. 2. anni Iuliani ſunt 310. A Graecis vero initia Cyri poſt Babylonem captam poni Henricus Doduellus obſeruauit, (3) et vt ipſe opinatus eſt, poſt Olympiadem LX. Ita ex eius ſententia inde vsque ad Olymp. CXXXII. 2. anni

(1) p. 41. ed. Caſaubon. (2) In Ἀρσάκης (3) l. c. p. 115.

anni Iuliani expleti fuerunt 286. aut, cum anni Nabonaſſarei ſine dubio hic intelligendi ſint, anni propemodum 288, vt detrahantur de ſumma annorum 293. anni ſex. Sed annus Babylonis captae, omnium rerum a Cyro geſtarum obſcuriſſimus, nulla arte ſic definiri potuit, vt non inſignis metuenda eſſet hallucinatio: deinde non ſatis apparet, alteramne potius Parthorum epocham Suidae auctor reſpexerit, de qua nunc dicturi ſumus.

XX. Nam iisdem in Olympionicis aliam famam ad Olymp. CXXXIII. 1. proditam memoriae inſenio. Πάρθοι κατά τινας, Μακεδόνων ἀπέστησαν, καὶ πρῶτος ἐβασίλευσεν Ἀρσάκης, ὅθεν Ἀρσακίδαι, *Parthi, vt quidam tradunt, a Macedonibus deſciuerunt, primusque in iis regnauit Arſaces, vnde Arſacidae dicti.* Haec Euſebium quoque puto ſcripſiſſe iisdem verbis, non vero illis, quae Scaliger ex Georgio Syncello recepit in Canonem. Recte tamen Ioſephus Scaliger locum hunc ad Olymp. CXXXIII. 1. appoſuit, ad quem annum Euſebius ex auctorum ſuorum ſententia ediderat: orta deinde in Hieronymianis exemplaribus vnius anni confuſio eſt. Etiam Appianus Alexandrinus (4) et Iuſtinus de hac fama inaudiuerunt. Is enim Parthos a Seleuco Callinico defeciſſe ſcripſit, eo quidem tempore, cum contra Ptolemaeum Euergeten bellum gereret: hic autem, iis quidem conſulibus defeciſſe, quos ſupra nominaui, attamen a Seleuci Nicatoris pronepote. Hic vero eſt Seleucus Callinicus, qui anno Olympiadis CXXXIII. 2. regnare coe-

(4) p. 211. ed. Tollii.

coepit. Iuſtinus igitur duos ſcriptores et diuerſos vno tenore ſecutus et res et tempora permiſcuit imprudens. Nam in tantarum molimine rerum anni diuerſi tamquam principes libertatis Parthorum inſigniri potuerunt. Fuerint illa, quae diximus, prima libertatis adſertae initia, hic autem annus inſigni aliquo confirmatae libertatis caſu ad maiorem ſpem excelluit. Sane, initio ſecundi anni Olympiadis CXXXIII. Antiochus Theos ſupremum diem obiit, Seleucus ſucceſſit: et ſolent fere ſcriptores Graeci externas et longinquas res, modo paullo ante, modo poſt annum aliquem, in quo Graecas et Romanas prodiderunt ponere, vt quid quouis loco ſtatui oporteat, coniecturae committendum ſit. Haec apud me ſuſpicionem rerum maiorum, quae obliuione ſepultae ſint, mouerunt. Edam nunc rationes, quae me etiam magis impulerunt eam in ſententiam, Antiochum a Parthis fuiſſe caeſum. Appianus Alexandrinus (5) veneno ſublatum ſcribit a Laodice coniuge. Iuſtinus (6) et Polyaenus (7) mortis genus non attingunt. Plinius (8) *necatum* ſcribit, vt non tantummodo muliebris fraus intelligi queat, ſed etiam hoſtilis clades. Valerius Maximus (9) *Laodice vxor Antiochi, interfecto viro, diſſimulandi ſceleris gratia, in lectulo collocauit Artemonem.* Sed pluribus verbis ordinem inſidiarum omnem expoſuit Hieronymus in Danielem. (10) Sunt autem hac in parte hiſtoriae Syriacae omnia perobſcura et potuit dolus Laodices, quo Antiochi ex Berenice filius circumuentus eſt, aliquam turbandae occaſionem

(5) p. 210. (6) l. XXVII. c. 1. (7) L. VIII. in Laodice. (8) l. VII. c. 12. (9) l. IX. c. 14. (10) ead. cap. XI. v. 6.

nem hiſtoriae praebere. Cognoſce mihi, quae Athenaeus ex Poſidonio Apameenſi adfert. (1) Cum Athenaeus dixiſſet de Antiocho Epiphane, φιλοπότης δ'ἦν, inquit, καὶ ὁ ὁμώνυμος αὐτῷ Ἀντίοχος, *ebrioſus etiam fuit alter eiusdem nominis Antiochus.* Non dicit filium aut ſucceſſorem, vt poſſis intelligere de Eupatore. Tum vero ait: is Antiochus, qui contra Arſacen in Media bellum geſſit et quem interfectum cum ſepulturae commendaret Arſaces, dixit: ἔσφηλέ σε Ἀντιοχε θάρσος καὶ μέθη, *fefellit te Antioche audacia et crapula.* Ioannes Vaillantius haec ad Antiochum Euergeten refert, qui vtique in praelio contra Parthos cecidit et vel Iuſtino teſte, a rege Parthorum ſepulturae honore dignatus eſt. Contra velim vt conſideres, Poſidonium, teſte Athenaeo, de Antiocho Epiphane, libro egiſſe ſexto et viceſimo, haec autem de altero Antiocho apud Athenaeum ex illius decimo et ſexto citari. Tanto interuallo librorum, Antiochi Thei et Epiphanis vitae ſciungi potuerunt, vbi ſatis et rerum et temporis interceſſit, quibus Poſidonius totos decem libros expleret. De Euergete autem, qui poſt Epiphanem fuit, tot libris ante, Poſidonium verba feciſſe, quis credat? Ex eodem ſexto et decimo libro Athenaeus de Seleuco Callinico Thei filio a Parthis capto egit, vt appareat, Poſidonium eodem libro et patris extrema et filii res comprehendiſſe. Habes auctorem cum primis grauem, qui me, in quam opinionem perduxerit, vides. Equidem obſtinate pugnare

(1) Hoc loco Athenaei vſus videtur Aelianus in V. Hiſt. litt. XII. c. 41.

gnare nolim, quando praeſertim Hieronymi auctoritatem reuereor, ſed tolle tu prior mihi hunc ſcrupulum. Vtcumque hoc ſit, in morte Antiochi atque in illa domus eius perturbatione, quando etiam ab Aegypto metuebant Syri, aliquid magnae rei contigiſſe videtur, vt Parthi tamquam noua ea regni ſui principia reputarent.

XXI. Nunc eſt neceſſe, vt initia Bactriani regni ante A. V. C. 504 et ante Olympiadis CXXXII. 2. annum, quae prima Parthici regni initia ſunt, collocemus. Neque excedere poſſumus A. V. C. 493. quoniam intra Antiochi Thei tempora contineri nos oportet, *quem* Hieronymus narrat, *aduerſus Ptolemaeum Philadelphum geſſiſſe bella quam plurima et totis Babylonis atque Orientis viribus dimicauiſſe*, vt initio iſtius belli Bactrios adhuc in poteſtate Antiochi fuiſſe appareat. Neque ita multo ante Arſacis molimina Theodotus videtur defeciſſe, quando res ita narrantur geſtae, vt paullo poſt principium motuum Bactrianorum, Arſacen fugiſſe oportuerit ad Parthos, valido tamen iam Theodoto, ita vt a Dahis ſuſtineri non poſſet. In Parthia vero ad res nouandas tempore opus fuit Arſaci, vt ciuium ſuorum animos ſeruitutis diuturnae memores fiducia ſui impleret. Ponimus inter initia Bactriani regni Parthicique, interuallum quatuor annorum, vt primus annus epochae Bactrianae ab A. V. C. 499. procedat. Altius deinde adſcendere nequeo, propter annum 108. epochae Bactrianae in numo Eucratidis regis notatum, quem res in India geſtae non ſinunt ſupra A. V. C. 606

606 inſeri, vt infra dicam commodius. Hic vnicus numus epocham certam Bactrianam fuiſſe declarat, ab inſigni Graeci regni apud Bactrios exordio. Forma anni in hac epocha ſine dubio fuit eadem, quae in Seleucidaea, ſecundum Metonicas rationes, introducta primum apud Bactrios et Indos a praefectis Seleucidarum. Nam eandem formam Parthi quoque ſeruarunt, quorum in numis etiam menſes ΓΟΡΠΙΑΙΟΣ et ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΣ ſignati ſunt. Sed de Bactriis magis adhuc nos confirmat Vlugbegus et ante eum Naſſireddin Ettuſaeus, quem ille regionum ad Oxum Princeps ſuppilauit. Nam omnium regionum ſupra Indiam rationem tempora computandi recenſentes, Metonicam eam eſſe nobis declarant. Sed de hac re infra dicam, hic paucis monenda iſta duxi, vt iam inde a principio lectores noſtri ſentirent, quemadmodum annos Bactrianae epochae cum annis Seleucidaeis colligari oporteat. Ceterum illud maxime tempus ad defectionem opportunum fuit Theodoto, cum Antiochus Theos bello eſſet diſtrictus cum Ptolemaeo Philadelpho.

XXII. Cum autem res a Theodoto rege bello geſtae, quas fuiſſe oportet maximas, ſub monumentorum ruina ſepultae iacent, liceat nobis ad eundem referre, quae de ſtatu regni Bactriani ordinato Strabo ſcripſit: (1) neque enim video, ad quem alium magis regem pertinere queant. Οἱ δὲ καταχόντες αὐτὴν (τὴν Βακτριανὴν) Ἕλληνες, καὶ εἰς σατραπείας διῃρήκασιν. ὧν τήν τε Ἀσπιώνυ, καὶ τὴν Τυριουαν, ἀφήρηντο Εὐκρατίδην

(1) P. 356.

ἐι Παρθυαῖοι. ἔχον δὲ καὶ τὴν Σογδιανὴν, ὑπερκειμένην πρὸς ἕω τῆς Βακτριανῆς, μεταξὺ τῶ τε Ὀξυ ποταμῶ, ὃ διείζει τήν τε Βακτρίαν καὶ τὴν τῶν Σογδίων καὶ τῶ Ιαξάρτυ: *Graeci, qui Bactrianam occuparunt, eandem quoque in ſatrapias diuiſerunt: ex quibus Aſpionium et Turiuam Parthi Eucratidi ademerunt: tenuerunt etiam Graeci Sogdianam, quae orientem verſus, ſupra Bactrianam eſt ſita, inter Oxum fluuium, qui Bactriorum et Sogdiorum regiones diſterminat et Iaxartem.* Initia regnorum plerumque et augendae magnitudinis et prudenter conſtituendae cogitationibus feruere ſolent. Ea cauſſa haec ad Theodotum applicanda duxi. Immo ex iis, quae Arſaci contigerunt, etiam Choraſmios ceterosque mari Caſpio vicinos populos deuictos a Theodoto fuiſſe concludo. Qui autem poterant Parthi potentiam eius ad poſtremum metuere, ſi ſolius Bactrianae terminis perexiguis vtique, ſine Sogdiana et Choraſmia fuiſſet circumſcriptus? Et longum tempus conſtituendi regni ſui impendiſſe videtur Theodotus, quando non ante, quam extremo vitae tempore, contra Parthos mouere coepit. Sed, quia hae res nobis verum annum declarant, quo anno et hic Theodotus deceſſit et filius regnum adiit, de iis deinceps agemus in Theodoto filio et ſucceſſore.

XXIII. THEODOTVS THEODOTI FIL. patre defuncto, cum Arſace pacem et foedus fecit contra Seleucum Callinicum Antiochi filium. Iuſtinus: (1) *Arſaces Hyrcanorum quoque regnum occupauit, atque ita duarum*

(1) l. XLI, c. 4.

arum ciuitatum imperio praeditus, grandem exercitum parat, metu Seleuci et Theodoti Bactrianorum regis. Sed cita morte Theodoti metu liberatur, cum filio eius et ipso Theodoto foedus ac pacem fecit, nec multo post cum Seleuco rege congressus victor fuit. Magnum in his temporibus momentum, Seleucus a Parthis victus, *quem diem*, inquit Iustinus, (2) *Parthi exinde solemnem, veluti initium libertatis obseruabant.* De die inueniendo desperare nos oportet: mensis fuisse videtur vel Gorpiaeus, vel Hyperberetaeus, hi enim soli signati sunt in numis: ille Sextilis fere Iulianus, hic September. Sed ipso in anno magnae sunt difficultates. Ioannes Valens, dum Iustinum et ceteros inter se componit, neque satis animaduertit, quam confusa in Syriacis Parthicisque apud Iustinum sint omnia, mirum non est, quod a mea sententia, quam propositurus sum, totis annis duodecim discrepet. Sed cum illius historia Arsacidarum post mortem parentis edita est, satis apparet, eam veluti pupillam, nactam praeterea tutores improbos, multo ornatiorem prodituram fuisse, si pater ipse elocasset. Igitur primum ex hariolationibus verum cladis istius annum inuestigabo, deinde caussam agam grauioribus argumentis. Producam orientales scriptores de rebus domesticis testes, non accuratos illos quidem et saepe futiles, tamen non vsquequaque contemnendos, quamuis veritatem grandibus aberrationibus coinquinarint. Emirchondus, inter historicos Persarum longe nobilissimum nomen, quem Petrus Teixeira in epitomen redegit Hispanice, sic scenam instruxit, vt Alexandrum in Persicorum regum nu-

(2) Ibidem.

mero poneret, tum vero interregnum, et ab interregno Saporem regem. *Annis*, inquit Teixeira, (3) *ſeptuaginta duobus exactis in interregno, poſt mortem Alexandri, quo tempore Perſia a praefectis gubernata fuit, factus eſt rex Sapores.* Iacobus Vſſerius Armachanus hunc Saporem putat illum Parthicum Arſacem eſſe. Nihil minus eſt. Eſt enim, vt apparebit, Texeiram legentibus, is Sapores, qui nonus fuit ab Artaxerxe ſeu Artaxare Parthorum victore, annis amplius ſexcentis et triginta a morte Alexandri Macedonis. Quid autem tantum παραχρονισμὸν peperit? Nempe quod poſt LXXII annum ab Alexandro, Perſae maioribus eorum referentibus acceperint, Parthicum regnum ſublatis praefectis Macedonicis, eſſe ortum, eius vero regni memoria, ſiue odio gentis Parthicae, ſiue aliam ob cauſſam praetermiſſa, annum noui regni retinuerint, res denique tot ſeculis poſt geſtas ad illum annum alligarint? Annus LXXII ab Alexandri morte in annum Seleucidacum LX Olympiadis CXXXI. 4 incidit. Verum enim vero, res fere ſine exemplo eſt, vt Scriptores orientales, cum de annis Alexandri loquuntur, eos a morte Alexandri annumerent, etiam cum id ipſum clariſſimis verbis praecipiunt. Alexandrini quidem peculiare aliquid habent: vt auctor Chronici Orientalis, quod olim Abrahamus Ecchellenſis et nuper Ioſephus Simonius Aſſemanus, ornatiſſimus omni laude vir, edidit. Sed haec ratio intra Aegyptum ſeſe continuit: in omni vero Aſia annos Seleucidaeos adhibent, quos tamen ذو القرنين *Du'l kar-*

(3) *D'el origine descendencia y ſucceſſion de los Reyes de Perſia y de Hormuz, en Amberes 1610. p. 116.*

karnain, *Alexandri*, dicunt et a morte eius, non a duodecimo anno poſt, recenſeri exiſtimant. Iam ille LXXII Seleucidarum annus cum Olymp. CXXXIV. 4 exordiebatur, autumno A. V. C. 513. et maiorem partem A. C. 514. continuabatur. Huius anni aeſtatem puto inſignem Parthica epocha, tertia illa quidem, ſed praecipua tamen fuiſſe, quod tempus cum Perſae memoria tenerent, cetera deinde admiſcuerunt perridicule.

XXIV. Sed haec opinio planiſſime confirmari poteſt, ex noſtris ſcriptoribus. Seleucum Callinicum Iuſtinus tradit a Gallis eſſe ſuperatum: hoc tumultu ſedato, mouiſſe in Parthos. Paullo ante Gallicum bellum, vt res iſtas ex ordine hic exponam, Seleucus, cum Ptolemaeo Euergete, ad Antiochiam, extremo praelio commiſſo, victus fugit. Ptolemaeus enim hoc in bello magna cum laude ſeſe geſſit. Polyaenus in ſtratagematis: (4) ἀπὸ Τάυρου μέχρι τῆς Ινδικῆς χωρὶς πολέμου καὶ μάχης ἐκράτησεν, *Ptolemaeus a Tauro vsque in Indiam omnia ſine bello et certamine occupauit.* Nolite interim metuere vel Bactriis vel etiam Parthis: neſcit medius fidius quid dicat Polyaenus. Teſtem appello Theocritum, teſtem deinde inſcriptionem Adulitanam. Et Theocritus et inſigne hoc monumentum illam expeditionem multo arctioribus ſpatiis circumſcripſerunt, quam Tauro atque India. At Seleucus a Ptolemaeo victus, Antiochum Hieracen fratrem ad auxilium ferendum euocat, nouas vires interim ipſe colligit. Ptolemaeus vero belli pertaeſus, pacem cum Seleuco facit

(4) l. c.

in decem annos. Eodem tempore Smyrnaei et Magneſii foedus iniuerunt ad confirmandam Seleuci maieſtatem, ante C. N. 243, vt ex marmore Arundeliano colligitur, in quo formula foederis conſeruata eſt. Colebat enim Seleucus impenſe et ornabat maximis muneribus ciuitates Aſiae, vt vel ex monumento Mileſio apud Edmundum Chiſhullum V. C. apparet. Antiochus Hierax interea fratrem inſidiis opportunum ſentiens, Gallos, qui tum Aſiam infeſtabant, ad conſilia ſua pertraxit. Celebri cum primis praelio ad Ancyram ante C. N. anno 242. a Gallis fuſus fugatusque Seleucus. Contra Eumenes Pergamenus victores adortus Gallos foeda ſtrage mulctauit: anno poſt Attalus Eumenis patruelis Gallos tota Aſia expulit. Inde iam laetae magis res viſae Seleuco regi. Superati erant praelio Galli, reliquias perſequebatur Attalus, homo locuples vt maxime et potens, ſed priuatus, a quo, tamquam fido ſocio, nihil metuendum ſibi duceret Seleucus, ciuitates in Aſia pro rege coniurauerant, Antiochus Hierax, qui ad Ptolemaeum in Aegyptum fugerat, ex foederis formula in vinculis tenebatur, inde etiam cum Ptolemaeo firmior amicitia. Ergo cum Parthi magis quam ceteri metuerentur, Seleucus anno Seleucidarum LXXII qui auctumno anni ante C. N. 241 iniit, inuaſit Parthos. Initio, vt imparatos, perculit. Nam Strabo (5) ſic ait: Ἀρσάκης τὸν Καλλίνικον φεύγων εἰς τὲς Ασπασιάτεας ἐχώρησε. *Arſaces Callinicum fugiens ad Aſpaſiatras ſe recepit.* Iſaacus Caſaubonus MSS citat, vbi Ασπα-

(5) P. 354.

Ασπασιάκαι et Ασπασιάται dicuntur. Sunt igitur Xenophontis (6) Ασπασιακὰ in قبجق دشت *Campeſtri regione Kapgjak*, quae a Tanai ſupra Caucaſum et Caſpium mare protenditur. Nam Strabo vltra Oxum et Maſſagetas, quos Iaxarti ſeptemtrionales edidit, illos populos degiſſe refert. Igitur veroſimile eſt, Arſacen a Seleuco ex inopinato oppreſſum, per Caſpias Portas fugiſſe ad Volgam. Sed Parthi fugiendo pugnabant, et Seleucum, cum longe abeſſe crederentur a tergo laceſſebant. Illa arte, anno ante C. N. 240 cum annus Seleucidarum LXXII adhuc procederet, victus fuit Seleucus, atque inde iam repetenda eſt epocha Parthorum tertia atque praecipua. Iam ſupra Parthicorum numorum mentionem inieci, qui harum, quas hactenus explicui victoriarum aliquam continent, cum temporis nota: modo item liquido appareret, qui ad primum Arſacen, quiue ex iis ad alterum referendi ſint. Ioannes Valens Arſaci primo auctori libertatis Parthicae duos adiucauit, inſcriptos ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ ΑΠΟ ΜΗΝΟΣ ΓΟΡΠΙΑΙΟΥ. In vno eorum Arſaci diademato in throno ſedenti mulier ſtolata, capite turrito et ſiniſtra tenens cornu copiae, palmae ramum porrigit, in altero, Pallas, vt nobiliſſimo antiquario fuit viſum, haſtam tenens puram, lauream capiti Arſacis admouet. Ad Arſacen ſecundum, numum vnum retulit, in quo idem typus, quem in altero ſuperioris numo edidimus, exſtat. Titulus: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ

(*) P. 862. ed. Gron.

ΑΗΝΟΣ ΑΠΟ ΥΠΕΡΒΕΡΕΤΑΙΟΥ. At animus inclinat, vt hunc numum ad Arſacen primum et prima Parthicae libertatis initia applicem, illos autem duos ad Arſacen ſecundum et hanc de Seleuco victoriam. Annus Seleucidarum LXXII. initium coepit anno ante C. N. 241. cum menſe ſuo Hyperberetaeo, qui menſis ab Septembri Iuliano, Gorpiaeus autem menſis iſtius anni Seleucidaei poſtremus, anno ante C. N. 240. cum eodem menſe iniit. Iam non fit veroſimile, Seleucum, qui poſt tantam cladem, ante C. N. anno 242 ne contra Gallos quidem niſi alienis opibus ſe ſuaque defenſare poterat, anno vno poſt tantum apparatum belli habuiſſe, vt Parthos inuadere auderet, quorum tum teſtata atque illuſtris erat virtus. Neque enim aggredi eos, niſi ſub verem potuit, quando non excurſiones animo conceperat, ſed iuſtum bellum ſumma vi gerendum. Itaque in Parthos mouerit anno ante C. N. 240. ſub verem, cum menſis Hyperberetaeus anni LXXII. initio eſſet exactus, et fuſus fuerit menſe Gorpiaeo ſiue, Septembri fere Iuliano.

XXV. Sunt quae nos de tempore confirment. Nam Attalus eiectis Aſia Gallis et Eumene defuncto, regium nomen ſumpſit, quo ante eum Pargameni principes non fuerant vſi, Aſiamque omnem opibus ſuis ſubactam Syriae regno auertit. Auctor eſt Polybius in excerptis Valeſianis: (7) nam Strabo, cum initia Attali regis attingit, breuitate ſua ſubobſcurus fit. (8) Iam neque Attalus videtur auſurus rem tantam aggredi, niſi a Parthis victo captoque Seleu-

(7) P. 102. (8) P. 429.

Seleuco rege: magnae enim adhuc erant Syriae opes, propter tum florentiſſimarum vrbium diuitias, tum multitudinem omnis generis hominum, tum denique propter eas, quas Seleucum dixi contraxiſſe, amicitias. Seleucus certe non videtur Parthos inuaſurus, niſi, Gallis deuictis, et ab illo terrore fuiſſet liberatus et Attali fide perſpecta, nihil iam inde metuiſſet. Niſi item ſummo conſtrictus infortunio fuiſſet, cognitis Attali conſiliis, iam inde ab initio ad defendendas opulentiſſimas Aſiae prouincias aduolaturus potius fuiſſe videtur, quam vt Parthos egenos conſectaretur. Henricus Doduellus, vir acutiſſimus, (9) mortem Eumenis et initium Attali regis ponit A. V. C. 514. Olympiadis $\frac{134}{1}$ $\frac{4}{1}$. Sed illius rationes non ita ſunt inuictae, vt Olympionicon ſcriptori non magis hic fauere nobis liceat, qui Olympiadis 135. anno 2. ſucceſſorem Eumeni dat Attalum. Is annus iniit A. V. C. 515. anno ante C. N. 239. ſub autumno, cum annus Seleucidarum LXXIII. iam deſineret. Tum vero deploratae erant res Seleuci anno fere integro ante capti. Seleucus, teſte Poſidonio, (10) πολὺν χρόνον παρὰ τῷ Ἀρσάκῃ διέτριψεν ἀγόμενος βασιλικῶς, *longum tempus apud Arſacen exegit regieque eſt habitus.* Iuſtinus: (1) *reuocato Seleuco nouis motibus in Aſiam, Arſaces regnum Parthicum format.* Ioannes Valens hic omnia alia ſtatuit, quam nobis monumenta rerum, vt tenuia ſatis, ita ad eius opiniones minime apta permittunt. Velim pro ſe quisque, qui quidem iudicare poſſit, Iuſtinum probe inſpiciat et cum aliis locis conferat, is eum hic de captiuitate Seleuci atque ſero in regnum ſuum reditu loqui reperiet. Mo-

(9) In diſſertatione de Scymno Chio p. 80. (10) Apud Athenaeum p. 439. (1)

tus autem in Asia, qui sunt alii, quam Attalici? Nam Arsaces Seleucum e manibus non emisit, priusquam cognouit, Attalum noui regni res sic ordinasse, vt resistere posset Seleuco, ne tantae opes Syriae Asiaeque rursus in vnum coirent, quas Parthi antea metuerant. Deinde satis constat, Seleucum, postquam rediit, adeo confirmatam sensisse Attali potentiam in Asia, vt eum ne lacessere quidem auderet. Quod argumento est, Attalum non tantummodo occasione esse vsum ad parandum regnum, sed etiam diuturno satis tempore ad firmandum. Itaque Attalus, vt Polybius Valesianus scribit, quatuor et quadraginta annos rerum in Asia potitus est, regno tam firmo ac stabili, vt ad tertiam stirpem illis in tumultibus pacatum tranquillumque transmiserit.

XXVI. Iam cum inter Antiochum Theum, vt suspicati sumus, anno ante C. N. 247 victum et Seleucum anno ante C. N. 240 captum, anni intercedant septem, quo anno Hyrcania ab Arsace occupata fuerit, nostra interest vt sciamus. Nullum vero tempus inuenio, huic rei gerendae magis aptum, quam annum ante C. N. 244. cum Seleucus bello Aegyptiaco destineretur, idque ipsum est, quod Appianus scripsit, Parthos defeciisse, cum Seleucus bellum contra Ptolemaeum Euergeten gereret. Hyrcania occupata, quod quidem non magnum negotium videtur fuisse, laeta ora Seleuci tempora interluxerunt, quae metuens Parthus, exercitum maximum conscripsit, quando praesertim a Bactriis quoque Theodotus imminebat. Sed eo non multo post mortuo, Theodotus Theodoti filius Bactriorum rex, cum Arsace pacem ac foedus iniit.

Ex

Ex quo colligimus, ante C. N. anno 243. hunc Theodotum patri ſucceſſiſſe.

XXVII. EVTHYDEMVS Magneſius Theodotum regno exuit. Ioannes Valens Strabonis quodum loco inductus, ex Euthydemo vno, fecit duos. Nos tantum modo hunc Magneſium in priſcis monumentis agnoſcimus, qui Theodotum regno ſpoliauit, vt ex Polybianis excerptis colligo. (1) Nam in his excerptis Euthydemus cum Telea legato Antiochi M. expoſtulat, immerito ſeſe bello peti, neque enim a Syriae regibus defeciſſe ſe, ἀλλ' ἑτέρων ἀποςάντων, ἐπανελόμενον τὰς ἐκείνων ἐκγόνας, ὅτω κρατῆσαι τῆς Βακτριανῶν ἀρχῆς, *ſed cum alii deſciuiſſent, eorum ſe ſobolem de medio ſuſtuliſſe atque ſic Bactrianarum rerum eſſe potitum. Sobolem* dixi, vt M. Tullius in Platonis Timaeo τὰς ἐκγόνας θεῶν, *deorum liberos* conuertit. Eodem modo, cum Iſocrates Ἀτακὸν τὸν Διὸς ἔκγονον in Euagora ſcripſit, aut *filium* aut *ſobolem* interpretari nos oportet. Haec ea cauſſa monui, ne quis propter illarum obſcuritatem rerum in vocabulo ἐκγόνας argutetur, non filium Theodoti ſuperioris, hunc, inquam, Theodotum minorem eiusque omnem domum, ſed alium iſtius Theodoti maioris nepotem, paterni auitique haeredem regni ab Euthydemo fuiſſe oppreſſum. Cum autem plures defeciſſe dicit Euthydemus, in quos ipſe animaduerterit, ſeu Polybius hic oratorum more locutus eſt, ſiue magis alios reſpexit, qui in vicina India tyrannidem inuaſerunt et vel in ordinem fuere redacti ab Euthydemo,

(1) P. 907.

vel bello laceſſiti. Multi enim ſimul cum Theodoto a Syriae regibus per opportunitatem defecerunt.

XXVIII. Quo anno Euthydemus Theodotum regno exuerit, ex illis ſcriptoribus intelligere mihi videor, quos Strabo adhibuit teſtes. (2) Ferebant illi, defeciſſe eum, νεωτερισθέντων τῶν ἔξω τῆς Ταύρου, *inter motus rerum in prouinciis vltra Taurum.* Et Pontici et Graeci ipſique Romani magnam cherrhoneſum, *Aſiam cis Taurum*, aut, quemadmodum Polybius ſolet, ἐπὶ τάδε τῆς Ταύρου, vlteriores vero, prouincias vt Herodotus, *ſuperiorem Aſiam*, vel τὰ ἔξω τῆς Ταύρου nuncuparunt. Hi ergo ſcriptores ea attingunt tempora, cum Molo Mediae et Alexander Perſiae ſatrapae ab Antiocho Seleuci filio deſciſcerent, (3) extremo admodum anno Olympiadis CXXXIX. Anno poſt Molo oppreſſus eſt. Euthydemus igitur, qui, ſpecie vindicandae defectionis Bactrianae et tamquam pro Syriae regibus, arma ſumpſit, non potuit eas res illa ſpecie gerendas ſuſcipere, niſi poſtquam cognouit, Molone in ordinem redacto, Syriae regem, tametſi paene puerum, in vindicanda maieſtate ſua non degenerem a parentum virtute animum exhibere. Itaque adulandum erat Antiocho iisque qui in oriente rebus illius contra aduerſarias factiones ſtudebant. Videtis quid me inducat, vt credam, Euthydemum anno ante C. N. 221 Theodotum regem inuaſiſſe, cum manu hominum Syriae regi fauentium. Erat autem ex ea vrbe Euthydemus, quae maximis Seleuci Callinici beneficiis adfecta, domum regiam in

(2) p. 354. (3) Polybius p. 398. ed. Caſaub.

in primis colebat, vt ex foedere Magnetum et Smyrnaeorum, in marmoribus Oxonienſibus, non obſcurum eſt. Sed ille deinceps, vbi Theodoto fuit ſuperior, ordinatis ſtabilitisque rebus ſuis, tyrannidem ex occaſione in domum ſuam transtulit. Antiochus, poſtquam Medis ad obſequia redactis, cetera quoque pacaſſet Parthosque compeſcuiſſet, vt inde, teſte Appiano, (4) Magni cognomen referret, illo in curſu victoriarum, denique vsque ad Bactrios penetrauit. Hoc bellum Parthicum multis victoriis nobilitatum et Hyrcania tota capta, Polybius ante M. Claudium Marcellum, T. Quinctium Criſpinum Coſſ. et ante A. V. C. 546 ponit. Aliis deinde in excerptis Polybianis (5) de bello cum Euthydemo refertur.

XXIX. Excerpta haec media ſunt inter res illas Parthicas et Aſdrubalis expeditionem in Italiam, quae C. Claudio Nerone, M. Liuio Salinatore Coss. contigit, A. Varroniano 547. Ioannes Valens (6) hoc bellum ponit A. V. C. 548. Verum enim vero, tum hoc loco, tum infinitis in aliis non apparet, quae ratiocinia in ſtatuendis temporibus ſecutus fuerit, adeo omnia auctoritatibus monumentorum repugnant. Cum Antiochus in armis aduentaret, Euthydemus περὶ Ταγυρίαν, decem millia equitum ad Arii amnis ripam tuendam, opportunis locis diſpoſuit. Quam nos hic Taguriam dicemus eſſe, ſiue regionem, ſiue vrbem? Eſt quidem apud Claudium Ptolemaeum Θάγορα, ſed in India, quae Geographo Rauennati *Tachora*. (7) Tabula Peutingeriana *Taboram* ponit

(4) p. 141. (5) P. 864. ed. Gron. (6) In Arſacidarum imperio p. 27. (7) p. 62. Porch.

ad occidentem Paronisi montis, vt Bactrii in borapelioten vergant. Periplus maris Erythraei, (8) πόλιν Ταγώρα μεγίςην, haud procul a mari in orientalibus partibus regionis collocauit eius, quae Δαχαναβάδης vocabatur, id est, *australis*. Nam, inquit, Δάχανος καλεῖται ὁ νότος τῇ αὐτῶν γλώσσῃ, *Dachanus vocatur auster eorum lingua*. Ita videlicet est, vt is auctor scribit: nam दाषुणु: *Dhakon*, Indis *auster*, et दषणा: वाघे *Dhakana wad*, *plaga mundi australis qualiscumque*. Itaque hic situs vrbis ab Ario flumine nimium remotus, nos admonet, aliam nobis regionem quaerendam esse. Vide, annon Ταπυρίαν; aut quemadmodum alio loco Polybius scripsit, Ταπυρίαν in animo habuerit. Haec regio, Τάπυῤῥα Asinio Quadrato apud Stephanum Byzantium dicta, in Margiana inter Derbices et Hyrcanos erat, a qua regione, montium Tapyrorum iuga ad Mediam vsque deducit Polybius. Arius fluuius Ariam prouinciam postulat, quicumque deinde locus in ea fuerit Ταγυρία. Antiochus, hoc nuncio accepto, festinandum ratus, cum ab fluuio trium itinere dierum abesset, moderato incessu perrexit, tertio autem die a coena mandata dedit, vt prima luce castra mouerentur, ipse equitatum omnem atque expeditos e peditatu, cum decem millibus cetratorum, silentio noctis, citato gradu secum duxit. Cognouerat enim, Arium fluuium ab hostili equitatu tantummodo interdiu teneri, noctu praesidium omne in vrbem viginti a flumine stadiis recipi. Per patentes campos eques pedesque sine

(8) p. 29.

ſine moleſtia inceſſerat et ante lucem fluuium traiiciebat, cum Bactrii ab excubiis per certa ſigna ex vrbe ad vim propellendam exciti, in hoſtes incidunt. Antiochus, quippe haud ignarus, famam rerum a principio pendere, ducibus negotio reliquam inſtruendi aciem dato, ipſe cum duobus millibus praetorianorum in hoſtem inuectus, rem manu gerit ſtrenue et primam alam Bactriorum fundit. A ſecunda tertiaque ala, quae laborantibus ſuis integrae ſucceſſerant, premi Antiochus et circumueniri. Hic enimuero Panaetolus cum omni equitatu hoſtem aggreſſus et regem ſummo discrimine liberauit et Bactrios in fugam coniecit, vt, multis ſuorum deſideratis, non ante conſiſterent, quam ad Euthydemum peruenerant in caſtra. Equitatus Antiochi, nocte illa, quae praelium conſecuta eſt, ad fluuium rediit. Antiochus et equum illo in conflictu amiſit et dentes aliquot, traiecto ore: Euthydemus autem inde ſe Zariaspa recepit.

XXX. Finem belli Bactriani Polybius poſt reditum P. Scipionis ex Hiſpania ponit, hoc eſt, ante P. Scipionem, P. Licinium Craſſum Coss. et ante A. V. C. 549. Taedio diuturni belli adfectum fuiſſe Antiochum idem auctor teſtatur: (9) ὁ δὲ βασιλεὺς πάλαι περιβλεπόμενος λύσιν τῶν πραγμάτων. Igitur legatum ad Euthydemum miſit Teleam, qui cum eo expoſtularet. Euthydemus Teleae oſtendit, iniqne ſecum agere Antiochum, qui tanta obſtinatione animi eadem in ſententia permaneat, vt ſe ſuo regno ſpoliaret: neque enim ſe a rege

(9) p. 906. ed. Gron.

rege defeciſſe, ſed poſtquam alii defecerant, eorum ſe de medio ſuſtuliſſe liberos, atque ita in Bactriana rerum eſſe potitum. Poſtquam ea pluribus erat perſecutus, legatum orabat, vt pro ſe intercederet de componendis diſſidiis et apud Antiochum ſeſe commendaret, μὴ φθονῆσαι τῆς ὀνομασιας· αὐτῷ, τῆς τε τοῦ βασιλέως προσασίας, *ne inuideret ſibi vel nomen regis vel dignitatem.* Oſtendebat deinde, quam parum ex vtriusque commodo bellum duceretur, imminere enim bello diſtractis non exiguam Nomadum multitudinem, vt ambo verſentur in diſcrimine: nam regionem, ſi Nomades ſuperiores ſint, in barbarorum deinde poteſtate futuram eorumque moribus Graecos in ea homines imbutos ab humanitate defecturos, obſcurum eſſe non poſſe. Cum his mandatis Telea ad Antiochum profectus, regem ad pacis conſilia facile flexit et pertaeſum iam diuturnitatis in longinquo bello, et periculum a Nomadibus animo reputantem. Excerpta Polybiana, quae huiusce memoriam rei praecedunt, quaſi digito nobis demonſtrant Ασπασιακὺς Νομάδας eos fuiſſe, qui a Tanai vsque ad Oxum coluerint. Hi vero equites per loca illa, in quibus Oxus terram ſubit, tamquam per pontem a natura ſtratum inuaſionem faciebant vsque in Hyrcaniam. Ex recentium geographorum doctrina intelligi poteſt, regionem, per quam prope Oxum delati in Hyrcaniam ſeſe effuderint, Chorasmiam fuiſſe, quae tum ſubiecta erat Bactrianae. Igitur Euthydemus cum diſtringeretur graui bello, illorum impetum ſuſtinere et a prouincia ſua depellere non potuit, vnde etiam prouinciae Perſicae Antiochi, in diſcrimine verſabantur. Poſtquam Teleas legatus diu multumque ſuper eo negotio vltro citroque commeauit,

uit Euthydemus Demetrium filium, ad ſanciendum ea in verba, quibus conuenerat, foedus, in caſtra hoſtium miſit. Ab illo maxime adoleſcente deliuitus Antiochus, vtpote qui propter cum inſignem corporis formam, tum indolem animi, dignum eum iudicauit, qui regnaret. Itaque filiarum aliquam ei deſponſauit, patriique regium nomen conceſſit. Super ceteris rebus pacis leges in tabulis conſignatae, cum formula ſocietatis vtrimque initae, iuris iurandi fide confirmatae ſunt. Erat quoque in conditionibus, vt Euthydemus elephantos vniuerſos traderet. Ita Antiochus, ſuperato Paroniſo, in Indiam reduxit exercitum et apud Σοφαγασηνον τὸν βασιλεα τῶν Ινδῶν amicitia renouata, alios ab eodem elephantos accepit, vt vniuerſi numero ad centum et quinquaginta illius in exercitu eſſent, quibus deinde in bello Romano vſus eſt. Androſthene Zyziceno relicto, qui argentum a rege Sophagaſeno promiſſum deueheret, per Arachoſiam et Drangianam in Caramaniam venit, vbi hibernatum eſt. Ex his etiam intelligi poteſt, pacem A. V. C. 548. aeſtate, Olympiadis CXLIII. 2 anno exeunte, compoſitam eſſe, quoniam inde aliquot menſium fuit iter in Caramania hibernaturo. Prologus Trogi: (10) *pacata ſuperiore Aſia Bactris tenus, in Romana bella deſcendit.*

XXXI. Satis diuturnum bellum fuit, quod tertium in annum gereretur, cum populo tam longe a Syria in orientem reiecto. In tempore huius expeditionis ſtatuendo, nos a vero anno non admodum potuiſſe aberrare, doctiſſi-

K

(10) Ad librum XXX.

doctiſſimum econtrario Armachanum has res illico poſt Molonem deuictum incommode ponere, etiam memoria iſta filiarum Antiochi facit vt credamus. Antiochus Demetro promiſit, δώσειν μίαν τῶν ἑαυτοῦ θυγατέρων, vt ait Polybius. Iam cum in eo eſſet Antiochus adoleſcens, vt Molonem perſequeretur, Laodicen Mithridatis Pontici filiam duxit, (1) annoque poſt natus ei eſt filius. Quas tum potuit Demetrio deſpondere filias, cum haberet nullas? At hoc, quo res illas poſui anno, natae poterant eſſe illae, quarum alteram Cleopatram Ptolemaeo Epiphani quatuordecim admodum annis poſt hanc pacem in matrimonium tradidit, alteram Antiochiden Ariarathi Cappadoci, tertiam Eumeni Pergameno regi, eodem fere tempore. Non eſt abſurdum ſtatuere, poſt illam pacem Euthydemum arma vertiſſe in Nomadas, quorum vires ſuperiori bello formidauerat et in Indos, vt infra dicemus. Hoc autem bellum Indicum male denique ceſſiſſe videtur, quod ex haud obſcuris argumentis concludo, Menandrum Indiae regem, ſucceſſorem Euthydemi fuiſſe, non Demetrium filium.

XXXII. MENANDER igitur ſecundum Euthydemum a nobis ponetur. Quot annos Euthydemus regnauerit et quando Menandri ſub poteſtatem redacti fuerint Bactrii, res vtique perobſcura eſt. Ioannes Valens in Canone regum Parthicorum A. V. C. 555. extremum ponit Euthydemi, nihil autem vel ad diuinandum habuit propoſitum, vt, quid animi ei fuerit, cum haec ſcribe-

(1) Polybius p. 541.

ſcriberet, mirari ſatis nequeam. Sed ita vt plurimum accidit, vt, cum vel tentandi, vel memoriae cauſſa quaedam inter commentandum negligentius notent docti viri, quae poſterioribus curis emendaturi erant, illa autem deinde aliorum in manus perueniant, qui quae languida ſunt et in vitio cubant reſtituere aut non poſſint, aut cum poſſint, nolint, opera eiusmodi poſthuma plerumque auctoribus ſuis, tanto non ſint decori, quanto fuiſſent futura ſub extrema eorum manu. Iam in ſucceſſoribus Euthydemi, quantum ſibi permiſit perſpicaciſſimus alioquin antiquarius? *Demetrius Euthydemi filius*, inquit, (2) *patri in Bactrianae regnum non ſucceſſit, ſed Menander Euthydemi frater aut ſaltem propinquus.* Secundum Menandrum vero Demetrium collocat: (3) *Demetrius Euthydemi Bactrianorum regis filius, qui poſt Menandrum patruum regnauit.* Menandrum Bactriorum fuiſſe regem, ex auctoritatibus Strabonis atque in primis Plutarchi demonſtrabo: Demetrium Euthydemi filium, neque ſucceſsiſſe Menandro, neque omnino Bactriorum fuiſſe regem, vllius veterum teſtimonio conſtat, ſuſpiciones deinde faciunt graues, vt non fuiſſe concludam. Nam de cognatione Euthydemi, Demetrii, Menandrique, ne quidem eſt opus vti quidquam hic dicam. At Valens in Demetrii regno Bactriano locum Strabonis reſpicit, (4) quem conſiderari oportet accuratius.

Τοσοῦτον δ' ἴσχυσαν δι ἀπο- *Tanta autem eorum Grae-*
ςήσαντες Ἕλληνες αὐτὸν, *corum, qui Bactriam ad*
(τὴν Βακτρίαν) διὰ τὴν ἀρε- *defectionem ſeduxere, pro-*
τὴν τῆς χώρας, ὥςε τῆς *pter regionis illius prae-*

(2) p. 28. (3) p. 34. (4) p. 355. 356. ed. Caſ.

Ἀριανῆς ἐπεκράτων καὶ τῶν Ἰνδῶν, ὥς φασιν Ἀπολλόδωρος, καὶ πλείω ἔθνη κατεστρέψαντο, ἢ Ἀλέξανδρος· καὶ μάλιστα Μένανδρος. εἶγε καὶ τὸν Ὑπανιν διέβη πρὸς ἕω καὶ μέχρι τοῦ Ἰσάμου (Ἰμάυ vt Casaubonus cenſuit) προῆλθε, τὰ μὲν γὰρ αὐτὸς, τὰ δὲ Δημήτριος ὁ Εὐθυδήμου υἱὸς τοῦ Βακτρίων βασιλέως, ὃ μόνον δὲ Πατταληήνην κατέσχον, ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης παραλίας τήν τε Τεσσαριόσου καλουμένην καὶ τὴν Σιγέρτιδος βασιλείαν, καθόλου δέ, φησὶν ἐκεῖνος, τῆς συμπάσης Ἀριάνης πρόσχημα εἶναι τὴν Βακτριανήν καὶ δὴ καὶ μέχρι Σύρων καὶ Φαύνων ἐξέτειναν τὴν ἀρχήν, πόλεις δ' εἶχον, τά τε Βάκτρα καὶ Δάραψαν καὶ ἄλλας πλείους.

ſtantiam potentia fuit, vt et Arianam obtinuerint et Indiam, quemadmodum ait Apollodorus Adramyttenus, et plures, quam Alexander Magnus, gentes ſubegerint: in primis vero Menander, quippe qui et Hypani tranſiecto orientem petiit et vsque ad Imaum proceſſit: partem, inquam, ipſe, partem Demetrius Euthydemi Bactriorum regis filius: non modo autem Pattalenen occuparunt, ſed etiam alteram oram maritimam, quae Teſſarioſti dicitur et Sigertidis regnum: omnino autem, dicit ille, toti Arianae obiectam eſſe Bactrianam: nam etiam ad Syros vsque et Phaunos dominationem ſuam extenderunt, vrbes autem habuere, Bactra et Darapſam et alias plures.

Hic locus tantum abeſt, vt ornatiſſimo viro inſeruit, vt etiam illius ſententiae adhaeſerit, nobis faueat. Videtis Menandrum Bactriis regibus inſeri: Demetrium contra

contra, Euthydemi *regis Bactriorum filium* dici. Quorſum eum ſic appellaret Strabo, quem regem potuiſſet nuncupare? Miſcet Strabo omnia inter ſe, vt ſubobſcura euaſerint, quae non vno hoc in loco illius labes fuit in veterum auctoritatibus verſantis: totum hoc Strabonis et proprium, perplexe agere. Itaque cum Plutarchus in reip. gerendae praeceptis (5) Menandrum Bactriis aſſerit, vt ab diſſimillimo ingenio profectum teſtimonium cupide amplectimur, cum in Strabone ne id quidem, quod videtur ſatis eſſe planum, temere audemus admittere. Plutarchus ſic ait: Μενάνδρῳ δέ τινος ἐν Βάκτροις ἐπιεικῶς βασιλεύσαντος, εἶτα ἀποθανόντος ἐπὶ στρατοπέδῳ, τὴν μὲν ἄλλην ἐποιήσαντο κηδείαν κατὰ τὸ κοινὸν αἱ πόλεις, περὶ δὲ τῶν λειψάνων αὐτῷ καταστάντες εἰς ἀγῶνα, μόλις συνέβησαν, ὥστε νεμάμενοι μέρος ἴσον τῆς τέφρας, ἀπελθεῖν καὶ γενέσθαι μνημεῖα παρὰ πᾶσι τῷ ἀνδρός. *Menandro cuidam, qui in Bactriis regnum iuſte moderateque geſſerat, deinde in caſtris defuncto, tum alios exequiarum honores ex communi decreto ciuitates habuerunt, tum de reliquiis eius concertarunt, donec vix inter ſe conſenſerunt, vt partem cineris illius acqualem pro ſe vnaquaeque caperet, iſtius autem viri apud vniuerſas monumenta dedicarentur.*

XXXIII. Sed ſunt, qui Menandrum Indiae regem edant. Trogi Pompeii prologus, cum de Eucratide Bactriano eſſet relatum, ſic habet: *Indiae quoque additae res geſtae per Apollodorum et Me-*

(5) p. 821.

nandrum reges. Iannes Valens his verbis offenditur: (6) *Locus*, inquit, *deprauatiſſimus eſt: Apollodorus enim Bactrianorum rex non fuit, ſed hiſtoricus, qui, tradente Strabone, Parthorum Bactrianorum et Indorum geſta ſcriptis mandauerat.* Bactriorum regem fuiſſe Apollodorum, neque Trogus ibi tradidit, neque nos poſtulamus, vt nobis concedatur: Indiae vero fuiſſe, etiam aliunde conſtat. Et Strabo quidem Indiae reges Graecos a Bactriis diſtinxit, cum ſic fatus eſt: (7)

Απολλόδωρος γοῦν ὁ τὰ Παρθικὰ ποιήσας, μεμνημένος καὶ τῶν τὴν Βακτριανὴν ἀποστάντων Ελλήνων παρὰ τῶν Συριακῶν βασιλέων τῶν ἀπὸ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος, φησὶ μὲν αὐτοὺς αὐξηθέντας ἐπιθέσθαι καὶ τῇ Ινδικῇ, ὅδεν δὲ προσαναλύπτει τῶν πρότερον ἐγνωσμένων, ἀλλὰ καὶ ἐναντιολογεῖ, πλείω τῆς Ινδικῆς ἐκείνους, ἢ Μακεδόνας καταστρέψασθαι λέγων. Εὐκρατίδαν γοῦν πόλεις χιλίας ὑφ' ἑαυτῷ ἔχειν, ἐκείνους δ' αὐτὰ τὰ μεταξὺ ἔθνη τοῦ Υδάσπου καὶ τοῦ Υπάνιος, τὸν ἀριθμὸν ἐννέα, πόλεις τε σχεῖν

Apollodorus igitur, qui Parthica ſcripſit, cum eorum etiam Graecorum, qui Bactrianam a Syriae regibus, Seleuci Nicatoris poſteris abalienarunt, mentionem iniiceret, eos quidem ait viribus auctos, etiam Indiam inuaſiſſe, nihil vero amplius tradit, quam quae antea (ex Alexandri M. expeditione Indica) *cognita fuerant, cum tamen dicit, maiorem Indiae partem illos,* (Graecos) *quam Macedonas* (duce Alexandro M.) *ſubegiſſe: Eucratiden quidem mille vrbes ſub poteſtate ſua ha-*

πεν-

(6) l. c. p. 37. (7) p. 471.

πενταχιλίας, ὧν μηδεμίαν εἶναι Κῶ τῆς Μεροπίδος ἐλάττω, τάυτην δὲ πᾶσαν τὴν χώραν καταζεψάμενον Αλέξανδρον, παραδῦναι Πώρῳ.

habuiſſe, illos vero, gentes omnes inter Hydaspen et Hypanim numero ad nouem, vrbium autem tenuiſſe ad quinque millia, quarum nulla Co vrbe in Meropide minor fuerit: hanc autem omnem regionem Alexandrum ſubactam Poro tradidiſſe.

Quamquam Strabo hic ſuo more agit, tamen, quod diximus, ex eius verbis translucere opinor. Et Iuſtinus vero inter Bactrianos Parthicosque tumultus, etiam alios ſtrictim attigit iis verbis: (8) *Theodotus defecit regemque ſe appellari iuſſit, quod exemplum ſecuti totius orientis populi, a Macedonibus defecere.* Incertus auctor peripli maris Erythraei, quem ſunt qui Arrianum fuiſſe putent, poſtquam mentionem Bactriorum iniecerat: (9) καὶ Αλέξανδρος ὁρμηθεὶς ἀπὸ τῶν μερῶν τούτων ἄχρι τοῦ Γάγγου διῆλθε, καταλιπὼν τήν τε Λιμυρικὴν, καὶ τὰ νότια τῆς Ινδικῆς, ἀφ' ἃ μέχρι νῦν ἐν Βαρυγάλαις παλαιαὶ προχωροῦσι δραχμαὶ, γράμμασιν Ελληνικοῖς ἐγκεχαραγμέναι, ἐπίσημα τῶν μετὰ Αλέξανδρον βεβασιλευκότων, Απολλοδότου καὶ Μενάνδρου, ἔνι δὲ αὐτῆς καὶ ἐξ ἀνατολῆς πόλις λεγομένη Ὀλήνη, ἐν ᾗ καὶ τὰ βασίλεια πρότερον ἦν. *Alexander ex his (Bactriorum) regionibus profectus, vsque ad Gangem deſcendit, relinquens a latere Limyricam et au-*

(8) XLI. p. 4. (9) p. 27. ed. Huds.

auſtralia Indiae : quamobrem vsque ad hodiernum diem in Barygazis veteres commeant drachmae litteris Graecis inſcriptae, titulo eorum, qui poſt Alexandrum regnarunt, Apollodoti et Menandri : eſt etiam illa in regione ad orientem vrbs dicta Ozene, *in qua olim regia erat.* Alexandri ad Gangem expeditio, in qua Limyricam, ſeu ſinum Gangeticum et auſtralem Indiam a dexteris reliquerit, commentum eſt, ortum ex magnitudine eius regni, quod poſt Alexandrum Graeci reges tota in India obtinuerunt. Barygazae emporium percelebre ad ſinum Cambaiae, cui ad orientem Οζήνη *quondam regia.* Ptolemaeus: (10) Οζήνη βασίλειον Τιαζάνα, *Ozene regia Tiaſtani.* Hic Tiaſtanus iam Graecum nomen non eſt. Itaque non apparet, quae tempora auctor peripli reſpexerit, vt Ozenen non temere horum regum, de quibus nobis ſermo inſtitutus eſt, regiam fuiſſe dixerimus. Sunt apud Ptolemaeum plures Indiae reges, vt Βαίθανα βασίλειον Σιριπτολεμαίυ (in MSS. nam in editis, Βάθανα Σιριπολεμίυ,) Ιππόκυρα βασίλειον Βελεοκύρυ (in MSS. Βαλεοκύρυ): Καρῦρα βασίλειον Κηροβόθρυ, Μόδυρα βασίλειον Πανδίονος, Οραθυρα βασίλειον Σωρνάγος, pro quo nomine in MSS. Σωρνάτος. Habemus igitur Graecos in India reges ex Periplo, *Appollodotum* et *Menandrum* : *Demetrium Euthydemi filium* aliis teſtimoniis cognoſcimus. Sed oportet, vel ante Apollodotum vel poſt eum, alium praeterea fuiſſe, vt Theodoti initiis aequalia ponamus principia regni Indici. Praeterea ex obſcuris auctoritatum veterum fragmentis colligi poteſt, plura Graeca regna ſimul et orta eſſe apud Indias et aliquamdiu fuiſſe. Neque ego fere

(10) Vide Ptolemaei tabulas vrbium inſignium p. 46. ed. Hudſon.

fere dubito, illum Claudii Ptolemaei Σιρπτολεμαῖον ſiue Σιρπτολέμιον, eorum in numero fuiſſe. Nam extremum nominis, Graecum videlicet eſt: Σιρ autem eſt Indicum *Ssri*, vt cum dicunt श्रीकृष्ण *Ssri Krifchen*, nomen *Wiſchtnu dei*, श्रीघंगा *Ssri Ghangaeſa*, nomen auctoris litterarum. Hoc enim *Ssri* plane ſic vſurpatur, vt Syrorum ܡܪܝ *Mar*, *dominus*, quem titulum et deo immortali, et ſanctis beneque olim meritis et mortalibus in dignitate conſtitutis tribuunt, fere etiam vt in recentiori Graecitate, Κῦρ et Κῦρι. Quod autem huic Ptolemaeo regi etiam poſt fata, eiusmodi honoris nomen ab Indis datum eſt, id indicat, et magnum fuiſſe et iuſtum, vt inter diuos referri dignaretur. Sed vel tempori certo vel huic ſucceſſioni, de qua verba facimus, inſerere eundem non audeo. Apollodotum vtique malo regem, qui ante Menandrum fuit, nuncupare, quam ex Strabone Apollodorum, quod hic, dum Apollodorum Parthicorum ſcriptorem citat, confundere nomina illa potuit, quod item in codicibus, ſi antea recte fuit, ſubrepere ex eadem cauſſa potuit error, in Periplo autem maris Erythraei eadem ſuſpicio locum non habet. Menandri vero regnum oportet diuturnum fuiſſe, propter tot vrbium in eum mortuum ſtudia, quae parari quemadmodum potuerint, niſi longo tempore, profecto non inuenio. Apparebit quidem ex noſtris rationibus, in Bactriis non diu eum potuiſſe regnare: ſed manebat illius viri laus inde a ſuperiorum rerum memoria, cum, vt apud Stabonem Apollodorus teſtatur, primum quidem intra

Hypanim regnauit, ea inquam in regione, quae quondam Pori fuerat, deinde traiecto Hypani vniuersam Indiam occupauit. Res eas oportet fuisse maximas: quia autem Strabo Demetrium admiscet, non possum liquido sentire, quae ad illum magis, aut ad hunc referenda sint. Ad Imaum vsque progressi fuerunt, vbi Gangis fontes sunt, vt, quae olim Sandrocottae fuerant, in potestatem alterutrius horum regum fuerint redacta. Deinde Pattalene nominatim occupata est. Haec regio intra duo ostia Indi fluminis sita fuit. Dionysius Periegetes: (1)

Δισσὰ δέ οἱ ςόματ' ἐςὶ, μέσην δ' ἐπιδέδρομε νῆσον
Νῆσον, τὴν καλέουσιν ἐπιχθόνιοι Παταληνὴν.

Duo autem Indo ostia sunt, quae circum mediam currunt insulam,
Insulam, quam incolae vocant Patalenen.

Quam Strabo alteram oram maritimam, nomine Τεσσαριόςου dicit? nempe nullam potuit, nisi quae ad Gangis fluminis ostia, vbi et Σιγέρτιδος regnum. Καὶ δὴ, inquit Strabo, καὶ μέχρι Σύρων καὶ Φαύνων ἐξέτειναν τὴν ἀρχὴν. Isaacus Casaubonus, cui tantum in Strabone multisque aliis debemus, isthuc Σύρων, quod hic quidem est nihili, reliquit, Φαύνων vero suspicatur Φοινικων esse rescribendum. Perelegans econtrario est Ioannis Valentis coniectura, (2) legendum esse μέχρι Σήρων καὶ Φρύνων. Nihil potest excogitari aptius, nihil verius inueniri. Phryni Seribus, Sacis Bactriisque in-

(1) v. 1092. (2) l. c. p. 34.

interiecti fuerunt. Quamquam autem Strabo etiam hic perplexe locutus eſt, tamen in teſtimonio eius ſentire mihi videor, vtris regibus Seras et Phrynos dicto audientes fuiſſe acceperit. Si regionum tractum conſideres, opportunius ſiti fuere Bactriis, vt debellari poſſent, quam Indis, qui immenſis montibus ſeiungebantur. Et monet me in primis Phrynorum mentio, qui ita vicini fuere Bactriis, vt ab Indis ſubiugari non potuerint, niſi Bactriis ipſis ab illo potentiae gradu depulſis. Apud Geographum Rauennatem, (3) *ad ſeptemtrionem Indiae Dimiricae* (ſic autem Indiam Gangi viciniorem vocat, a *Limyrica*, regione oſtiis illius proxima,) recenſetur, *India Serica Bactrianis*, id eſt Ἰνδία Σηρικὴ Βακτριανῆς, ſeu Bactriis ſubiecta. Haud fere dubito, ſub Menandro rege, Bactrium regnum, illo quidem victore, et Sacas et Seras vsque ad Sinarum fines comprehendiſſe. Hic Menander Indiae rex, quemadmodum ad Bactrianum regnum peruenerit, inquirendum mihi nunc duco. Per vim, opinor. Nam poſtquam Euthyden. rex, Syriaco bello compoſito, Aſpaſiacas gentes ſine dubio inuaſit, quod ſibi iam inde ab aliquo tempore impreſſionibus ſuis moleſtae fuiſſent, ab iisdem victoriam reportaſſe videtur, resque maiores agitaſſe contra Indos. Indos eum petiiſſe, Strabo ὅτε λέγει, ὅτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει. Cum enim res Demetrii Indicas attingit, *Demetrium Euthydemi Bactriorum regis filium* eas geſſiſſe tradit et tamen idem tradit, Euthydemum praeter Bactrianam, quae Graecorum ante eum regum fuerat, vicinas regiones occupaſſe. Et cur ita potiſſimum nuncupet Demetrium,

(3) p. 41. ed. Porch.

cauſſam video nullam, niſi eas res patre Euthydemo ſuperſtite et in Bactriis regnante geſſiſſet. Sed videtur initio Demetrius non florentiſſimum in India Menandri regnum inuaſiſſe, verum, illo longinquis bellis diſtracto, in eam magis partem ſeſe vertiſſe, quae Menandri nondum fuit. Iam ſupra in regionibus prope ad Paroniſum Bactriis ſub auſtro fere, Sophagaſenum regem Indum edidimus, et diuitem illum quidem et Antiocho ſe ſuaque haud aegre tradentem. Hunc Euthydemus rex per Demetrium filium regno ſpoliaſſe videtur, omnemque regionem ad occidentem Indi fluminis, quae Indiae accenſebatur et quondam Macedonum fuerat prouincia, auertiſſe. Hic tandem auctorem tenemus idoneum, qui noſtras ſuſpiciones comprobet, Iſidorum, inquam Characenum in manſionibus Parthicis. (4) Vbi enim de Arachoſia agit, quam Parthi Ινδικὴν Λευκὴν vocitarunt, ſic fatus eſt: Φάρσαγα πόλις καὶ Δημητριὰς πόλις, ἔιτα Αλεξανδρόπολις, μητρόπολις Αραχωσίας. ἔστι δ' Ελληνὶς. *Pharſaga vrbs et Demetrias vrbs, deinde Alexandropolis (Claudio Ptolemaeo* Αλεξάνδρεια) *metropolis Arachoſiae, eſt autem Graeca vrbs.* Nullus in Syriae regibus fuit Demetrius, cuius honoris cauſſa hoc nomen vrbi tributum fuerit: nam Demetrius Soter iſta longinqua iam non tenuit, vix Syriam et Babyloniam et Perſiae aliquantum tueri potuit contra Parthos. Itaque ſolus Demetrius Euthydemi filius is eſt, quem hic reſpicere poſſimus. Inuenio apud Claudium Ptolemaeum in Peutingeriana editione vrbem intra Hidaspen atque Indum fluuios, viciniorem tamen Indo, *Sagala*, *quae et Euthymedia*: non dubito fere, Demetrium hanc

(4) p. 8.

hanc vrbem Εὐθυδήμειαν vocaſſe ab Euthydemo parente, ſed defuncto eodem atque Menandro etiam: quod, hoc ſuperſtite, non apparet, quemadmodum Demetrius Indiae partem, quae Menandri erat, occupare potuerit, cum non potuit contra eum obtinere patrium in Bactriis regnum. De Demetrii in India regno poſt Menandri fata deinde dicam in Eucratide. In hoc autem tamquam cardine ſuperiores coniecturae noſtrae verſantur, quod, tametſi Euthydemus rex in Bactriis potens fuit, Demetrius autem filius et bellicoſus et patris fauore ſuffultus, tamen Euthydemo mortuo non Demetrius rex Bactriorum euaſit, ſed Menander. Quod quemadmodum aliter contingere potuit, quam quod Menander ſucceſſu rerum Demetrii offenſus, forte et laceſſitus, Bactriis ſubiugatis et Euthydemo Demetrioque pulſis regnum occupauerit, antequam vero etiam Indiae illa parte ſpoliauit Demetrium, in ipſo curſu victoriarum deceſſerit? Sic Eucratides, forte ex Menandri factione, Bactriorum, Demetrius Indiae potitus eſt, vnde poſtea inter vtrosque bellum ortum fuit. Quo autem tempore Menander Bactrios ſibi ſubiecerit, definiri a me non poteſt. Pertenuis res eſt, ex qua ſuſpicari poſſumus A. V. C. 562 Demetrium paternis opibus exutum iam fuiſſe. Quemadmodum Antiochum M. Demetrius adoleſcens et indole ingenii et ſpe virtutis ceperit, vt ei alterutra filiarum regiarum deſponderetur, ſupra a nobis expoſitum fuit. Hoc autem anno Antiochus Cleopatram filiam Ptolemaeo Epiphani elocauit, vt ex T. Liuio et Hieronymo in Danielem tempus ſtatui poteſt accuratiſſime. Et eodem fere tempore Antiochis filiarum altera Ariarathi Cappadoci, tertia Eu-

meni Pergameno elocatae fuerunt. Et potuit, earum vna Demetrio ex foedere in matrimonium data, Antiochi regnum aduerſus vim Parthorum a tergo defendi, dum ipſe ad Romanum bellum eſſet profectus, ſi Demetrii res adhuc fuiſſent integrae. Deſpicatui habitus videtur, quod a Menandro patrio regno eſſet exutus. Ante hunc autem A. V. C. 562. nulla veſtigia ſunt, quibus ad Menandri initia recte collocanda inſiſtamus. Ponimus igitur pro arbitrio A. V. C. 559 vt et ſatis multum temporis intercedat, quo Antiochus M. de Demetrii fortuna, ad conſilium de conditione filiarum capiendum, fieri poſſet certior, et ſatis item multum, vt, inde a pace cum Antiocho facta, Euthydemus compeſceret Capſiacas gentes filioque duce res eas in India gereret, per quas Demetrius tantam potentiam ſibi comparauit, vt, licet regno Bactriano ſpoliatus, tamen penitus opprimi non potuerit, Menandro autem mortuo, potuerit inuito Eucratide totam Indiam, quae Menandri fuerat, in poteſtatem redigere. Fateor equidem, mihimet me ipſum hic non ſatisfacere, tantum abeſt, vt aliis ſatisfacere me poſſe confidam: nihilo tamen minus ediſſerenda duxi, quae vtcumque inueſtigare et ad aliquam veri ſimilitudinem traducere potui, cum res tam magnas et multis de cauſſis memorabiles penitus ignorari dolerem.

XXXIV. EVCRATIDES, quo ex populo fuerit, non conſtat: cui ſucceſſerit, monumenta, tametſi obſcura, tamen exacta ad fidei formulas nobis perſuadent, Menandrum eum fuiſſe. Iuſtinus, cum de Mithridate Parthorum rege ſexto ſermonem inſtituiſſet, ad Eucratiden hunc

hunc flectens: *magni*, inquit, *vterque viri eodem ferme tempore regna ineunt*. Modo nunc initia Mithridatis alicunde cognoſci poſſent: nam Ioannis Valentis rationes nihilo magis ſunt probabiles, quam Onuphrii Panuinii. A. V. C. 624. cum Antiochus Sidetes bellum cum Parthis geſſit, iam Phrahaten Mithridatis filium regnaſſe inuenio. Haud item liquido conſtat, quanto ante eum tempore pater deceſſerit, deceſſit autem *glorioſa ſenectute*, vt Iuſtinus ait. (5) Sed cum ſub eodem Phrahate, Demetrii Nicatoris a Mithridate capti bis tentata fuga commemoratur, (6) non poteſt fieri, quin a prima fuga poſt mortem Mithridatis ſuſcepta, vsque ad cladem Antiochi Sidetae interceſſerint anni ſaltem quatuor, cum neque ita elabi potuiſſet altera fuga, neque deinde placide dimitti in Syriam, niſi diuturnitate temporis primum placatis cuſtodibus, deinde ad fidem habendam confirmato Phrahate. Nam poſt ſecundam fugam Demetrii infeliciter ſuſceptam, nudatis Parthorum conſiliis, Antiochum Sideten bellum occupaſſe ſcribit Iuſtinus. (7) Igitur A. V. C. 618. obierit Mithridates, neque ita poſt multo primam fugam ceperit Demetrius. Illa autem *glorioſa ſenectus* Mithridatis, non modo aetatem, ſed diuturnitatem quoque regni illius reſpicit. Oportet eum videlicet admodum mature ad regnum peruenisſe; nam Phrahates frater, qui breui tempore imperauit, huic magis, quam liberis regnum commendandum duxit. Cauſſam Iuſtinus longe repetit e media philoſophia, vt aliquid acute diceret. Nulla veroſimilior, quam quod impuberes poſt ſe relinqueret filios, quibus tantam rem credere non auderet. Fuit ergo

(5) l. XLI. c. 6. (6) Iuſtinus l. XXXVIII. c. 9. (7) l. XXXVIII. c. 9. 10.

go Phrahates quoque iuuenis, cum obiret, et minor natu frater Mithridates fuit. Quamobrem huic quidem ſi annos viginti tribuamus, cum fratri ſuccederet, fortaſſis etiam nimium concedimus. Contra, annos eidem quinque et ſexaginta tantummodo in totam vitam adſcribemus. Ita Mithridates A. V. C. 573 coeperit regnare. Et hic annus eſt eiusmodi, vt ſi vel eodem, vel paullo ante, aut poſt Eucratiden regem coepiſſe dicamus et Menandri et Eucratidis cum anni tum res ad veriſimilitudinem cohaereant. Ceterum tres tantummodo Arſaces ante Mithridatem exſtant, quorum anni eduntur: primus Arſaces, Arſaces ſecundus Tiridates, et quartus Priapatius, Mithridatis pater. Iſtius in regno annos duos, illius ſeptem et triginta exactos fuiſſe Georgius Syncellus commemorat, huius denique annos quindecim edidit Iuſtinus. Sunt trium regum anni in vniuerſum quatuor et quinquaginta, reliqui deinde ad A. V. C. 573. anni quindecim, qui Arſaci tertio et quinto tribuantur, quorum huic breue regni ſpatium Iuſtinus, ſtatuit (8) illius nullum vsquam deſcriptum reperitur. (9) Itaque hic quoque nihil inuenio, quod noſtris rationibus repugnet.

XXXV. Ioannes Valens Eucratidem Demetrii filium, Euthydemi nepotem edit, ſed nullo vel leui ad ſuſpicionem argumento. Iuſtinus cum de hoc Eucratide agit: *Bactriani*, inquit, (10) *per varia bella iactati, non*

(8) l. XLI. 5. (9) Haud ſum ignarus, a Iuſto Ioſepho Scaligero in Excerptis Euſebianis p. 398. fragmentum quoddam chronologiae Parthicae inſertum fuiſſe, ſed numeri in eo deprauati videntur. (10) l. XLI. c. 6.

non regnum tantum, verum etiam libertatem amiſerunt: ſiquidem Sogdianorum et Drangaritanorum Indorumque bellis fatigati, ad poſtremum ab inualidioribus Parthis, velut exſangues, oppreſſi ſunt. Haud eſt abſurdum, Eucratidem initio cum Sogdianis et Drangaritis bellum geſſiſſe. Nam aliter has res concipere animo non poſſumus, quam, Menandro rege mortuo, Eucratidem Bactrianum regnum, ſeu vi ſine iure occupaſſe, interim Demetrium Euthydemi filium ex prouinciis ſuis inuaſiſſe reliquam Indiam, quae Menandri fuerat. Eandem ſibi vindicaſſe videtur Eucratides, vtpote quam Menander, cui ſucceſſerat, deuinciuerit Bactriano regno. Quoniam autem Demetrius, non modo regiones eas obtinuit, ſed arma quoque vltra Gangem circumtulit, Eucratide cum minime laceſſente, tantum in eo ſuſpicionis eſſe adfirmo, vt iam ipſis lectoribus ſine mea argumentatione coniecturam facere permittam, quamtum hoc genus belli, quod Eucratiden diſtrinxerit, quamque diuturnum fuiſſe videatur. Drangaritae autem qui alii magis, quam populus in Drangiana? Eam Iſidorus Characenus vicinam Ariae prouinciam edidit. His tandem debellatis, Indiam et Demetrium ſumma vi petiit Eucratides. Iuſtinus: *multa Eucratides bella magna virtute geſſit: quibus attritus, cum obſidionem Demetrii regis Indorum pateretur, cum trecentis equitibus, ſexaginta millia hoſtium aſſiduis irruptionibus vicit: quinto itaque menſe obſidione liberatus, Indiam in poteſtatem redegit.*

XXXVI. Nunc hoc bellum Indicum in primis conſiderari oportet. Illo in bello Eucratidem, quod De-

metrio regi fere ſuccumberet, cum Parthis ſocietatem contraxiſſe inuenio. Nam alii Indiam a Parthis, alii ab Eucratide occupatam et Demetrium tamen regem ab Eucratide tota India eiectum tradunt. Huius belli tempus Paulus Oroſius aliqua probabili nota definire mihi videtur. Primum ſcribit, a Mithridate Parthorum rege Babyloniam Demetrii praefecto eſſe extortam, *finesque eius vniuerſos*, ſeu vicinas prouincias: geſtum poſtea eſſe Indicum bellum, denique Demetrium regem, Syriae videlicet, ſuperatum captumque eſſe. Ita vero ille fatus eſt: (1) *Mithridates tunc rex Parthorum ſextus ab Arſace, victo Demetrio praefecto, Babyloniam omnem finesque eius vniuerſos victor inuaſit: omnes praeterea gentes, quae inter Hydaspen fluuium et Indum iacent, ſubegit: ad Indiam quoque cruentum extendit imperium: Demetrium ipſum ſibi ſecundo bello occurrentem vicit et cepit: quo capto, Diodorus quidam cum Alexandro filio, regnum eius et regium nomen vſurpauit, qui poſtea ipſum Alexandrum filium, quem particip m periculi in peruadendo regno habuerat, ne in obtinendo conſortem haberet, occidit.* Has ille res, multos vno ſermone annos complectens, ante M. Aemilium Lepidum C. Hoſtilium Mancinum Coss. ſeu ante A. Varronianum 617. ponit. Hiſtoria Miſcella, vt eſt ab ampliſſimo viro, Ludouico Antonio Muratorio edita, (2) pro *Demetrio praefecto* ponit *Demetrii praefectum* et pro *Diodoro*, *Diodotum*. Bene habet vtrumque. Nam Oroſius Demetrium Nicatora dicere vult eiusque apud Babylonem praefectum, cum de illius clade poſtea referens, alterum hoc bellum inter Mithridatem et

(1) l. V. c. 4. (2) p. 26.

et Demetrium nuncupauit. Extrema narrationis iſtius indignis foedata ſunt erroribus: ſed haud difficulter apparet, Oroſium in animo habuiſſe Tryphonem, quem Appianus Alexandrinus, Liuii epitome, et Strabo Diodotum vocant, tutorem, non patrem, Alexandri. *Alexandrum* enim, Alexandri Balae filium, Liuius et Appianus vocant, *Antiochum* Fl. Ioſephus. Demetrius Nicator a Mithridate captus eſt A. V. C. 613. cum a Graecis Macedonibusque in Babylonia atque Hyrcania, ex ſegnitie, cui ſe dediderat, ad recuperandas prouincias excitatus eſſet. (3) Eodem anno bellum hoc ſuscepit: nam Maccabaicarum priorum auctor, (4) diſerte ponit res iſtas in anno Seleucidarum 172. qui A. V. C. 613. menſe Septembri ſecundum Babylonios iniit, ſed ſecundum hunc auctorem a Niſan ſeu Martio fere menſe eiusdem anni V. C. Ante hunc annum bellum Indicum a Parthis confectum eſt, vt vel ex Oroſio apparet. Quo in bello Mithridates prouincias cis Indum occupaſſe videtur, dum Eucratides Demetrium reliqua India ſpoliaret. Diodorus Siculus in excerptis Peireſcianis: μέχρι τῆς Ινδικῆς διατείνας, τῆς ὑπὸ τὸν Πῶρον γενομένης χώρας ἐκινδύνευσεν ἀκινδύνως, *vsque in Indiam, quae olim Poro regi ſubiecta fuerat, profectus in armis, regionem illam ſine periculo ſubegit.* Graeci fere vbique Porum crepant, cum de India ſermo eſt. Neque enim veroſimile eſt, Mithridatem regiones intra Hydaspen et Indum occupaſſe, cum Eucratides reliquam Indiam eodem tempore ſubegerit, inter quam Indiam Bactriamque hae Pori

(3) Confer Iuſtinum l. xxxvi. c. 1. et Ioſephum l. xiii. c. 9.
(4) c. XIV. 1.

prouinciae interiectae fuerunt. Suſcipi autem bellum Indicum non potuit, vel Oroſio teſte, antequam Mithridates Mediam, Hyrcaniam, Elymaida totamque Perſiam deuicit. Quas res non videtur aggreſſus, Demetrio Sotere ſaluo. At vbi turbari coeptum in Syria et Alexander Bala A. V. C. 602, Demetrium regno exuerat, inter prouinciarum diſtracta amborum fauore ſtudia, opportunitas Mithridati fiit, tot prouincias a Syriae regno auertendi. Numus Eucratidis, quem poſtea copioſius explicabo, annum 108. habet, ſine dubio epochae Bactrianae, qui annus ex noſtris rationibus A. V. C. 606. Septembri menſe iniit. Igitur cum hoc in numo victoriae eius Indicae celebrantur, quibus vt Iuſtinus ait, *Indiam in poteſtatem redegit*, ante eum vtique annum a Demetrio rege obſeſſus et paene ad incitas redactus, Parthorum auxilia circumſpexit. Parthis autem ab vna regione Demetrium aggredientibus, Eucratides regem duplici diſcrimine occupatum media in India oppreſſit, cuius finem belli, anno vno poſt numum cuſum ſtatuo, ex iis rationibus, quas infra exponam.

XXXVII. Illum autem Demetrium, quocum Eucratidi bellum fuiſſe Iuſtinus teſtatur, Euthydemi filium fuiſſe, ex Strabone apparet. Nam teſtimonium illius ſupra produximus, ex quo nobis conſtat, hunc Euthydemi filium poſt Menandri regis fata totam Indiam occupaſſe. Fuerit Demetrius A. V. C. 548. cum inter Antiochum M. et Euthydemum patrem amicitiam conciliaret, annos natus duodeuiginti, minor eſſe non potuit, quando ille patris regnique ſui cauſſam, ita prudenter egit, vt ipſe dignus

gnus videretur Antiocho, qui regnaret: maior autem idem esse non potuit, cui filiarum aliquam rex desponderet admodum infantem, quemque iis verbis Antiocho placuisse praedicat Polybius, vt aliquid amplius suspicari nos oporteat, quod verecundia iubet reticere. Ex his consequitur, Demetrium, cum regno exueretur, annos fuisse natum circiter octo et septuaginta, raro exemplo principum. Fateor, haec initio me perculisse. Exstant tamen exempla in illorum temporum principibus, qui multa domi militiaeque perpessi, ad grandem aetatem peruenerunt. Seleucus Nicator septem et septuaginta natus annos, Lysimachus autem quatuor et septuaginta praelio concertarunt: *sed in hac aetate*, inquit Iustinus, *vtrique animi iuueniles erant, imperiique cupiditatem insatiabilem gerebant.*

XXXVIII. Quando Apollodorus in Parthicis apud Strabonem, (5) Eucratidem non amplius, quam mille vrbes tenuisse testatus est, illa tempora respicit, cum solam Bactrianen teneret, non vero Indiam, quae sola multo plures vrbes continebat, cum Artimedorus vel in regione intra Hydaspen atque Indum ad quinque millia vrbium recenseat, quarum nulla minor esset Co in Meropide. Itaque Eucratides, India subacta, merito titulum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ sumpsit. Praeter bella, eundem de ordinanda re publica cogitasse inuenio. Testimonio est Eucratidia vrbs ab eo seu condita, seu aucta colonis. Strabo: (6) Εὐκρατίδεια τῷ ἄρξαντος ἐπώνυμος. *Eucratidia cognominis principi*, quam vrbem Cl.

(5) l. c. (6) p. 356.

Ptolemaeus in Bactriis, ſupra Bactra, propius Zariaspa ponit. Peruenisse eum ad ſummam senectutem inde mihi videor intelligere, quod filium in societatem regni recepit. Neque vultus regis in numo ab hac opinione abhorret et diuturnitas regni illius ex magnitudine rerum a nobis euicta, id ipsum vel in primis postulat. Excitum vitae nactus est virtutibus rebusque gestis indignissimum. Iustinus postquam de victoriis illius Indicis narrauit: *vnde cum se reciperet, a filio, quem socium regni fecerat, in itinere interficitur: qui, non dissimulato parricidio, velut hostem non patrem interfecisset et per sanguinem eius currum egit et corpus abiici insepultum iussit.* Onesicritus apud Strabonem (7) narrat, Bactrios et senio confectos et morbo, viuos canibus proiecisse dedita opera ad hoc edoctis, quos lingua patria ἐνταφιαστὰς *vespillones* appellent, καὶ ὁρᾶσθαι τὰ μὲν ἔξω τείχους τῆς μητροπόλεως τῶν Βάκτρων καθαρὰ, τῶν δὲ ἐντὸς τὸ πλέον, ὀστέων πλήρες ἀνθρωπίνων, *et videri quidem quae extra moenia sunt metropoleos Bactrorum, pura, interiora autem magnam partem ossibus humanis plena.* Sed errauit sine omni dubio Strabo, cum, quae de sepulturae talis sane non humani moris loco, separato tamen ab hominum turba et moenibus suis cincto Onesicritus dixit, qua de re Thomas Hyde in historia religionis Persarum amplissime persecutus est, ea ad totam vrbem et moenia eius transtulit. Verum, eodem teste Onesicrito, hunc morem Alexander in Bactriis sustulit et vel ex Menandri funere, quemadmodum Bactriani reges Graeco more in rogum fuerint impositi, constare nobis potest, vt nusquam aliquid excusationis Theodoti hoc factum inueniat.

XXXIX.

(7) p. 356.

XXXIX. EVCRATIDES Eucratidis filius. Hoc nomen parricidae fuisse nusquam inuenio, sed valido ratiocinio colligere mihi sum visus. Nam quaedam de Eucratide dicuntur, quae in illum superiorem non cadunt: fuit igitur, cui illa conueniunt, et ipse dictus Eucratides. Caussa occidendi patris fuisse videtur, quod Parthis studeret, a quibus fuerat adiutus. Nam filium, animo ab iis auerso fuisse, foedus illius, cum Demetrio Nicatore contra Parthos demonstrat. Iustinus, cum de expeditione Demetrii agit, (7) *eius aduentum non inuitos orientis populos vidisse* testatur, *et propter Arsacidae regis crudelitatem, et quod veteri Macedonum imperio adsueti, noui populi superbiam indigne ferebant.* Sed Iosephus hic crebras legationes commemorat rebus Demetrii studentium, quibus excitatus denique fuerit: (8) καὶ γὰρ οἱ ταύτῃ κατοικοῦντες Ελληνες καὶ Μακεδόνες συνεχῶς ἐπρεσβεύοντο πρὸς αὐτὸν, ει πρὸς αὐτοὺς ἀφικοιτο παραδώσειν μὲν αὐτοὺς ὑπισχνούμενοι, σεγκαταπολεμήσειν δ' Αρσάκην τὸν Πάρθων βασιλέα. *nam Graeci et Macedones, qui isthic regionum colebant, assiduas legationes ad eum miserant cum mandatis, si ad se venisset, tradituros se suaque et vna debellaturos Arsacen Parthorum regem.* Macedonas dicit in prouinciis Medicis Persicisque, quos Mithridates debellauerat, Graecos ex constanti ratione loquendi, quae apud priscos scriptores de his rebus fuit, Bactrios et Indos. Nam Eucratidem cum ceteris contra Parthos pro Demetrio conspirasse, Iustinus diserte demonstrat, in hunc modum fatus: *Demetrium adiutum Persarum, Elymaeorum et Bactrianorum auxiliis fuisse.* Itaque nunc concludo, quando Demetrius contra Parthos,

anno

(7) l. XXXVI. 1. (8) p. 443.

anno Seleucidarum 171 ſeu ante C. N. 142 mouit, Eucratidem hunc ſaltem tribus antea annis regnare atque inde pro Demetrio cum Macedonibus omni in Perſia conſpirare coepiſſe, vt tandem Demetrius poſt iſtas crebras legationes ſociorum, tantam ſpem animo conciperet.

XL. Et miretur adhuc quisquam, ſi tumultu hoc Syriaco celeriter ſedato, Mithridates aduerſus Eucratidem, concitatorem huius belli duxit. Id nobis Strabo perſuadet, cum infit: (*) ἀφείλοντο δὲ (οἱ Πάρθαι) καὶ τῆς Βακτριανῆς μέρος, διαστάμενοι τοὺς Σκύθας καὶ ἔτι πρότερον τοὺς περὶ Εὐκρατίδαν, *Parthi quoque partem Bactrianae ademerunt, Scythis victis et antea cum Eucratid. bello geſto.* Prouincias, quas eripuerint, poſtea nominat: (9) τήν τε Ἀσπιώνην καὶ τὴν Τυρίαν ἀφήρηντο Εὐκρατίδην οἱ Παρθυαῖοι. Fuiſſe tamen Eucratidem ſic ſatis adhuc validum, ex eo poſſis coniecturam facere, quod Mithridates ditionum quadam parte acquiſita conquieuit. Secutum eſſe bellum Scythicum, ex prologo primo atque quadrageſimo Trogi Pompeii ſentio. *In Bactrianis autem rebus, vt a Diudoto regnum conſtitutum eſt: deinde, quo repugnante Scythiae gentes Sarancae et Aſiani Bactra occupauere Sogdianos.* Probabilis coniectura eſt Iacobi Bongarſii, legendum eſſe: *Bactra occupauere et Sogdianos.* Strabo autem cum de Scythis Nomadibus agit, quos inde a Volga, Caſpio mari atque Iaxarti praetendit, *Daas* cognomine citat, orientemque verſus *Maſſagetas* et *Sacas*, tum vero inquit: (10) μάλιστα δὲ γνώριμοι γεγόνασι τῶν Νομάδων οἱ τοὺς Ἕλληνας ἀφελόμε-

(*) p. 355. (9) p. 356. (10) p. 352.

λόμενοι τὴν Βακτριανὴν, Ασιοι καὶ Πασιανοὶ καὶ Τάχαροι καὶ Σακάραυλοι, καὶ ὁρμηθέντες ἀπὸ τῆς περαίας τοῦ Ιαξάρτου, τῆς κατὰ Σάκας καὶ Σογδιανοὺς, ἣν κατεῖχον Σάκαι, καὶ τῶν Δάων οἱ μὲν προσαγορεύονται Απαρνοι, οἱ δὲ Ξάνθιοι, οἱ δὲ Πισσουροι. *Maxime autem inclaruerunt ex Nomadibus, qui Bactrianam Graecis ademerunt Asii, et Pasiani et Tachari et Sacarauli et qui impressionem fecerunt ab vlteriori ripa Iaxartis, quae prope Sacas et Sogdianos est, quam Sacae tenent, et ex Dais, qui Aparni et Xanthii et Pissuri dicuntur.* Strabonis *Asii* et Trogi Pompeii *Asiani*, iidem videntur, qui aliis Oxiani, ab اقصي *Aksai*, Oxo inquam fluuio. Nam frustra Bongarsius in Trogi prologo pro *Asianis* reposuit *Arrianos*. Ammianus Marcellinus (1) situm eorum descripsit: *circa defectus et crepidines montium, quos Imauos et Tapurios vocant, Scythae sunt intra Persicos fines Asianae*, (ita enim malo, quam Gronouianum *Asianis*) *contermini Sarmatis, Alanorumque latus tangentes extremum: qui velut agentes quodam in secessu coalitique solitudine, per interualla dispersi sunt longa, adsueti victu vili et paupertino.* Tachari ad orientem fere Bactriorum, vbi nunc ferme طخارستان *Tocharestan*. *Sacarauli* videntur ex Sacarum populo fuisse. De *Pasianis* nihil inuenio. Sed in Trogi epitome interseruntur etiam *Sarancae*, qui Plinii *Sarangae*, Herodoti Σαραγγαῖοι et Σαράγγαι, populus ad Sarangem fluuium. Ab his gentibus Bactrianum Graecorum regnum extinctum fuisse videtur. Nam in Trogi Pom-

(1) p. 292. ed. Gron.

peii prologo ſecundo et quadrageſimo, rebus Parthicis cum M. Antonio Triumuiro geſtis, *additae res Scythicae: Reges Toclarorum Aſiani, interitusque Saraucarum.* Bongarſius egregie *Tocharorum* repoſuit et pro *Sarducarum*, ſuſpicatus eſt, *Carduchorum* legendum eſſe. Quos vero mihi *Carduchos* dicit, vel *Carduchios*? Immo pro *Sarducarum*, credo ſcriptum fuiſſe *Sacarum*, qui populus poſtea ita validus eſt factus, vt totam Indiam occuparit. Hae vero res iam ad Eucratidem eiusque tempora non pertinent. Parthi enim Graecos in Bactriana ad extremum oppreſſerunt, et barbaros quoque victores Graecorum ſub iugum miſerunt. Nam in hunc Eucratidem conuenit, quod Iuſtinus ait: *Bactriani per varia bella iactati, non regnum tantum, verum etiam libertatem amiſerunt: ſiquidem Sogdianorum et Drangitanorum Indorumque bellis fatigati, ad poſtremum ab inualidioribus Parthis velut exſangues oppreſſi ſunt.* Poſt victum Eucratidem, res Parthorum geſtas fuiſſe cum iis populis, qui paullo antea Eucratidem adflixerant, Strabo loco ſupra citato diſerte teſtatur. Quare Caeſaris Auguſti aetate Sex. Propertius Bactrios et Seras *Parthae telluris alumnos* dixit. (*)

XLI. Nihil iam deinde magnopere de Bactriis apud ſcriptores noſtros reperio, niſi quod Periplus maris Erythraei ſub M. Aurelii Antonini aetatem habet: (2) μαχιμώταλον ἔθνος Βακτριανῶν ὑπὸ βασιλέα ὅσαν ἴδιον τόπον, ita enim corrupte editum eſt a Ioanne Hudſone, qui de medicina huius loci non ſatis potuit ſecum con-

(*) L. IV. eleg. III. v. 7. 8. et 67. (2) p. 27.

conſtituere. Credo ſcriptum fuiſſe, ὑπὸ βασιλεῦσιν ἰδίοις ἔθνων, *gens bellicoſiſſima Bactriorum, qui ſub propriis regibus ſunt.* Hi forte illi reges, quorum in prologo Trogi Pompeii mentionem factam memorauimus. Bardeſanes, qui extremis Parthici regni annis deceſſit, ſic, vt prope attingeret Perſicum, quod deinde fuit, imperante in orbe Romano Alexandro Seuero, de ſuis temporibus tradit, (3) Bactrianas mulieres omni cultus atque mundi elegantia, tum vnguento delibutas, prodire ſolitas in equis, multo cum auro et gemmis, longo cum mancipiorum comitatu et hoſpitibus omni matronali pudore poſito miſceri, nam *virorum* inquit, *iram minime metuentes*, χεδὸν κυριεύουσιν αὐτῶν, *fere viris dominantur.* Tantum potuit degenerare virtus. Poſtea Bactrii ſub Perſis fuere iisdem fere finibus, quibus Parthi tenuerant. Ammianus Marcellinus, (4) vbi Perſicas prouincias recenſet, *Bactrianos*, nominat, *Sogdianos*, *Sacas*, *Scythas vltra Emodon montem*, *Sericam*, *Paropaniſadas*.

XLII. Diximus in Eucratide ſuperiori, de numo illius argenteo ſtrictim, vt telam, quam exorſi eramus, pertexere poſſemus, nunc de hoc numo agemus explanatius. Eum vel ab Aſtrachano vel a Caſano, neque enim ſatis recordor, illuſtriſſimus Comes Iacobus Daniel Bruceus, inter S. Imp. Maieſtatis ſummos belli duces, virtute, fide, prudentia excellenti, his autem pacatioribus ſtudiis, quoad vixit, impenſe deditus, recepit. Vt ad nos transmitteretur, aegre obtinuimus, quod ſibi in

(3) In Euſebii Praeparatione Euangelica p. 276. (4) l. XXIII. c. 6.

multis cimeliarchiis verſato, vſumque in hac numaria diſciplina multorum ſtudio annorum conſecuto, de genuitate autem eius ſpondenti, credi oportere contenderet: ἐκτυπον enim illius dudum ad me Moscua et vltro quidem miſerat. Paucis ante obitum diebus expugnari tamen ſe eſt paſſus, vt eum ad Academiam transmitteret. Poſtquam autem diem obiit ſupremum, non tantum hoc nu-
Tab. I. 1. mo, ſed toto eius numophylacio et cimeliarchio Muſeum Imperatorium accreuit. Nobis vero de genuitate numi dubitare non lubuit, et grauitatem tanti viri et experientiam reputantibus: neque nunc, poſtquam ipſi oculis noſtris ſpectauimus, licet. Pendet in exactiſſima bilance Leutmanniana $1\frac{1}{2}$ drachmam Colonienſem. Aduerſa inſigni eminentia et capitis et galeae: auerſa depreſſiori eſt area, ad modum numorum Lyſimachi et Syriae regum. Caput tectum eſt galea: ſub ea frontem diademate ſtringi, faſciae argumento ſunt, quae circum ceruicem fluitant. In auerſa duo equites cum tiaris Bactriis, ramis palmae et ſariſſis. Inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ ΕΥΚΡΑΤΙΔΟΥ et epocha ad latus HP annus 108. Hi equites vel Graeci ſunt in *Eucratidis* exercitu, vel Bactrii Macedonica diſciplina *adſuefacti*: ſariſſas gerunt, vt Macedones, tiaras vt *Bactrii*. Herodotus de Bactriis in exercitu Xerxis regis contra Graecos: (5) Βάκτριοι περὶ τῇσι κεφαλῇσι ἀγχόλαλα τῶν Μηδικῶν ἔχοντες ἐσεταλεύοντο, τόξα δὲ καλάμινα ἐπιχώρια καὶ ἀιχμὰς βραχέας. *Bactrii ornatum capitis perſimilem Medico gerebant arcusque arundineos, qualis ai undo iſthic gentium*

(5) l. VII. c. 64.

tium creſcit et breues haſtas. Geſtabant autem Medi τιάρας, quos vulgo Graeci πίλους ἀπαγίας *pilos compactos* dicebant. Non poſſum hic illaudatum praetermittere Dionis Pruſaei Chryſoſtomi locum, qui in oratione de corporis cultu (6) ſic fatus eſt: ἐνθα γὰρ ἐνίοτε βλέπουσιν ἀνθρώπους, τοὺς μέν τινας πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντας, ὡς νῦν τῶν Θρακῶν τινες, πρότερον δὲ Λακεδαιμόνιοι καὶ Μακέδονες. ἄλλους δὲ τιάραν καὶ ἀναξυρίδας, καθάπερ οἶμαι Πέρσας τε καὶ Βάκτριοι καὶ Παρθυαῖοι καὶ ἄλλοι τῶν βαρβάρων. *Hic nonnumquam vident homines quosdam, gerentes in capitibus pileos, vt hodie Thraces nonnulli geſtant, quondam Lacedaemones quoque et Macedones: alios iterum tiaram et anaxyridas, puta Perſas et Bactrios et Parthos et alios praeterea barbaros.* Hos igitur tiaras in numo Bactriano cernimus: at loco breuium haſtarum videmus ſariſſas, quas Macedones illarum in locum ſubſtituerunt. Neſcio an operae ſit pretium, tamquam a Macedonico more tractum iudicari, quod equites ſint raſi, raſus item Eucratides. Nam Iulius Africanus in Ceſtis: (7) αὐτός τε γὰρ καὶ τοὺς σφαιρώτας ἐκέλευσε ξυρᾶσθαι τοὺς πώγωνας ὁ Ἀλέξανδρος, καί τινος ἐπιμηήσαντος, ὅ τι τῷ προσώπῳ τὸν κόσμον ἀποκείρεις; ὁ δὲ, ἐκ εἰθα γὰρ, ἔφη, ὦ ἀσφάλιστε, πώγωνος ἐν μάχῃ μὴ εἶναι εὐκαιρότερον λαβήν. *Ipſe enim Alexander milites in exercitu barbas radere iuſſit et reprehendente eum quodam, quorſum decus corporis abradis? tum vero ille, at neſcis, homo imbellis, nihil commodius in pugna prehendi poſſe quam barbam.* Sed nihil ex inſtituto Macedonum re-

(6) p. 628. (7) p. 278. ed. Theuenoti. Εὐκαιροτέρας emendaui, vt litterae vnius mutatione ſenſus expediretur, qui antea erat, vt plerisque in locis Ceſtorum nullus.

quiri hic patietur, qui ſecum conſiderabit, morem peruetuſtum in oriente fuiſſe, radi. Denique equites in numo gerunt ramos palmarum, certum victoriae argumentum, quam Eucratides de Demetrio atque Indis reportauit, vt ſupra pluribus expoſui.

XLIII. Euthydemus inter foederis conditiones hoc praecipue apud Antiochum M. tenuerat, vt regio titulo, quem ſumpſerat, non priuaretur. At Eucratides, quod ex hoc numo liquet, etiam ΜΕΓΑΛΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ nomine dignam potentiam ſuam iudicauit, in quo priſcos Perſiae Indiaeque reges, atque, qui tum erant, Parthicos aemulatus eſt. Regum nomen ita vulgabatur toto oriente inter minorum multitudinem principum, vt ſingularum quoque vrbium tyranni, reges dicerentur, ex quo apud Phaedrum in fabula, *rex vrbis*, et paſſim etiam apud Graecos veteres, annotante Euſtathio Theſſalonicenſi in parecbolis Homericis, viri ſapientia et auctoritate ante alios eminenti. Cum autem quorundam imperiorum maieſtas altiori in gradu collocata eſſet, regesque exiſterent, quibus ſeruirent reges, ex eo *reges regum* et *reges magni* dici coeperunt, qui alios ſub poteſtate haberent. Perſarum reges, ſicuti nunc پادشاه *Padiſchah*, Indis पातेशं *Padſcha*, ita olim fere شاهنشاه *Schahinſchah*, *reges regum* dicti. Ammianus Marcellinus: (8) *Perſis Saporem et Saan Saan appellantibus, quod rex regum interpretatur.* Itaque ΣΑ in numo Phrahatis II meo iudicio neque

(8) p. 164. ed. Gron.

que vrbem, neque monetarium (9) significat, sed ΣΑΝΣΑ. Similiter in numo Pharnacis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ ΦΑΡΝΑΚΟΥ. ΣΣΑΝ, malo legere ΣΑΝΣΑΝ, quam cum Carolo Patino, qui numum primus edidit, ΟΣΣΑΝ vel cum Ezechiele Spanhemio refingere (10) ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ. Graeci sane illum titulum enunciarunt, aut, veluti in Hippocrateis illis epistolis, Βασιλέα βασιλέων μέγαν, aut tantummodo τὸν μέγαν βασιλέα: ista enim magis abhorrebant a consuetudine Graecorum, (*) quamquam eo exemplo ἄρχοντα ἀρχόντων (1) et multa alia sequior aetas dixit. Hoc autem μεγάλῳ βασιλέως vehementer delectati sunt Graeci Asiatici, qui sub Persarum potestate fuerunt, etiam deinde alii, si qui Persicis opibus studiisque obnoxii essent. Herodotus Halicarnassensis, στρατεύεται βασιλεὺς ὁ μέγας et eundem in modum saepius. Athenienses quoque τὸν βασιλέα sine adiecto τῶν Περσῶν, vt in Isocrate, Demosthene, Platone, Aristophanis scenis. Nam Isocrates vsque adeo negat, (2) Athenienses *magnum* appellare, confessionem eam seruitutis opinantes. Plato vero in eo etiam lusit tertio de legibus, (3) cum Persarum regem nullum ait vmquam fuisse, nisi nomine solo, *magnum*. Et Lacedaemonios quidem regi Persarum hunc tituli honorem constanter negasse neutiquam ambigo, quando etiam Agesilai regis ea in re iocus satis notus est: (4) Athenienses vero

(9) Vt Vaillantius in historia Parthica statuit p. 60. (10) De vsu et praestantia numismatum t. 1. p. 487. (*) Sic Graeci suum Agamemnonem vocitarunt, et eorum exemplo Cicero epist. ad Famil. l. IX. 14. *Agamemnonem regem regum*, et T. Liuius l. XLV. c. 27. Velleius Paterculus l. 1. c. 1. (1) Constantinus Porphyrogenneta de administrando imperio p. 114. 118. ed. Band. (2) p. 154. ed. Vuolf. (3) p. 536. ed. Henr. Petri. (4) Vide Plutarchum in Apophthegmatis p. 190 et de fuit laude p. 545.

vero cur Iſocrates ſic ſeu liberos ſeu cautos fuiſſe glorietur, nihil cuiquam invenio. Eius aequalis Plato in Lyſide, Euthydemo, Gorgia, de Legibus, paſſim τὸν μέγαν βασιλέα appellat, idque ille, tamquam, ſi Socrates ipſe, omnium Athenienſium longe liberrimus fuiſſet effatus. Ex eadem ſchola Xenophon, ab illo titulo, vt opinor, exemplo magiſtri non refugit. Nam Ariſtophanes populum Athenienſem iisdem temporibus ea cauſſa etiam irriſit, cum in Acharnenſibus Dicaeopolin πολιτικὸν, μὰ δία, ἄνθρωπον, inducit ita alloquentem Pſeudartabanum:

Βασιλεὺς ὁ μέγας ἡμῖν ἀποπέμψει χρυσίον;
Nunquid rex magnus nobis mittet aurum?

Hic quidem vtpote ſubſidiis contra Spartanos inhians ex adulatione, alii metu, vt Socrates in Platonis Legibus pungere eos videatur, καθάπερ νῦν τὸν μέγαν βασιλέα φοβούμεθα ἡμεῖς, plerique ex conſuetudine populi, quam philoſophi quoque ſecuti ſunt. Neque immerito. Dio Chryſoſtomus (5) Hippiam Eleum inducit, qui ex Platone doceret, ſolum Perſarum regem ob potentiam per Aſiam omnem vsque ad Indos, per Libyam denique, extentam, *magnum* vocitatum. Et cum Perſarum regnum dudum concidiſſet, ſophiſtae aliique priſci ſermonis aemuli, obſoletarum vocum quaſi ſpoliis ſuas ſoliti exornare diatribas, Perſarum regem haud fere aliter, quam τὸν μέγαν βασιλέα vocant, ſine adiecto gentis nomine. Maximus Tyrius (6) etiam Alexandrum

(5) p. 42. (6) p. 196. ed. Heinſii. Hunc locum Heinſius ad regem Perſarum incommode applicat. Alibi tamen p. 300. βασιλέα ſine adiecto dicit Perſam, veluti ſi non ſub Antoninis Romae, ſed Tyri ſub Artaxerxe aliquo viueret.

andrum M. ſic appellat, videlicet quod Perſas ſubegiſſet. Philo rectius traduxit ad deum, quem lubenter et ſaepe vero τὸν μέγαν βασιλέα nuncupat. (6) Poſtquam duces Macedonum, Alexandro defuncto et regia extincta domo, reges ſeſe appellari paſſi ſunt, fuerunt quoque, qui iſtum regis titulum vſurparent, quae res maiorum conſiliorum deſtinationem videtur continere. Inſcriptio Adulitana: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ. Non mirum, in Alexandrinis, quibus omnia ſua viſa ſunt magna et Nilus quoque ſuus μέγας, vel, quemadmodum illi nonnumquam enunciabant, μεγάλος πόλαμὸς, vt iam dudum Claudius Salmaſius monuit, dictus fuit. (*) Rara tamen illa in regibus Aegypti Syriaeque ambitio, quod quidem ex numis aut titulis lapidum conſtet, in M. Antonio autem etiam ridicula fuit. (7) At Parthi, cum caput extuliſſent in Aſia, hunc titulum Perſiae regum quaſi poſtliminio reduxerunt. Sic enim fere illorum in numis:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ
ΑΡΣΑΚΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ
ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ

In alio apud Nicolaum Haymum Romanum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ
ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ
ΦΙΛΑΕΛΛΗΝΟΣ

(6) Vide eum de mundi opificio p. 12. 15. et 20. ed. Pariſinae; conf. eundem de Decalogo p. 752. (*) Fruſtra ſunt, qui Salmaſio ea cauſſa dicam ſcripſerunt, confer Alciphronem p. 236. et quae ibi Stephanus Bergler monuit. (7) Plutarchus in Antonio p. 941. Dio Caſius p. 475. Numus apud Ioannem Valentem: CLEOPATRAE REGINAE REGVM.

Et in alio:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ

Alii reges, vel aemulatione Parthorum, ad oſtentandam potentiam ſuam, vel, quibus quidem, minores cum eſſent, Romani conceſſerunt, ad irridendos Parthos et poſtea Perſas, vſurparunt. Sed Abgarum illum, de quo alibi dixi, Septimius Seuerus Imp. Auguſtus, certe vt Parthos vreret, nuncupauit *regem magnum*, quemadmodum Perſarum cauſſa poſtea Conſtantinus Magnus Anniballianum *regem regum* dixit, in Excerptis de geſtis Conſtantini a Iacobo Sirmondo primum editis. At Eucratides hic ſine controuerſia potentiam ſuam orientisque totius imperium oſtentauit, cum praeſertim vniuerſam Indiam ſibi deſpondiſſet, in qua dudum Sandrocottus μέγιστον βασιλέα ſeſe nuncupauerat, in qua etiam poſtea, rex *Belur* a Perſis Arabibusque ملوك الهند عظيم من Μέγας Βασιλεὺς τῆς Ινδίας et ملك ملوك الهند Βασιλεὺς βασιλέων τῆς Ινδίας dictus fuit, quemadmodum ſupra commemoraui.

XLIV. Argentum huius numi ex metallis Bactrianis videtur fuiſſe, de quibus Photius ex Cteſiae Indicis: ἔστι ταυτόθι ἄργυρος πολὺς καὶ ἀργύρεα μέταλλα, ἐ βαθέα, ἀλλὰ βαθύτερα εἶναι φησὶ τὰ ἐν Βάκτροις. *Eſt in India argentum multum, et auriſodinae ſunt non profundae, at profundiores Cteſias dicit in Bactris eſſe.* Vnde Straboni (8) Bactriana, πάμφορος *omnium rerum*

(8) p. 355.

rum ferax, excepto oleo. Ars in capite praeſertim numi ſingularis, vt appareat, Graecos regionis affluentia allectos, non modo ex plebe, ſed ſubacto praeſtantes ingenio atque induſtria viros fuiſſe eximia. Si quem moueat inſcriptio illis in regionibus Graeca, huic primum numos, quotquot exſtant, Parthicos, eiusdem linguae inſcriptionibus inſignitos obiiciam, tum vero titulum tot regum Parthicorum ΦΙΛΕΛΛΗΝΩΝ proponam, vt ſecum quisque conſiderare poſſit, quanta poſt Alexandri M. res geſtas omni in oriente opinio nominis Graeci, artium vero Graecarum exiſtimatio fuerit: quae conſideratio, vt in eorum hiſtoria populorum eſt neceſſaria, ita in ipſius philoſophiae per has regiones fatis cognoſcendis erit perutilis. Graecos numos ab Graecis in Bactriis Indiaque regibus cuſos fuiſſe, auctor vetus peripli maris Erythraei diſerte teſtatur. (9) Poſtquam enim expeditionem Alexandri M. in Bactriana atque India commemoraſſet, ἀφ' ἧς, inquit, μέχρι νῦν ἐν Βαρυγάζοις παλαιὰι προχωρῆσι δράχμαι, γράμμασιν Ελληνικοῖς ἐγκεχαραγμέναι, ἐπίσημα τῶν μετὰ Αλέξανδρον βεβασιλευκότων Απολλοδότου καὶ Μενάνδρου. *Ab Alexandri M. temporibus hucusque in Barygazis antiquae promiſcuo in vſu ſunt drachmae litteris Graecis exaratae et memoria regum, qui poſt Alexandrum regnarunt, Apollodoti Menandrique.* Illorum autem numorum arte Indi praecipue videntur permoti, vt non modo in pretio eos haberent ob materiam, ſed etiam propter elegantiam in honore. Nam is ipſe auctor, dum merces in Barygazis ſtudioſe recenſet, denique ponit (10) δηνάριον

(9) p. 27. ed. Hudſ. (10) p. 28.

ειον χρυσῦν καὶ ἀργυρῦν, ἔχον ἀλλαγὴν καὶ ἐπικερδεάν τινα πρὸς τὸ ἐντόπιον νόμισμα, *denarios aureos et argenteos, qui quaeſtuoſo lucro cum moneta domeſtica permutantur.* Id ipſum Coſmas Aegyptius multis poſt ſeculis teſtatur, (*) de potentia Romanorum concludens, ὅτι ἐν τῷ νομίσματι αὐτῶν ἐμπορεύονται πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐν παντὶ τόπῳ ἀπ' ἄκρου γῆς δεκτόν ἐστι, θαυμαζόμενον παρὰ πάντος ἀνθρώπου καὶ πάσης βασιλείας, ὅπερ ἑτέρα βασιλεία οὐχ ὑπάρχει τὸ τοιοῦτον, *quod omnes populi cum eorum numismate ſalutis inſtituant et omnibus in locis inde ab extremis orbis terrarum apud omnes homines omnique in regno, numiſma Romanum in admiratione eſt, quod alii regno ſimiliter non accidit.* Suppudet me ad hunc locum monere, cum Romanos appellat, Byzantios dicere Coſmam. De aureis nihil dicam, erant enim tum Romani ſoli, qui cuderent: ſed argenteorum cum moneta Indica permutatio quam lucroſa eſſe potuit, niſi Indi propter Romanorum artem numorum plus argenti ſui appenderint, quam penderent Romani?

XLV. Mirum autem magis eſt, quod Parthi, ſuperba gens, Graecis numos litteris ſignarint, quam quod Eucratides vel Apollodotus et Menander, Graeci homines. Scilicet ars illa flandi numos cudendique ad barbaros a Graecis artificibus nondum emanauerat, et plenae erant poſt Alexandri expeditionem Graecis omnes illae prouinciae. Primum quidem ab eo tempore cum Graeci in Aſia ſub Perſarum ditionem redacti fuere et frequentes

(*) Topographiae Chriſtianae p. 148.

tes in Perſiam commeare ſolebant, ſedesque iſthic capere et multis bellis captiui abrepti ſunt. Multo autem plures, quam alias, a Xerxe ſunt tranſportati, in quibus Branchidae Apollinis Didymaei proditores exercitum Perſarum vltro ſecuti et in Bactriana collocati ſunt, quorum vrbem ſacrilegii vindicandi cauſſa, Alexander a fundamentis diſiecit. (1) Sub Darii Codomanni ſignis Graecorum multi contra Macedonem militarunt. Sed plurimi ab Alexandro paſſim in Perſia, Bactriis, Sogdianis Indisque in coloniam ſunt deducti et a Seleucidis regibus ad ſtabiliendam hac via potentiam in ſupplementum miſſi, aut aliis commodis allecti. Alexander quoque ex barbaris, ingenuorum millia ad triginta, teſte Plutarcho (2) delegit, qui et bellum ex Macedonica diſciplina gerere diſcerent et Graecis artibus, ſermone denique Graeco inſtituerentur. Itaque huiusce vſus linguae apud omnes illas gentes in deliciis fuit, vt apud Parthos reges Graecae quoque tragoediae actitarentur, quemadmodum Euripidis Bacchae apud Orodem regem, cum maxime de P. Craſſi clade adferretur. Tanto autem poſt Eucratidem tempore, cum ad Caeſarem Auguſtum a Pandione Poroque Indiae regibus legati venirent, Nicolaus Damaſcenus, qui cum iis Antiochiae ad Daphnen egit, teſtatur, (3) habuiſſe eos ἐπιϛολὴν Ελληνικὴν ἐν διφθέρα γεγραμμένην, δηλοῦσαν, ὅτι Πῶρος εἴη γράψας, ἑξακοσίων βασιλέων ἄρχων, *epiſtolam Graecam in diphthera ſcriptam, quae ſignificarit, quod Porus ſexcentorum regum princeps eam ſcripſerit.* Multa eam in rem apud Philoſtratum, vbi Apollinis Delii et Amyclaei,

(1) Strabo p. 356. (2) In Alexandro p. 691. (3) p. 965

Bacchi denique ſimulacra in India vidiſſe dicitur Apollonius. (4) Ridet illa ſtrictim Euſebius Caeſarienſis contra Hieroclem, (5) neque ego vero inficias eo, Apollonii iter Indicum inficetam eſſe fabulam, a Philoſtrato ad exagitandos Chriſtianos et contaminandos inſtructam, tamen, vt noui Philoſtratum, ſcriptores habuit Graecos homines, qui de rebus Indicis commentarios ediderant, ex quibus ille ſua haec ſibi viſus fuit feſtiue exornare poſſe. Ieiunos etiam iſtos, qui periere, quibusque vſus fuerit, vt ſunt, qui de his rebus ad nos peruenerunt, fuiſſe oportet, ſudauit enim magnopere Philoſtratus, vt aliqua inaudita Romanis, ad miraculum, et ad Apollonii exiſtimationem apud Chriſtianos proferret, vbi nos, qui hodie Indiam penitius cognouimus, eorum quae iſthic regionum ſine numero exſtant, noſtrorum hominum cognitione atque ſcientia digna, quaeque ambitioſe potuiſſet in commentarios ſuos referre, eorum ergo nihil reperimus. Nam Damis ille Ninius comes Tyanei et primus rerum eius ſcriptor, aut fuit nullus, ſic enim opinor, aut in India vtique non fuit. Quidquid eius rei ſit, narrat vtique nobis Philoſtratus, quidquid in Graecis ſcriptoribus reperit, quod dignum iudicauit, vt Apollonii immiſceret fabulis. Iam apud eundem et Phraotes rex Indiae Graece loquitur et Iarchas (6) ſummus Indorum pontifex (qualem hodie Indi appellant गोसाँइ *Guſſain*) et Graece etiam nuncius ſapientum Indiae. (7) In his Phraotes rex narrat Apollonio, ſe a patre Graecis eruditum litteris, ſapientes autem Indiae, quos Graece doctos nanciſcantur diſcipulos

(4) p. 104. ed Olearii (5) p. 443. ſeq. (6) p. 107. (7) p. 102.

diſcipulos, cupidius recipere, quam reliquos. (8) Non poſtulo, neque enim aequum eſt, vt quis ita Apollonio regem narraſſe credat, vel omnino Phraotem aliquem Indiae regem iis temporibus fuiſſe vt concedat: de Graeco ſermone in India non inuſitato, Philoſtratum alicunde accepiſſe, nequidquam dubitaueris. Nam et Coſmas Aegyptius, qui trecentis annis poſt Philoſtratum fuit, et a nauigationibus, quibus Indiam obiit, Indicopleuſtes dici ſolet, de Dioſcuriade inſula, quae nunc Socotora dicitur, (9) ἔνθα καὶ οἱ παροικοῦντες Ἕλληνιστὶ λαλοῦσι, πάροικοι τῶν Πτολεμαίων, τῶν μετὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ὑπαρχόντων καὶ κληρικοί εἰσιν ἐκ Περσίδος χειροτονούμενοι καὶ πεμπόμενοι ἐντεῦθι; καὶ χριστιανῶν πλῆθος. ἦλθον νῆσον παρέπλευσα μὲν, οὐ κατῆλθον δὲ ἐν αὐτῇ. συνέτυχον δὲ ἀνδράσι τῶν ἐκεῖ Ἑλληνιστὶ λαλοῦσιν ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ Βάκτροις καὶ Οὔννοις καὶ Πέρσαις καὶ λοιποῖς Ἰνδοῖς καὶ πάσῃ τῇ χώρᾳ Περσίδος καὶ ἐκκλησίαι ἄπειροι καὶ ἐπίσκοποι καὶ χριστιανοὶ λαοὶ πάμπολλοι καὶ μάρτυρες πολλοὶ, καὶ μονάζοντες ἡσυχασταί, *vbi coloni Graece etiam loquuntur, coloni, inquam, Ptolemaeorum, qui poſt Alexandrum fuerunt: et clerici ſunt ex Perſia ordinati et miſſi eo et Chriſtianorum multitudo: quam inſulam praeternauigaui, neque tamen excenſionem in ea feci: congreſſus vero ſum cum viris, illic qui Graece loquuntur, quique in Aethiopiam veniunt: ſimiliter vero etiam in Bactris et Hunnis et Perſis et reliquis Indis et tota regione Perſiae, cum eccleſiae ſunt infinitae, tum epiſcopi multi et monachi heſychaſtae.* Vides

ex

(8) p. 79.

ex narrationis ſerie, id quoque dicere voluiſſe Coſmam, cum in Bactris, tum in Hunnis (qui tum ſupra Indiam regionibus ampliſſimis colebant) et in India Perſiaque fuiſſe Graecos homines, aut qui Graece ſcirent, permultos.

XLVI. Itaque cum inde vsque a Cyri temporibus, Graecorum multi ſedes in extremo oriente ceperunt, ab Alexandro autem et vrbes Graecae paſſim conditae ſunt et coloni deducti, tum ad ducentos annos, tam Bactrii, quam Indi et ſub praefectis Macedonibus et ſub regibus Graecis fuere, iisque victis ad ſeptingentorum annorum memoriam, Graecos illis in regionibus frequentes coluiſſe reperimus, initis omnibus his rationibus ſubductisque, tamquam in calculo haec cogitationum mearum ſumma prodiit, fieri non potuiſſe, vt a Graecis Indi quaedam aliqua in parte doctrinae non cognouerint. Et videor mihi nonnulla deprehendiſſe, quae inde vsque adhuc ſeruent, in quo cenſu numerorum nomina pono. Apponam ea hic, primum, vt in ſuperiori India apud Multanienſes et Dellienſes efferuntur, quae quidem a Sonhhara Multanienſi, meo in hisce magiſtro, cognoui, deinde vt apud Tamulos, Toluccos ſeu Varugos pronunciantur, denique Daknice, ſiue ſermone ſuperioris Indiae, quae maxime ſub Mogulis rerum dominis eſt, vt a Miſſionariis Danicis, viris amiciſſimis, accepi.

Brah-

	Brahman.	Tamul.	Toluk.	Daknice
1		Egam	Ek	Ecum
	Heku			
2		due	dô	dujum
	Ddhu			
3		trini	tîn	ſejum
	Tray			
4		ſhatuari	tſchabâr	tſchabâram
	Tgjar			
5		pantſchu	pangj	pandſchum
	Pangj			
6		ſhattu	tſchæbe	ſchæſchum
	Tſchhe			
7		ſapta	ſat	haftum
	Tzatte			
8		aſta		haſchtum
	Aadgj			

	Brahman.	*Tamul.*	*Toluk.*	*Daknice*
9	नाउ *Nao*	*nava*	*nov*	*nohum*
10	दाइ *Ndga*	*deça*	*dæs*	*dahum*

Haec numerorum nomina velim vnusquisque cum Perſicis et Graecis conferat quibus hic adiungo Padtanica (*)

Padtanica		*Perſica*		*Graeca*
ايك	*ek*	يك	*Iek*	Εν
دو	*Dô*	دو	*Du*	Δύω
تين	*Thîn*	سه	*Seh*	Τρία
چهار	*Tſchahâr*	چهار	*Tſchehar*	
		چار	*Tſchar*	Τέσσαρα
پانچ	*Pângj*	پنج	*Pengj*	Πέντε
چهي	*Tſchæha*	شش	*Schesh*	Ἕξ
سات	*Sâth*	هفت	*Heft*	Επτὰ
		ستة	*ſitte*	
ات	*Ath*	هشت	*Heſcht*	Οκτὼ
نو	*Nov*	نه	*Noh*	Εννέα
دس	*Dæſ*	ده	*Deh*	Δέκα

(*) Ex epiſtola R. Waltheri Tranquebariae x. Januar. a 735. Lin-

Inten-

gua haec dicta ab vrbe पथान *Patthâna*, a Daknica, ſiue regionis *Thakon* et *Dhakan*, lingua, (vide, quae ſupra p. 70. dixi) non niſi dialecto differt.

In tertio numero nullam Perſicam vocem inuenio, quae vel cum Indicis vel cum Graecis concordet; nam سه *ſeh* vel *ſih* longiſſime abit. Ceterum iidem Perſae multis aliis quoque numerorum nominibus vtuntur, quae partem ab Arabibus, partem ab aliis gentibus ſunt ducta. Sed videamus praeterea ordinalium numerorum nomina. Haec lingua Sacra *Kirendum* ſeu *Graenthaim*, *Daknicaque*, vir Reuerendus et integerrimus, Chriſtophorus Theodoſius Vualther, Miſſionarius Trangambarienſium eccleſiarum mecum humaniſſime communicauit.

Brahman.	*Graendice.*	*Dakn'ce.*	*Perſice.*	*Graece*
इकम *Ekam*	*Prattima*	فیلوان *Feiluwan*	اول *Awal*	Πρῶτος
दुनी'या *Dhuttia*	*Dwitiya*	دوسروان *Duſura-wan*	دویم *Dujum*	Δεύτερος
त्रीना'म *Trittia*	*Triitiya*	تسروان *Tesrawan*	سیوم *Sejum*	Τρίτος
चोथे *Tſchoot*	*Shaturti*	چوتهاوان *Tſchautae-hawan*	چهارم *Tſchaeha-rum*	Τέταρτος

Brahman.	*Graendice*	*Daknice*	*Perſice*	*Graece*
पंचमी	*Pandſami*	پانچوان	پنجم	Πέμπτος
Pangjemi		*Pantſchuwan*	*Pangium*	
छमाटी	*Schaſchtmi*	چهناوان	شستم	Εκτος
Chas-ſchi		*Tſchahth'avan*	*Schæſthum*	
सतेमी	*Sçaptami*	ساتوان	هفتم	Εβδομος
Sattemi		*Satuwan*	*Haftum*	
आठमी	*Aſcht'ami*	اتوان	هشتم	Ογδοος
Aſchtſchemi		*Atth'uwan*	*Haſchtum*	
नोमी	*Nawami*	نوان	نهم	Εννατος
Nomi		*Nawan*	*Nohum*	
दशमी	*Dæſchami*	دسوان	دهم	Δέκατος
Dheſmi		*Duſwan*	*Dahum*	
एकादशी	*Ecadæſchi*	اکاروان	یازدهم	Ενδέκατος
Ekadſi		*Igarwan*	*Iazdahum*	

Brah-

Brahman.	Graendice	Daknice.	Persic.	Graece
ਦੋਵਾ ਦਸੀ *Dwa-dsi*	*Dwadæ-schi*	باروان *Barwan*	دوازدهم *Duuazda-hum*	Δωδέκατος
ਤ੍ਰ ਦਸੀ *Tre-dsi*	*Træyodæ-schi*	تيروان *Tirwan*	سيزدهم *Sizdahum*	Τρις καὶ δέκατος
ਚੋ ਦੇਸੇ *Tschodes*	*Shaturdæ-schi*	چودوان *Tschaud-wan*	چهاردهم *Tschæhar-dahum*	Τέσσαρες καὶ δέκατος

XLVII. Reuerendus Beniamin Schultzius, qui Madrastae in litore Coromandelino ecclesiam Christo ex paganis colligit, Brahmanas haec numerorum nomina a Romanis accepisse existimauit. (9) Haud equidem dissimulare queo, in quibusdam formam Romanis potius congruere, quam Graecis, vt *sapta*, *septem*, *nava*, *nouem*. Consideremus praeterea in progressione numerorum cardinalium, eorum rationem. In omnibus enim numeris cardinalibus, qui denarium proxime antecedunt, ita effari solent Indostani, *unawi*, αὐτὸ τοῦτο, *vndeuiginti*, *vnatti*, *vndetriginta*, *vnatschaheli*, *vndequadraginta*, *vnapangja*, *vndequinquaginta*. Et tametsi eiusmodi rationem Graeci quoque sequuntur, tamen non video illam apud eos formam esse, quae in Romanis Indicisque quasi ex

(9) Vide, Berichte der Daenischen Koeniglichen Missionarien in Oost-Indien Contin. XXI. p. 708. Cont. XXV. p. 114.

condicto est eadem. Nam in secunda decade Indi a Romanorum, Graecorum Persarumque similitudine discedunt; ita vero, vt in positione vniuscuiusque numeri, Romanorum magis rationem consectari videantur, quam Graecorum, vt *jabbara*, *vndecim*, *bbabbara duodecim*, *tebara tredecim*, *tsodaa quatuordecim*, *pandrbna quindecim*, *zobola sedecim*, *zattaranb septemdecim*, *atscharanb octodecim*.

In numeris vero decadicis hic apud Brahmanas superioris Indiae ordo seruatur.

वीह	*wibb*, *viginti*, *wintscha* apud Brahmanas Tamulorum
त्रीह	*trib*, *triginta*
चाहली	*Tsabbli*, *quadraginta*
पंगा	*Pangjaa*, *quinquaginta*
अटे	*Ssatsch*, *sexaginta*
आतार	*Ssattar*, *septuaginta*
आशी	*Assi*, *octoginta*

Ne-

Newe, nonaginta

Szao (monaſyllabum) *Centum*

Ha-dgjaar, Mille

In hisce, *wibh*, *tribh*; *ſzao* ad Romanos ſonos accedunt, ceteris discrepantibus. Sed quid adeo negotii cum Romanis fuerit Indis, non inuenio. Si Plocamus aliquis aut Romanus ciuis alius verſatus eſt in India, nihil hoc adhuc efficere potuit, vt Indi a paucis peregrinis, exiguo tempore inter eos verſantibus mercaturae cauſſa, numeros peregrini ſoni addiſcerent et cum ſuis commutarent. Reuerendus Chriſtophorus Theodoſius Vualther in epiſtola ad me, et in aliis ad amicos, in hisce Indicis Perſici aliquid contineri obſeruauit, non obſcura ſignificatione animi eam in ſententiam propendentis, a Perſis accepiſſe Indos. Perſica numerorum nomina cum Indicis concordare, verum eſt: ſed Perſica etiam maximam partem Graecis tribuo auctoribus. Si qua in Indicis aut Romana nomina videntur eſſe, aut Perſica, ea non minus ſunt Graeca, praeſertim ſi omnes inter ſe conferas dialectos. Ita *ſapta*, *ſat*, *tzatte*, ad *ſeptem* propius accedit, at Perſicum *heft* et Dacicum *haſtum*, Graecam formam ἕπτα magis exprimit. Non vna vero in voce Graeca obſeruatum hoc fuit, quae ab adſpirata vocali ordiatur, a barbaris deinde gentibus ipſisque Romanis prolata ſit cum ſibilo. Nam eandem ob cauſſam ab Graeco

ἓξ factum *ſchattu*, *ſchæſchum*, *tſche*, *ſchattu*, *tſchaſhe*, *ſcheſch*, *ſex*, Quid denique? quid magis conuenit cum *prattima* Indico? πρῶτος; an *primus*? aut Perſicum *awal*? cum *dvittija* δεύτερος; an *ſecundus*? an *dujum*? cum *trittija* τρίτος; an *tertius*? aut Perſarum *ſejum*? Enimuero, vir doctiſſimus, poſtquam cum eo communicaui, quae de Bactriano Graecorum regno adfecta in ſcriniis habebam, eodemque loco de his numeris meam illam ſententiam poſueram, pro iure ſuo et in communibus litteris, in id, quod veriſſimum ſit inquirendi, et dicendi libere ſententiam, ſibi declarauit opinionem meam minime placere: nam videri ea potius ex illorum genere eſſe nominum, quae ex communi maiorum noſtrorum lingua repeti oporteat. Hic equidem amiciſſimo viro vehementer adſentior, eſſe innumeras voces paſſim per orbem terrarum diſperſas, quae ex priſcorum parentum ſermone permaneant, eoue cautius in hisce eſſe aduertendum animum, ne vel ad cognationem earum gentium, quae iisdem vocibus vtuntur, vel ad commercium earum inter ſe, coniecturam temere expediamus: nam fruſtra ſunt, qui hinc etiam origines exquiri poſſe cenſuerunt, quae vel *maiores* teſtimoniorum auctoritates poſtulant, vel aliquam alicunde praeterea ductam veriſimilitudinem. Immo cum praeſtantiſſimus vir non adeo priſcas illas parentum noſtrorum ſtirpes reſpicere videtur, ſed propiorem aliquam populorum nondum inter ſe vel ſermone vel ſanguine disiunctorum conſociationem, *communem* enim *originem Scythicam* dicit, vnde haec nomina repeti malit, ne hic quidem diffiteor, fuiſſe quondam in orbe terrarum populos non ita multos, qui deinde excreuerint in multitudi-

nem

nem, pepererintque gentes fere infinitas, quas nunc illo in corpore priſco agnoſcere difficile fit, cenſeri autem neceſſe eſt, ſermone licet vehementer diſcrepante, propter aliarum commiſtionem ſtirpium, retinente tamen multa ex veteri neceſſitudine. Quam vellem multi excellenti ingenio viri, cum, talibus in argumentis verſati ſunt, ad hos ſcopulos vt non impegiſſent. Ego vti hic diligenter, tamquam de ſpecula obſeruo, tamen poteſt fieri, vt fallar ſaepenumero: neque enim hoc in ſalo qui curſus ſit, ſatis adhuc exploratum fuit. Mea autem in cauſſa velim, vt qui iudicaturi ſint, omnia quae ſupra dixi, primum ſecum perpendant, deinde quaedam etiam alia. Nam in talibus argumentis oportet nos multa ad coniecturam faciendam coniungere, quorum ſaepe non eſt *aliquid*, quod per ſe, quae ſentiamus aut velimus efficiat, cuncta, haud raro etiam plus quam velimus. Inter cetera velim, vt quis praeterea ſecum conſideret, Perſas numerorum recenſione vti, non hac modo, quam produximus, ſed tum Arabicis quoque vocibus, tum aliis, ſono ab Graecis, et Arabicis abhorrenti, quas apud Meſgninum Meninskium, ſi quis ſcire volet, requirat. Iam vel maxime omnium in gentium conſuetudine hoc poſitum ſentio, cum alias res omnes multis variisque nominibus nuncupent, in numerorum nominibus, quippe quae quotidie, omnium, etiam infimorum hominum in ore ſint, vna et ſimplici apellatione vt vtantur. Quare, ſicuti liquido conſtat, Arabica nomina cum Muhamedana ſuperſtitione ingreſſa, Perſicis ſuperinducta fuiſſe, ita cetera, quae diſcrepant, oſtendunt, alia vetera fuiſſe Perſarum, alia ob aliquam grauem cauſſam aliunde eſſe recepta. Iam

cauſſam in his, quae Graecis congruunt, video, vt vnde ducta ſint concludam, in aliis apparet nulla. Non videtur mihi cauſſa alia magis, vel priſca numerorum nomina in gente quadam abolere potuiſſe, vel noua ſubinducere, niſi vel religio, vt in Arabicis Perſarum, vel calculi quaedam doctrina atque inſtitutio. Non hic diſputo, an Germani a Romanis ſua numerorum nomina cum arte quadam acceperint. In his linguis atque in Graeca, non ita communis ſtirps et vetutiſſima neceſſitudo parentum exoluit, quin paene innumera veſtigia ſermonis quondam magis cognati, quam nunc eſſe videtur, remaneant. Hinc tamen numerorum Germanicorum nomina non auſim repetere. Nam aliis olim Germanos fuiſſe vſos, aliam quoque quam decadicam formam adhibuiſſe, vel ex ratione, qua *vndecimum* et *duodecimum* numerum appellant, a ceteris nominibus abhorrente, colligitur. Hoc me primum docuit, vir ſummus, Ericus Benzelius Epiſcopus Gothoburgenſis, nunc Lincopienſis, (10) cum in ſui populi veteris conſuetudine, id ipſum poſitum fuiſſe ſimul demonſtrauit. Nam Slauonicas gentes, cum ad Chriſtianam religionem adducerentur, illa *nomina* a Graecis accepiſſe, non eſt quod dubitemus. Alii populi, vt Lithuani, Aeſtii, Fenni, Morduini ceteriquè ſeptemtrionales, qui a Graecis vel Romanis nihil eius artis, aut ſero admodum acceperunt, priſca et diuerſiſſima numerorum nomina retinent. Quidquid deinde gentium Perſiae Indiaeque circumfuſum eſt, nihil cum his Graecis nominibus commeritis habent.

XLVII.

(10) In epiſtolis ad me ſcriptis A. 1730. XVI. Iulii et 1731 XII. Aprilis.

XLVIII. Vt vero Graecorum nomina numerorum, abolitis vetuſtis Indicis, ab omnibus in commune poſſent recipi Indis, id aliquam videtur maiorem cauſſam poſtulare, quam conſuetudinem ſolam cum Graecis. Itaque opinor id accidiſſe, cum Graeci Indos arithmeticam ceterasque mathematicas diſciplinas docerent. Modo hic primum quisque magnificam illam de Indorum veterum ſapientia opinionem deponat. Cum Philoſtratus hoc maxime ageret, vt Apollonio Tyanenſi ex Indorum conſuetudine immortalem exiſtimationem adornaret, o fidem hominum! quantum in his rebus et ſermonibus ineptiarum eſt! Credas pueros micare digitis,

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Nimirum Philoſtratus, cum in ſcriptis Graecorum inſolitam Indorum ſapientiam quaereret, inuenit nullam: cum deinde tamen aliquid huiuſce rei animo informare vellet, infantiam ipſe ſuam prodidit. Et Indos quidem aliis quoque in rebus aliorum populorum inſtituta recepiſſe inuenio. Nam quae Maturinus Veyſſiere Lacroſius, vir immortalis, de Aegytiorum ſacris ad Indos translatis in libro de Chriſtianis Indis expoſuit, ea ſunt inuicta et plena luculentiſſimis auctoritatibus. Sed, ſi Indorum arithmeticam penitus cum Graeca conferre poſſemus, tum vero opinor de hac re facile tranſigi poſſe. Nunc duplici difficultate laboramus. Primum pauca tantum de arithmetica Indorum, Miſſionarii Danici, quorum et fidei et accurationi multum tribuimus, ad hoc tempus prodiderunt. (1) Deinde etiam de Grae-

(1) Vide Ooſt Indiſche Berichte T. I. p. 405. et T. II. p. 1024.

ca nondum ſatis habemus quod liqueat. Apollonii Pergaei, qui Ptolemaei Euergetae Philadelphi F. temporibus fuit, de arithmetica libri in bibliothecarum forulis neglecti ſepultique iacent. Eius veſtigiis Pappus Alexandrinus inſtitiſſe videtur. Sed eius Collectionis Mathematicae liber primus, eadem fortuna vrgetur, ſecundi partem magnam Ioannes Valliſius magno labore atque ingenio ex tenebris eruit. (2) Ex hoc tamen fragmento, quod quaerimus, nobis videmur ſtatuere poſſe. Graeci homines a Phoenicibus didicere, litteris ſuis numerorum poteſtatem tribuere, quod vel ex eo palam eſt, cum ordinem ſuarum litterarum interrumpant, vt quaſi poſtliminio recipiant litteras eas, quas veluti ſuperuacaneas ex ſcriptura ſua eliminauerant. (3) Eodem modo Tamulos video litteris ſuis vti, (4) ſed interrupto litterarum ordine et vaga quadam licentia. Quod mihi argumento eſt, Tamulos hunc ipſum numerorum litteratorum vſum ab alia gente Indica accepiſſe, eoue ad illius inſtitutum ſeſe accommodaſſe: ſimilem in modum, vt Arabes, quoties litteris vtuntur pro numeris, toties Ebraicarum ſeriem, non ſuam adhibent. (*) Iam hic, quod Ziphras nullas interſererent Graeci, vt neque hodie Tamuli, quibus ordines ad diſpoſitionem aequalem explerent, non potuit hic algorithmus noſter, iis vel in mentem venire: vnde mirifice ſe torquebant. Hoc liquido oſtendit Valliſius ex Pappo, Graecos (5) in multiplicando a maximis numeris perrexiſſe ad minores, eamque maxime

(2) Edidit primum A. 1688. deinde Tomo III. operum Valliſianorum p. 597. (3) Vide hic Valliſium in Matheſi Vniuerſali T. I. operum p. 41. ſeqv. (4) Bartholomaei Ziegenbalgii Grammatica Damulica p. 8. (*) Conf. Anonymum Perſam de Siglis Arabum et Perſarum Aſtronomicis p. 1. (5) In Scholio p. 611.

xime in rem abacum Pythagoricum magnum adhibuiſſe, vt huius rationis principia ſaltem ad Pythagorae vsque aetatem referri oporteat. Sunt, qui Pythagoram in India fuiſſe tradant, quod monendum duxi, ne quis inde ea accepiſſe eum dicat: nam inficetum commentum iſta Pythagórae peregrinatio Indica eſt. Sed tota ratio calculi abacique iſtius vſus perſpici poteſt maxime in exemplo

τκη	328
ἐπὶ ξγ	*in* 63

ξ ἐπὶ τ	Μυϱ. α καὶ η	*Sexagies trecenta ſunt myrias vna et octo* cIↃ
ξ——κ	αϡ	*Sexagies viginti ſunt* cIↃcc
ξ——η	υπ	*Sexagies octo ſunt* ccccLXXX
γ——τ	ϛ	*Ter trecenta ſunt* IↃcccc
γ——κ	ξ	*Ter viginti ſunt* LX
γ——η	κδ	*Ter octo ſunt* XXIV.

Talia exempla Eutocius Aſcalonita commentario ad Archimedis Κύκλου μέτρησιν complura inſeruit. Quemadmodum autem deinde in additione eorum numerorum ſeſe geſſerint Graeci, ex nullo auctore conſtat, cum primus Pappi liber in MSS. a Valliſio derelictus ſit. Sed vel ex hac forma apparet, eodem eos modo a maioribus numeris progreſſionem feciſſe ad minores, laborioſiſſimo ſtudio, donec in calculo ſumma exiret 20664. Is autem ipſe modus, ab Tamulis obſeruatur, quem beatiſſimus vir, Bartholemaeus Ziegenbalgius in exemplo protulit. (6) In fractionum arithmetica Tamuli eadem arte,

(6) l. c. t. 1. p. 405.

vtuntur, et habent fractorum abacum. Id ipſum Graecos etiam ſecutos fuiſſe, ex Eutocii quibusdam exemplis didici. Quare hac Tamulorum de fractis doctrina conſiderata, Maturinus Veyſſiere Lacroſius (6) in hiſtoria Indiae eccleſiaſtica concluſit, hanc arithmeticam profecto veterem illam Graecorum Romanorumque eſſe, ex eaque duo Petronii loca, vnum Horatii elegantiſſime explicuit. Denique quod haec ars inter vniuerſos vulgata eſt, id ipſum mihi perſuadet ſententiam, quam propoſui, artem aliis, quam Indis auctoribus, in commune traditam fuiſſe. Vt nunc Indi in certa genera hominum diuiduntur, vbi quam vnumquodque genus vitae rationem aut diſciplinam a parentibus accipit, ab ea non poteſt diſcedere, aut alterius generis hominem ad eandem admittere : ita olim quoque fuiſſe, ex Arriani Indicis apparet. (7) In primo genere Sophiſtas ponit Arrianus, penes quos omnis philoſophiae doctrina fuerit. Haec reuera eſt familia ब्राह्मण *B-hrahaman*, de qua autem Arrianus nonnulla admiſcet, quae proprie ad फकिर *Phakir* aliquem pertinent; ſic enim Indi, *poenitentem et mendicum* vocant. Sunt vero eorum et genera varia et nomina. Qui ſeu extentis ſine intermiſſione brachiis, ſeu alio cruciatu corpus adfligit, अतीत *Athîd* dicitur, qui crines barbae et capitis creſcere ſinit, सन्यासी *Ssanaſsì*, (in Grantham et Telunga

(6) Hiſtoire du Chriſtianiſme des Indes p. 489. (7) p. 324. ed. Gron.

lungu *Sannjâsi*,) qui omnino omnes in corpore crines detondet, ઝોરાઘિ *B-heragì*, qui aures vtrasque praescindit et *Mahandè* idolum adorat, ઝોગી *Dgjogì*, (8) qui vitam, peregrinando, quasi in exilio agit, ઝોધાશી *Odassì*, qui annum vnum aut amplius verbum nullum profatur, ઝોની *Monì*. Ceterum tribus est nulla, ex qua quis hos status ingredi nequeat. Hi sunt veterum Gymnosophistae et instituto suo et familiis diuersi a Brahmanis. Quae nos propter frequentes in hac re nostrorum hominum errores hic monenda duximus. Itaque si qua arithmeticae ars ab Indorum aliquo inuenta fuisset, ea certe intra domum vnam seu familiam se continuisset, quod quia nunc secus est, alios, vt dixi supra, auctores et magistros arithmetica eorum requirit, quam Indos. Quos autem, si rem ab omni parte excutias, magis, quam Graecos, qui inter Indos sedes suas habuere et ciuitates et reges ?

XLIX. Huic nostrae sententiae nihil ita officere posse autumo, quam quod vulgo Indi, illius arithmeticae, qualem Europaei atque Arabes adhibent, auctores feruntur. Ex Persis Ali Koschgi et ex Arabibus Al Sepadi commentario in Abi Ismael Tograii *Lamiatol Agjam*, (9)

(8) Maffeio l. 1. p. 24. et Iarrico in Thesauro rerum Indicarum t. 1. l. 1. p. 61. *Iogues*. Petro de Valle Itinerarii t. 3. p. 218. ed. Germ. *Gjoghi*.

(9) eadem in opinione verſantur: ex Graecis vero Maximus Planudes, ἐν Λογιστικῇ Ἰνδικῇ τῇ λεγομένῃ Μεγάλῃ trecentis prope annis, poſtquam illam artem Arabes extulerant. Inſigne fragmentum libri illius Ioannes Vualliſius ex MSS. Bodleianis produxit. (10) Cum idem Planudes τζιφραν σημαῖνον οὐδέν Indicam vocem exiſtimauit eſſe, vehementer fallitur: eſt enim صفر *Ziphr* plane Arabicum *nullitatis* nomen, quod deinde noſtri omnibus notis logiſticis imperitius attribuerunt. Neque placet nobis Valliſii Mathematicorum eruditiſſimi iudicium, cum ita fatus eſt: *Haud improbabile eſt, hos Arabas, qui ab Indis figuras numerarias acceperint, Graecis ignotas, ſimul inde didicisſe tum earum vſum, tum profundas de illis ſpeculationes, quae neque Latini, neque Graeci prius nouerant, quam ab Arabibus tandem fuerint edocti.* Nempe figuras illas Hiſpanos primum a Mauris, Mauros ab Arabibus, Arabas ab Indis accepiſſe, in confeſſo eſt, multaque eam in rem Valliſius erudite obſeruauit. Arabes vero paullo poſt *Al Validum ebn Abdolmelek* Chalifam eas notas primum edoctos fuiſſe opinor. Nam eo imperante, ſimul Bactrianam, Sogdianam, Caſchgar, Indiam et Hiſpaniam a Mahumetanae ſectae populis occupatas fuiſſe reperio. (11) At cum hic Chalifa tantum ab A. C. 705 vsque ad A. C. 714 regnauit, fieri non poteſt, vt illius temporibus hae figurae logiſticae innotuerint receptae-

(9) Confer Ioannem Grauium ad Anonymum Perſam de Siglis Arabum et Perſarum Aſtronomicis p. 2. (10) Operum volumine I. p. 48. (11) Gregorius Malatienſis p. 201. et copioſius Georgius Elmacinus p. 70. Rodericus Ximenez Archiepiſcopus Toletanus in hiſtoria Arabum p. 8.

ceptaeque ſint a Muhamedanis. Immo cum Gregorius tradit, legem ab eo fuiſſe latam, vt ſcribae Chriſtiani rationum libros non Graecis exararent litteris, ſed Arabicis, cognoſce, quam ſtudioſus ſuarum litterarum fuerit, quam impatiens alienarum. Ipſam autem logiſticen Arabes ab Indis accepiſſe, cauſſam habeo grauem cur Valliſio non adſentiar. Qui enim fit, quod Indi ad hunc diem eam ignorent, quod, vel in abacis rationes ſuas exigant, vel illo ſuo ſtrigoſae arithmeticae difficillimo genere vtantur, ſi eorum maiores ante mille annos haec compendia tenuerunt? Itaque Indi harum naturam et commoditatem non ſenſerunt: Arabes ab iis nacti, deprehenderunt amplius, aut forte ne illi quidem, ſed Graeci inter Arabas. Id autem ante A. C. 754. contingere non potuit, cum *Abu Gjaafar ben Muhammed Almanſur*, regnare coepit. Nam ſub Chalifarum Ommiadarum diuturno imperio nullum doctrinae deſiderium fuit: odium magis et exſtirpandae eius conſilia ferbuere. Hic autem, qui ſecundus ex Abbaſidis ſeu Haſchemidis Chalifa fuit, et ante omnes alios ſeptimus, Abdalla Almamun, qui ab A. C. 818. regnauit, magno animo externarum doctrinarum ſcientiam tuendam communicandamque ſuis ſuſceperunt, interpretibus vſi Graecis hominibus et Syris.(10) Serius tamen Arabes ex his profecerunt, neque fere auſi ſunt a Graecis magiſtris diſcedere atque aliquid amplius meditando inueſtigare. Quamobrem inclinat animus potius, vt credam, ex Graecis fuiſſe quendam inter eos Ma-

(10) Vide Gregorium Abulpharagium p. 246.

thematicum, qui hanc Logiſticam ex commoditate notarum ſenſerit et elaborauerit, quando praeſertim Archimedis ἐν Ψαμμίτῃ cogitata hic eum iuuare potuerunt. (1) Solas igitur numerorum notas ab Indis acceperunt Arabes: et ne earum quidem auctores fuere Indi, quippe quas a Seribus ex Sinicis formatas, compendio earum delectati, vſu vero ipſo inter mercandum, de quo alibi dicam, paene coacti, receperunt. Hoc vt demonſtrare poſſim, ponam notas illarum gentium hic in tabula. Tab. I. 3. Sinicas aliunde non eſſe ductas, ipſa earum natura loquitur. Sic, vt ceterae litterae ex primis elementis ſunt conflatae, vti omnium omnino Sinicarum litterarum indoles eſt, vt rem ipſam, non ſonum vocis, pictura deſignent, ſic hae quoque numerariae ſunt factae. Hinc tantummodo obſerues, Sinos ταχυγραφοῦντας, in litteris ſuis et ductus multum deturpare et apices quosdam abiicere. Ita in Sinicis quibusdam MSS. eandem fere formam numerorum inueni, quae hic Iapanenſium eſt.



Hos autem a duobus Iapanenſibus, *Zoſée* et *Gónſa*, qui domi meae fuere, accepi. Brahmanum in ſuperiori India numeros a *Sonhhara Multanienſi* adeptus ſum, meo in his aliquot menſium magiſtro. Tangutanos vero ex libro *Togan i hoduol*, (q. d. *numerorum aeſtimatio*) ſeu tabulis ſinuum, quae his numerorum notis, inſcriptionibus vero Tangutanis et Calmucicis ſupra humanam fidem eleganter excuſae atque haud

ita

(1) Vide omnino Valliſium in Notis ad Arenarium p. 537.

ita pridem a Ioanne Renato, ab exilio Calmucenſi reduce mihi monſtratae, inde Holmiam deuectae ſunt. (2) Tangutanos autem hoc magis reſpiciendos iudico, quod hic populus in Tibeth Sinis vicinior, prius numeros ſuos inde cognouiſſe atque ad Indos prodidiſſe videtur. Quod equidem factum opinor, cum Indi mercatores apud Seras Tibeti incolas pretia ſaccis inſcripta ex numeris cognoſcere didicerunt, eodemque modo mercaturam peragere ſuis mercibus eodem genere numerorum inſcribendis. De hac conſuetudine in commentatione de Scribus dicam amplius. Baneanenſes numeros, ſeu popul' *B-hania*, in *Márewaar* et *Gjeſſelmære*, ſuperioris Indiae ex Tauerniero huc tranſtuli. Iam cum Sini χαμαιφόρως ſcribant, ea cauſſa hi quoque numeri apud eos ad logiſticam inepti fuerunt. Quare cum Ieſuitae hanc artem Sinos docere inſtituerent, aliam viam inierunt, quam ex libro *ço ly cim ven piaò*, ſeu ex Adriani Vlacci Goudani Magno canone triangulorum logarithmico, a Tribunali Mathematicorum regio Pequini edito cognoui. Nam numeros

(2) *Numerus* illic Tangutice *Rang*, Calmuccice *To* vocatur.

ros a ſiniſtris verſus dexteram diſpoſuerunt. Eodem modo et Tangutani et Indi, cum in tanta litterarum diuerſitate vniuerſi tamen a ſiniſtra ad dexteram ſcribant, idem in figuris numerorum ſecuti ſunt. Sed reperernnt iidem magnum illud compendium collocandi numeros ita, vt eorum quantitas ex ſitu cognoſci poſſet, inanibus ſpatiis nihilo minus per *nullitatis* ſigna expletis, cuius eos admonuiſſe videtur Sinicus character τῶν δέκα, nam natura eius eſt alia. Fuit illa priſcorum mortalium in annumerando ratio, vt a minoribus ad maiores eſcenderent numeros. Ebraeos dico et Graecos: manet aliqua huiuſce moris forma apud Germanos. At Sini, vt quisque numerus poteſtate eſt maior, ita eum in ſermone ſuo ſcriptisque ante alios ponunt. Si maiori praefigant *minorem* cardinalem, *multiplicandum* toties maiorem eſſe indicant: nam poſterior collocatus, ad maiorem additur, hoc modo:

Lo cie v pe pa xe ſu
Sexies mille, quinquies centum, octies decem (et) *quatuor*

id eſt: 6584. Sed iidem ſolent compendii cauſſa haud raro ſic ſcribere et pronunciare; 五 *v pa ſu*; 584. Qui ordo ſane is ipſe eſt, quem 八 vt commodiſſimum ſenſerunt Indi, et cum ab Sinis non omnibus in numeris poſſet eodem 四 modo adhiberi, hanc difficultatem Indi per ziphram ſuſtulerunt. Ita, inquam, Indi in hanc tam egregiis ceterarum gentium inuentis

uentis arithmeticis aptiſſimam rem inciderunt, de qua ipſi nihil quidquam ſentiebant. Arabes, quamquam haec ratio a ſiniſtris ſcribendi, contra eorum morem erat, tamen hoc inſtitutum ſeruarunt ex Indica forma, tamquam tali in re nihil audentes, quod argumento eſt, eos ſaltem initio, cum in rationariis libris has figuras commoditatis cauſſa adhibere inſtituerent, ignoraſſe, quemadmodum arithmeticae poſſent inſeruire: nam alioqui maiores numeros facili negotio a dexteris, ceteros deinceps a ſiniſtris collocaſſent, vt reliquae ſcripturae ſuae congruerent.

L. Quemadmodum de arithmetica diximus, ita de muſica cuperem adiungere. Audiui ſaepe *Sonbhara* et *Nrhobotam* Indice cantantes, variis modis: audiui deinde nobilem virum Mangjurenſem, *Dgjaugam*, cantantem Sinice: quid quaeris? vna et eadem muſica eſt, vt ſi audiſſem hominem Italum carmina canentem, deinde eadem Gallum, iisdem modulis, eodem manuum geſtu, nam hic quidem illa in muſica perneceſſarius eſt. At cum hic *Dgjauga* vel Mandgjurice cantaret vel Mungalice, quae tum erat diuerſitas! Mungalica enim, addo et Calmuccicam, Coſacorum et Cirkaſſenſium placidae melancholiae congruit, Mandgjurica tota eſt militaris. Illa autem Sinica, tum Indica, multum artis variationisque habet, quam cum Graecorum praeceptis lubenter contuliſſem, neſcio enim quid animus mihi praeſagiebat, niſi me muſicae ignariſſimum magnitudo rei vel a tendando abſterruiſſet. Sed in temporum rationibus Graecas formulas extremum orientem peruagatas fuiſſe inuenio. Epo-

cham Bactrianam in numo Eucratidis, cum A. ante C. N. 148. congruere, caput autem eius ab anno ante C. N. 255. assurgere, nostra opinio fert, deinde formam annorum mensium dierumque secundum enneadecaeterida Metonis fuisse institutam. Nam, primum haec forma ab omnibus populis, qui Seleucidarum imperio subiecti fuerunt, recepta est: deinde eiusdem ad hoc tempus vestigia in oriente supersunt. Non vniuersi autem, qui hoc vterentur cyclo, ab vno eodemque cardine exorsi sunt. Boeoti vel a Decembri Iuliano extremo, vel a Ianuario inenunte, Athenienses a Iunio vel Quinctili, Corinthii et Siculi a Sextili, vel Septembri, Babylonii, vt ex Claudio Ptolemaeo et posterioribus Maccabaicis Henricus Doduellus demonstrauit, intra Septembrem fere et Octobris duos primos dies, alii, vt ex Flauio Iosepho et prioribus Maccabaicis idem exhibuit, intra XI. Martii Iuliani et et VIII. Aprilis. Nam nunc ne attingam quidem ea, quae Henricus Norisius in epochis Syro Macedonum diligenter exsecutus est. Nimirum vt quaeque gens seu a vere, siue ab autumno solita fuerat annos recensere, ita cyclum Metonicum suis moribus accommodauit. Bactrios annorum recensionem a vere instituisse autumo. Id ipsum ex eo concludo, quod ista ratio ad hunc diem in Bucharia obtinet, quamquam in vsu ciuili Muhammedanorum anno lunari locum dedit: nam agrestium operibus inseruire visa, adhuc diligenter excolitur. Et haec quoque est, quam منجمان خطا وایغور *Astronomi Cha-*

taiae

taiae et Oiguriae et حكمان خطا وتركستان *Sapientes Chataiae et Turceſtaniae*, vt Vlugbegus Princeps, aut potius Naſſireddin Ettuſæus loquitur, ſecuti ſunt. Chataeos cum dicit Naſſireddin, aperte Sinenſes indicat: nam Turcae illi, ſunt populi Mungalici et Calmuccici, ad quos Abulgaſus Bahadur Chan etiam Oiguraeos refert. Quemadmodum in India nunc ſit, Chriſtophorus Theodoſius Vualther, vir doctiſſimus, in Doctrina temporum Indica expoſuit, quam ex illius idiographo huic libello ſubiiciemus, vt Sinica cum Indicis comparari queant. In Metonico cyclo, ſecundum Dionyſium Petauium, (4) intra nouemdecim annos ſeptem menſes intercalabantur, hoc modo, vt in eo anni III^us VI^us VIII^us XI^us XIV^us XVII^us XIX^us menſium eſſent tredecim. (5) Plane ita de Sinica Enneadecaeteride, quae nunc procedit, R.R. PP. Ignatius Koegler, Antonius Pereyra, Carolus Slavicek in epiſtola ad me: (6) *Menſium intercalandorum ratio bis temporibus haec vnica eſt, vt ille intercaletur, in quo ſol nullum zodiaci ſignum ingreditur, quod quidem contingit, anni tertii menſe* 5°. *anni ſexti menſe* 3°. *anni octaui menſe* 8°. *anni vndecimi menſe* 6°. *anni decimi quarti menſe* 4°. *anni decimi ſeptimi menſe* 3°. *anni denique decimi noni menſe* 7°. *Sed*, inquiunt, *hic ordo*

(4) In Doctrina temporum t. 1. p. 121. (5) Henricus Doduellus in Cyclis p. 46. ex Gemino, primae Enneadecaeteridos embolimaeos menſes ſic ſibi viſus eſt diſponere poſſe, vt eſſent, anno IIIo. VIo. VIIIo. XIo. XIIIo. XVIo. XIXo. Sed difficile hoc eſt ex Gemino colligere. (6) Pequini 1732. XII. Sept.

ordo perpetuus non erit , quia ☾ et □□ in calendario accommodantur motui luminarium vero. Ita nimirum, dum de caelo obſeruatur , ſecundum haec principia , exactiorem nunc in Sinis Enneadecaeteridos rationem eſſe oportet , quam fuit olim. Sed ne in Metonica quidem eadem ſemper fuit. Nam Henricus Doduellus (7) ex Gemini Iſagoge oſtendit , octo enneadecaeteridas totam periodum Metonicam confeciſſe, annorum videlicet 152. Quo quidem opus non fuiſſet, ſi in vnaquaque enneadecaeteride eadem embolimaeorum obtinuiſſet forma. Menſes omnes in cyclo Metonico pleni 125. caui 110. fuerunt : illi inquam, dierum 30, hi dierum 29. ὥϛε μὴ ἄγεσθαι ἕνα καὶ ἕνα κοῖλον καὶ πλήρη, ἀλλὰ καὶ δύω ποτὲ κατὰ τὸ ἑξῆς πλήρεις , τοῦτο γὰρ ἡ φύσις ἐπὶ τῶν φαινομένων επιδέχεται πρὸς τὸν τῆς σελήνης λόγον, inquit Geminus, (8) *ita vt non vnus poſt alterum agatur cauus et plenus , ſed vel duo nonnumquam continuentur pleni, hoc enim natura in apparentiis admittit ad lunae rationem.* Hic mihi ea conſidera, quae in Parergo Sinico diximus. Ceterum , quemadmodum Sini menſes embolimaeos non aliquo certo nomine ex cyclo ſexagenario appellant, ſed eodem, quo praecedens quisque menſis dictus fuerat , ſic apud Graecos quoque fuit, vt, cum Thucydides Ποσειδεῶνος πρότερον mentionem iniecit , ſatis perſpicuum eſt, eodem nomine etiam fuiſſe δεύτερον. Idcirco opinor , etiam Indos *menſem intercalarem*

(7) l. c. Confer Geminum in Dionyſii Petauii Vranologio editum p. 37. (8) p. 37.

larem धुनीक *Dhuthik*, quaſi *ſecundum* appellare. Menſis quoque nomen apud Indos Graecum eſſe videtur, माहिना *Mahina*, Perſis ماه *Mâh*, nimirum Μὴν. Et dies hebdomadis, Indi, cum ſecundum eosdem planetas, quibus eos Graeci attribuerunt, referre ſolent, vt mihi videtur, Graeca voce Ἡμέρα corrupta, *wâr* dicunt, hoc modo:

आदोन:वारे	*Adeto-waar*	Solis dies
सोम:वारे	*Somo-waar*	Lunae dies
मंघोल:वारे	*Manghul-waar*	Martis dies
बोध:वारे	*Budh-waar*	Mercurii dies
विरो:वारे	*Wiro-waar*	Iouis dies
शुक्रोरो:वारे	*Tſukkúro-waar*	Veneris dies
छणछुण:वारे	*Tſchantſchun-waar*	Saturni dies

Extra hunc cyclum hebdomadalem, *diem* दबु *Dhebu* vocant. Calendariorum conficiendorum doctri-

na apud Indos in arcanis habetur. In भनारेओ *B-ha-nares* seu काओं *Kascha*, eorum Academia, पयेन्तु *Pandhut*, quidam quasi Astronomus, calendaria conficit, quae per totam superiorem Indiam diuendantur. Satis autem constat, non ex obseruatione caelesti et calculis astronomicis confici, sed ex vetustis tabulis, quae in illius domo in qua fuerunt dudum, simul cum omni illa arte manent.

LI. Quid igitur potius statuemus, Graecos eum cyclum vel a Sinis, vel ab Indis accepisse, an Indos a Graecis, rerum in India atque Bactriana dominis, ab Indis denique Sinos? In Graecia sane illius exstant incunabula: isthic vagiit, isthic alitus eductusque lacertos mouere coepit et propemodum iam senescere, cum Graeci rerum in India potiti sunt. Nam cum ludorum tempestates certae apud priscos Graecos essent statutae, quae res postea in religionem vertit, inde illa cura sapientes homines occupauit. Accedebat instinctu eorum, vt opinor, vt Graeci ab oraculo monerentur, κατὰ τρία sacrificari oportere, videlicet secundum *annos*, *menses*, *dies*. Itaque cum solaris annus in Graecia semper fuisse videtur, rudis tamen, Thales Milesius, vt solis lunaeque motus inter se conciliarentur, Ionicis vrbibus in Asia circiter Olympiadem XLV, vt Henricus Dod-

uellus

uellus cenſet,(9) trietericum ſuum cyclum propoſuit,ſiue ipſe luminarium inter ſe diſcrepantiam obſeruauerit,ſiue ex Babyloniorum forma Nabonaſſarea animaduerterit. Primi ſane aſtronomi ex Graecis in Aſia fuerunt, vt vero perquam ſimile ſit, eos ex Chaldaeorum ſchola profeciſſe. Tamen ob ludorum ſacrorumque religionem non ſunt auſi Nabonaſſaream formam anni recipere, ſed difficultatibus illis ingenio medebantur. Vbi in trieteride incommoda mature apparuerunt, tetraeteris tentata eſt, vt vna quarta pars, quam 365 dies in motu ſolis non explere ſentiebant, reſtitueretur. Hunc quoque Cleoſtratus emendauit octaeterico inſtituto cyclo, circiter Olympiadem LIX. Harpalus vero circiter Olymp. LXXI. hecaedecaeteride propoſita. Meton denique Athenienſis circiter Olympiadis LXXXVII. 1. Artaxerxe Longimano in Perſis regnante, ipſo belli Peloponneſiaci principio enneadecaeterida confecit, cum de Indicis rebus Graeci in Aſia quam parum tenuerint, ex Herodoto cognoſci poſſit, illorum temporum ſcriptore. Et gentes, quae vaſto interuallo erant interiectae, tum quidem vt maxime Nabonaſſarea forma delectabantur, quae, quia pars Indiae cum tota Bactriana et Sogdiana, ſub Perſis fuit, ad extremum vsque orientem penetraſſe videtur. Contra ea, quae opportunitas poſtea fuerit Seribus in Tibetano agro a Bactriis ceterisque illo in tractu Macedonibus et Graecis rerum dominis Metonicam enneadecaeterida cognoſcere, ex iis quae ſupra exſecuti ſumus, liquere puto. Nam ab Indis Sini etiam ſacra

(9) In Cyclis p. 170. 171.

deorum et putidas mythologias, tamquam a ſapientiſſimis hominibus, miſſis vltro legatis expetierunt, quidni ab iisdem temporum hanc formam receperint? Quae cum προ-ξεληματικῶς expoſuiſſem, RR. PP. Ignatius Koegler et Andreas Pereyra non modo non repugnarunt, ſed confirmarunt me quoque vehementer. (3) Cyclum, inquiunt, "Metonicum ἐννεαδεκατηρίδος a Graecis ad Sinas peruaſiſſe, problematice quidem, quod ais, ſed coniectura ſatis veroſimili adſtruis: certe periodi decemnouennalis explicitam mentionem in monumentis Sinicis ante dynaſtiam 漢 *Hán* vix reperiri opinamur: tamen anteriorem aliquam apud Sinas intercalandorum menſium methodum fuiſſe, quam a Graecis eam poſſent accipere, inde euinci videtur, quod in antiquiſſimo libro, 尚書 *Xu Kim* legatur, Imperatorem 堯 *Iáo*, delectis ab ſe aſtronomiae et calendarii *praefectis* tradidiſſe regulam eiuſce intercalationis atque *in priſcis* annalibus 春秋 *chun çieu appellatis*, aliquoties notati occurrant embolimaei menſes, ſiue 閏月 *jún jue*. (*) Verum eſt

(3) Epiſtola Pekini 1734. VII. Kal. Sextil. ſcripta. (*) Bis tantummodo in hoc Confucii libro occurrunt. Anno 37. cycli XXXV. et Anno

" eſt, haud liquere, qualis fuerit primaeua illa intercalandi
" regula, quisque ordo intercalationis ſit obſeruatus per bis
" mille et amplius annos vsque ad dynaſtiam *Hán*: omnes-
" que poſteriores aſtronomos Sinas lamentari, priſcam
" illam regulam tum neglectu et non vſu, tum
" famoſa librorum exuſtione (anno ante aeram Chriſti
" 213.) deperiiſſe et abolitam fuiſſe. Quodſi poſtliminio
" periodus 19. annorum ab exteris ad Sinas peruenit, pro-
" babiliter coniicere licet, id accidiſſe ſub Imperatore
帝武孝 *Hiáo vù ty*, qui 140 annis ante Chri-
" ſtianam aeram coepit regnare. Conſtat enim ex hiſtoria
" Sinenſi, dictum Imperatorem primo per exploratores, de-
" inde etiam miſſis exercitibus communicationem aperuiſſe
" cum variis regnis occidentalibus, quae indubie reſpondent
" Indiae cis et trans Gangem, Mogori, Bactris, Sogdianae
" atque etiam Perſidi, adductis inde exterarum linguarum
" rerumque peritis. Idem Imperator poſtea anno regni
" ſui 37mo. ante Chriſtum 104°. ſolemni edicto, non
" tantum anni Sinici formam et principium (integro tri-
" meſtri iam a 117 annis anticipatum) ad morem ſub
" prima dynaſtia 夏 *Hia* vſitatum reduxit; ſed nouum
" praeterea calendarium 太初 *Tay çu* nuncupatum

48. cycli XXXVII. vtrimque hieme. Sed quoniam ſimul cum eclipſibus dies menſium frequentes nominibus ex cyclo ſexagenario hoc in libro notati ſunt, ex iis forma annorum temporibus illis quae fuerit, facile poſſit indagari. De qua re alias.

" inſtituit , ac promulgauit : quod vtique hauſtis ex
" occidente notitiis, (ſecundum tua placita) perficere pro-
" num fuit: tametſi Chronographi Sinae more ſuo penitus
" diſſimulent, ab exteris eiusmodi quid accepiſſe. (*)Cete-
" rum ſeries intercalandi, ſiue annos, ſiue menſes ſpectes,
" non vna eademque ſemper apud Sinas obtinuit ; ſed pro
" varia Aſtronomiae et calendarii reformatione, per
" ſingulas ferme dynaſtias facta , pariter immutata ali-
" terque diſpoſita fuit ; vti ex cuiuſque dynaſtiae faſtis
" liquet.

(*) Egregie me nuper in ſententia mea confirmarunt , quae in R. P. Antonii Gaubilii Obſeruationibus Mathematicis *p. 118. ſeq. legi*, quaeque omnino ſunt digniſſima, vt heic a *lectoribus noſtris expendantur*.

CHRI-

CHRISTOPHORI THEODOSII
WALTHERI

MISSIONARII DANICI APVD
TRANGAMBARIENSES IN INDIA

DOCTRINA
TEMPORVM INDICA

EX LIBRIS INDICIS ET BRAHMANVM
INSTITVTIONE A. C. cIↃ IↃccxxxIII.
TRANGAMBARIAE DIGESTA

SIMVL CVM
PARALIPOMENIS RECENTIORIBVS.

CHRISTOPHORI THEODOSII WALTHERI

Miſſionarii Danici apud Tranquambarienſes

DOCTRINA TEMPORVM INDICA'

I. De Minutis.

INdi plebeii horam ſuam deſcribunt in 360 *Nod'i*, h. e. *crepitus digiti circum caput gyrati.*

Nota. Sic Chronologia ipſorum *Trigâla-ſáccâram* (q. d. *Tritemporis*, h. e. *diei cyclus* appellata,) menſuram temporis adoritur. Eſt quaſi fundamentum dierum 360.

2. Aſtronomi autem adhibent ſcrupula prima *Winâd'i*, et ſecunda *Calâ* dicta, quae non peculiaribus nominibus, ſed numeris tantummodo recenſentur.

Nota I. Nempe admodum nonnullorum aſtronomorum, qui antiquitus Ptolemaeum Peluſiacum ſecuti ſunt, 60 partes diei ciuilis item partiuntur in 60 minores et has in 60 minimas. (*)

(*) Auctor in epiſtola ad me 1735. 10. Ian. ſcripta: *Adſcribo hic quae obſeruauit Claudius de*

" *Chales in Curſus Mathematici* Tom. III. f. 586.
" Nonnulli, *inquit*, Aſtronomi diem in 60 ſcru-
" pula prima partiuntur, et haec ſcrupula prima
" in ſcrupula ſecunda et ita conſequenter: ita ſin-
" gulae horae duo ſcrupula prima diei cum di-
" midio ſibi vindicabunt: haec tamen methodus eſt
" antiqua, et a ſolo Ptolemaeo vſurpatur. *Scili-
cet Ptolemaeus Alexandriae floruit, vbi methodus
iſta antiquitus in vſu fuit, atque inde, vt in Indi-
am et hinc in Sinam ita et in Palaeſtinam migrauit.
Sic haud obſcure colligo, ex Ahazi ſciaterico gnomo-
nico, in quo Ieſaias regi Ezechiae optionem permi-
ſit, vtrum vmbram per 10 gradus progredi, an
totidem regredi velit.* (II. *Reg.* XX. 9.) *Adeoque
gradus iſtos horarios vicenarium numerum exceſſiſſe
conſtat. Babylonii contra, quorum principes, miſſa
legatione in prodigium illud inquiſiuerunt*, (II.
Chron. XXXII. 31.) *diem in* 12 *horas* καιρικὰς
partiti ſunt. Herodoto enim teſte, (*Hiſt. L.* II.
II. *c.* 9. 10.) τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης
παρὰ Βαβυλονίων ἔμαθον Ελληνες, *duodecim
diei partes a Babyloniis Graeci didicerunt.* R.R.
Miſſionarii Trangambarienſes in epiſtola ad me
1735. 30. Dec. data: " Mithrae τριπλασίως ſa-
" cra μνημόσυνα Dionyſius Areopagita a receſſu
" vmbrae in *Achazi* regis horologio deriuat. (Vi-
" de Seldenum de diis Syris proleg. c. 3. p. 31.)
" At nimis coacte ſupponitur, continuam illam
" lucem XXXII. horis inaequalibus conſtitiſſe,
" quarum XII diem *artificialem*, (vt Aſtronomi

loquun-

" loquuntur, vt Chronologi, *ciuilem*) bis autem
" XII. et VII ſynecdochice *triduum* conficiunt.
" Felicius forſan ſupputantur *ter decem* horae vnius
" diei i. e. XXX *Nârhigey*, vt pluribus anno
" praeterito ſignificauimus.

Scholion. Ergo minutum Indicum aequale eſt Europaeis ſecundis 24.

Nota II. Sed in libro Graendico *Bhû-colàm*, i. e. *Terrarum orbis*, (*Bhu* Tamulice *Pûmi*, idem quod Perſicum بوم *Bûm*, οἰκουμένη) ſequentes temporum gradus recenſentur I. *Trudi* h. e. *momentum*, quod impenditur traiiciendo acum flori nymphaeae. II. Centum talia momenta efficiunt *Lawàm*. III. Horum *Lawàm* triginta, ſunt *Nimiſchàm*. IV. Viginti ſeptem *Nimiſchàm* excurrunt in *Gurw-ækſcharam* h. e. *moram longae vocalis*: V. Decem eiusmodi morae dantur τῷ *Prânam*. VI. Horum 360. aequipollent τῷ *Winâdi*, quorum 60 conſtituunt horam. Alius auctor Samanaeus, cui Graendicum nomen *Amará-çimham* (i. e. *Deorum leo*,) talia temporum ſcrupula edit. 1. Duodeviginti *Nimiſchàm* dant *Câſchdtam*. 2. Horum triginta ſunt *Calà*, ſeu ſcrupulum ſecundum. 3. Horum triginta inſumuntur in *Kſchænàm*, vnde Tamuli *momentum temporis* vocant *Schenà-párhudu*. 4. Horum duodecim efficiunt *Muhûrtam*, ſeu bihorium.

II. DE HORIS.

HOrae Brahmanice, ſeu in *Graendam* lingua vocantur *Ghaḍica* ſeu *Nâdi*, Dacnice گهڑی *Gahṛi*, Tamulice *Nârhigei*.

Nota. Aſtronomi numerant quoque ſecundum numerum phaſium lunae, 15 bihoria, quae *Muhûrtam* appellant, vt modo dictum eſt.

2. Hora vna eſt 60ma. pars diei ciuilis.

Scholion. Ergo horae Indicae $2\frac{1}{2}$ aequales ſunt vni Europaeae: vna hora Indica aequalis eſt noſtris 24 minutis.

3. Praeterea Tanſchauri et alibi, more Indoſtanico, dies naturalis in 12 partes diuiditur, dato aeris ſigno, quod *Tâs* appellant.

Nota. Initium diei cum Babyloniis et Graecis recentioribus faciunt oriente ſole, ita, vt hora noſtra ſeptima ſit eorum prima. Perficum طاس *Tâs* proprie ſignificat *peluim* ſeu *diſcum* ex metallo paratum, quem pulſant ad normam clepſydrae طاس نما *Tâs-nomâ* ſeu ὡροσκοπεῖον dictae, (a نمایيدن *Nomâyiden*, *monſtrare*): h. e. vaſculi aenei fiſtulati et in hydria poſiti, vnde aqua guttatim vsque ad os ſcaturit, idque demergit. De Sinis ſimile quid tradit Muſeum Sinicum tom. II. p. 336.

4.

4. Vnaquaeque hora diuiditur in duas ſemiſſes et quatuor quadrantes.

Nota. Semiſſis horae aequalis eſt Europaeis minutis 12. quadrans autem Europaeis minutis 6. Ille in calendario notatur lineolis duabus verticalibus, hic vero vna. Diuiſio haec plurimis gentibus eſt communis. Nomen ſemiſſis Tamulicum eſt *Arey-nârhighey*, et quadrantis *Câlnârhighey*, Graendicum autem *Arta-gh'adicà* et *Pâda-gh'adicà*. *Câl* et *Pâdam* proprie ſignificant *pedem*, ſpeciatim *quadrupedis*, Graendice *Saduſih-pât*, Perſice quoque چهار یک *Tſchahâr-pâ* dictae.

5. Hora etiam diuiditur in ſedecim *Wîſam*.

Nota. Quaeuis ſedecima pars ab arithmeticis Tamulis vocatur *Wîſam*, ſeu vſitatius *Mâ-gâni*. In Kalendario notatur, noſtro ſigno diuiſionis (—) ita vt et duplicetur. (=) et triplicetur (≡) Reſpondet Europaeo ſeſquiminuto. Sic hora Sinica diuiditur in octo *ke*.

6. Numerantur autem 30 *Nârhighey* et 12 *Tâs* diei, ab ortu ſolis vsque ad occaſum : tum iterum 30 *Nârhighey* et 12 *Tâs* alia vsque ad ortum ſolis.

Nota. Horae Indicae in vita ciuili ſunt planetariae ſeu Iudaicae h. e. inaequales, praeſertim ſub finem diei et noctis.

Ortus et occaſus nobis hic indicat horas ;
Hunc penes arbitrium eſt et ius et norma diei.

Sunt ſic ſatis aequales ad vitae ciuilis vſum his in locis, quae fere ſub perpetuo aequinoctio ſunt ſita, vbi vix ſentiri poteſt diei, aliquid decedere, niſi cum ſol in tropicis ipſis verſetur.

7. Kalendariographi tamen vniuscuiusque menſis die, praeſertim duodecimo, aut decimo tertio obſeruant diſcrimen horarum diurnarum, quod *Abaʾſçu* appellant.

Nempe in Aprili et Auguſto 30°. 48′. in Maio et Iulio 31°. 26′. in Iunio 31°. 42′, in Septembri et Martio 30°. in Octobri et Februario 29°. 12′. in Nouembri et Ianuario 28°. 34′. et in Decembri 28°. 18′.

III. DE DIEBVS.

Dies generatim dicitur *Nâl* Tamulis, et *Dinàm* Brahmanis.

Nota. Hoc altero et Tamuli pro *quotidie* vtuntur. Speciatim autem dies *ciuilis*, (vt eum Chronologorum more dicemus, quem Aſtronomi malunt nuncupare *naturalem* : accuratius enim Chronologi lo-

loquuntur,) apud hos appellatur *Râ-pahghèb*, νυχθήμερον, apud Brahmanas autem *Ahô-râtrum*, ἡμερονύκτιον. Tamulicum *Kürhamei* ſ. *Külamey* conuenit quodammodo cum Ebraeo Chaldaico שבת *Schabbat*. Abſolute adhibetur pro hebdomade, addito autem praenomine proprio, etiam pro die hebdomadis, pariter ac *Sabbatum* apud Syros, Araces, Mauros et Perſas Chriſtianos.

2. Dies ciuilis diuiditur in 60 *Nârhighey*: naturalis, cuius initium eſt ab ortu ſolis, in 30. *Nârhighey*, ita vt alia 30 nocti tribuantur.

3. Praeterea diuiditur in octo *Sâmam* ſeu *excubias*, ita vt vnaquaeque contineat horas Europaeas 3. Indicas *Nârhighei* $7\frac{1}{2}$.

Nota 1. Tamulicum *Sâmam* et Grændicum *Tâmam*, Perſiae et Indoſtaniae incolis dicitur پهر *Pahær*, *quadrans*. Nam diem pariter ac noctem diuidunt in quaternas partes, vt olim Iudaei. (*) Romani quoque noctem in quatuor vigilias diſtribuerunt, exemplo Graecorum, apud quos τετράμοιρος νυκτὸς φυλακή. At *Sâmangoel* iſta peculiari nomine non perhibentur, ſed numerantur: primum ſecundum et quartum *Samam*.

Nota 2.

(*) Nehem. IX. 3. Matth. XIV. 25. Non Pompeii demum temporibus, vt Grotius ad h. l. vult. Conf. Relandi Antiquitates Ebraeae P. IV. c. 1. §. 18.

Nota 2. Quales ſunt horae Indicae, tales ſunt excubiae, h. e. ſic inaequales ſunt, vt inaequalitas in vita ciuili, cuius vſui inſeruiunt, plus aut minus ſentiatur, prouti vnusquisque locus in India ſitus eſt.

IV. DE HEBDOMADE.

HEbdomas eſt dierum 7. Tamulice dicitur *Kürh'amei* ſeu *Külamey* et Grændice *Wâram.*

Nota. Appellatio haec conuenit quodammodo cum Ebraeo et Chaldaico שבת, Σάββατον, *Feria* abſolute, vt ſupra diximus.

2. Vnaquaeque dies nomen a planeta habet, et quidem ab eodem, a quo noſtri dicuntur dies.

Nota. Nominatio iſta aſtrologica originem communem debet Aegypto. Ipſe autem cyclus hebdomadum admodum vetus et paene vniuerſalis omnium gentium eſt.

Scholion. Indi planetas numero nouem habent nomine *Nava-grahàm*, Tamulice *Nava-kregàm*

Grændice	*Tamulice*
1. *Aaditjahà*	*Nâjru* Sol.

ce

Nota. Dicitur etiam apud Brahmanas *Mitrabà*, i. q. Perſice ميثرا *Mithras*, nec non Tamulice *Sûrien* et Grændice *Sçûrjabá*. Ab eo proſapia regum quorundam *Sûrja-wangſham*, ſicut alia a luna *Sçôma-wangſham* nomen habet.

2. *Sçômabà* — *Tingôl*, Luna.

Nota. *Sándiren* quoque audit, Grændice *Sandrabá*, vnde nomen, regis Indici, vti exiſtimabatur, Σεληνηγενέος, *Sandrocottus*, cui Seleucus Nicator bellum mouit. *Tingœl*, *Lunae* et *Menſis* nomen, vt Perſicum ماه *mâh* et Sinicum *yve*.

3. *Angàracabà*, ſeu *Mangalabà* — *Sevvâj*, Mars
4. *Budʼabá* — *Pudèn*, Mercurius
5. *Brahaçpatibì*, ſeu *Guruhú* — *Wiârbʼam*, Iupiter
6. *Shucrabá* — *Wôlli*, Venus
7. *Shanibì*, vel *Mandabà* — *Sanì*, Saturnus
8. *Rhâhuhu* — *Râgu*

Serpens niger, qui e capite gigantis a *Wiſchtnu* occiſi natus, permiſſu *Wiſchtnu* in ſolem, quem prehendit, virus ſuum effundit, ex quo *eclipſes ſolares*.

9. *Kétuhu* — *Kêdu*

Serpens ruber, qui e trunco reliquo eiusdem gigantis ortus, dicto modo *eclipſes lunares* efficit.

Nota I. Duo poſteriores ſunt planetae caeci ſeu ficti, Europaeis caput et cauda draconis dicti, ſeu alio nomine, nodus adſcendens et deſcendens, quorum ſigna ☊ et ☋ ex dimidiato ſerpente ∽ nata ſunt. Sol et luna in iis, ſeu prope eos poſiti, deliquium patiuntur. Sic ſecundum ſaniorum opinionem ſol et luna deficientes obteguntur tantum a ſerpentibus illis, id quod ſignificat Graendicum *Vparâgam*, *eclipſis*, licet aliud eclipſeos nomen *Græhanàm*, Tamulice *Crânam*, proprie *prehenſionem* denotet.

Nota 2. De Sinicis quoque aſtrologis Nicolaus Trigautius de Chriſtiana expeditione apud Sinas l. 1. c. 5. *Audio*, inquit, *vereri eos*, *ne* (ſol ac luna) *a ſerpente*, *neſcio quo*, *per id tempus*, (defectionis) *ſorbeantur*. Proinde planetae laboranti eos ſubuenire ait, *aereis cymbalis* ad numerum pulſatis. Id quod etiam ſibi volunt *aera auxiliaria* lunae apud auctores Romanos.

3. Nomina dierum in hebdomade haec ſunt.

	Grændica		*Tamulica*,
☉ 1	*Aaditja-wâram* (*)	1	*Najtu-kürhamey*
☽ 2	*Côma-wâram*	2	*Tingôl-kürhamey*

(*) Ex epiſtola auctoris 1735. 10. Ian. *Hebdomadem Indi noſtri exordiuntur a Dominica*, *ſed annum in calculatione chronologica a maioribus praeſcripta*, *a ſexta feria*: *anni autem verum initium in quamuis feriam incidere poteſt*.

♂

		Grændica	*Tamulica*
♂	3	*Angâraka-wâram*	3 *Sevvâi-kürhamey*
☿	4	*Buḍ'á wâram*	4 *Puḍèn-kürhamey*
♃	5	*Brahâçpati-wâram*	5 *Wiàrha-kürhamey*
♀	6	*Shukra-wâram*	6 *Wôlli-kürhamey*
♄	7	*Shanì-wâram*	7 *Sani-kürhamey*

Nota: *Najru* in genetiuo *Najtu*. Sic *Cotate* prope promontorium Comorinum proprie dicendum *Cotâru*.

V. DE MENSIBVS.

MEnſis vocatur *Mâdam*, Grændice *Mâçam*.

Nota. *Mâdangöl* eſt pluralis, qui fit addita terminatione *göl* et mutato *m* finali in *n*.

2. Eſt pars duodecima anni diſpoſita ſecundum numerum ſignorum Zodiaci.

Nota I. Brachmanae numerant etiam bimenſes *Rütuhù* dictos. Sic ſupra citatus *Amará çimham* in temporis diuiſione porro ita progreditur: 30 *Muhûrtam* ſeu bihoria, ſunt 1 *Aborâtram* ſeu ἡμεγονύκτιον, horum quindecim 1. *Pakſcham* ſeu ſemimenſis, i. q. Tamulicum *Paccam* (*latus*, ſcilicet lunae) horum duo 1. *Mâçam*, horum duo, 1 *Rütu*, horum tria 1 *Ayanàm*, ſeu *ſemiannus*, horum duo, 1 *Warſcham*, ſeu *annus*.

Nota II. Liber *Bhûcolàm* menſem perhibet quadruplicem. 1. *Lunaris* eſt, qui incipit a prima lunae phaſi, triduo poſt nouilunium apparente. 2, *Solaris*; cuius initium dicitur *Sçáncramam*. 3. Triginta dierum, cuius terminus eſt τριακὰς. 4. Viginti ſeptem dierum, ad numerum conſtellationum, quarum Nomina et ſignificationes exſtant in Tomo II. Relationum pag. 1028. 1030.

3. Signa Zodiaci *Râſhi* dicta, ſunt duodecim.

1.	*Móſcham*,	Aries
2.	*Wrüſchabham*, Tamulice, *Ríſchabam*	Taurus
3.	*Mittunam*, proprie, *Complexus maris et foeminae*	Gemini
4.	*Cát'acam* ſ. *Cárcaa'agam*	Cancer
5.	*Sçimham*, Tamulice, *Singam*	Leo
6.	*Canni*	Virgo
7.	*Tulâm*	Libra
8.	*Wrütſhicam*, Tamulice, *Wirütſigàm*	Scorpio
9.	*Dhánuſçu*, Tamulice, *Tánuſu*	Sagittarius, ſ. Arcus
10	*Mácæram*	Crocodilus, aliis Carcharias, Europaeis Capricornus.

11

11. *Cumbham*		Amphora, aquaria oris anguſti.
12. *Mînam*		Piſcis.

Nota I. Indi item ab Ariete, quocum annus eorum orditur, recenſent ſigna zodiaci in Arithmetico libello, Tamulice *Oen-ſúwad'i* dicto, a quouis tirone memoriae mandando. Nec Brahmanae ab alio ſigno incipiunt.

Nota II. Pro his ſignis denotandis non vtuntur peculiaribus characteribus, ſed breuitatis cauſſa ſyllaba tantum initiali ea exprimunt.

Nota III. Eclipticam vocant *Câla-ſákkaram*, *temporis circulum*, atque diuidunt eam in duodecim *domus* Zodiacas, (quomodo et Sini ſignum caeleſte *domum magnificam* appellant) nec non in viginti ſeptem conſtellationes, atque harum quamlibet in quatuor partes aequales, P*âdam* ſeu *pedes* dictas. Secundum has, aiunt quidam, Zodiacus quoque diuiditur in 108 gradus; ita vt quoduis ſignum contineat nouem eiusmodi quadrantes ſeu gradus, quorum quisque valeat tribus noſtris, ac minutis viginti: licet conſtellationes iſtae non omnes intra Zodiacum concludantur, ſed et tropicum cancri excedant.

4. Duodecim menſium nomina.

Tamulice		*Grandice*
1. *Síttirey*	Aprilis	*Seytram*
2. *Weiyâſi*	Maius	*Weyſhâk'am*

3.	*Aani*	Iunius	*Gjieſtam*
4.	*Aad'i*	Iulius	*Aaſchâdham*
5.	*Aawañi*	Auguſtus	*Shrâwanañ*
6.	*Pürædtâſi*	September	*Bâdrapadám*
7.	*Atpaſi*	October	*Aaſhwîgjam*
8.	*Câltigey*	Nouember	*Kârtîgam*
9.	*Mârgarbi*	December	*Mârga ſhîrſcham*
10.	*Tey*	Ianuarius	*Pauſcham*
11.	*Mâſi*	Februarius	*Mâg'am*
12.	*Pánguni*	Martius	*P'âlgunàm*

Nota I. Nomina Graendica menſium conueniunt quoque cum nominibus ſignorum Zodiaci, ſicut et Sinica nomina vtrisque communia ſunt.

Nota II. Pari modo apud Macedones Aprilis erat menſis primus: μῆν πρῶτος Ξανθικὸς, ὁ καλούμενος Απρίλλιος, inquit Macarius Aegyptius homilia V. §. 9. Et de Iudaeis Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum l. 1. IV. Μωυσῆς δὲ τὸν Νισὰν, ὅς ἐστι Ξανθικὸς, μῆνα πρῶτον ἐπὶ τοῖς ἑορταῖς ὥρισεν κ. τ. λ. *Moſes autem* (in oppoſitione ad diſtinctionem anni politici (*) apud Aegyptios etiam *priſtinum ordinem* ſecutos, olim vſitatam) *Niſan, qui eſt Xanthicus, menſem primum in ſuis feſtis* (anni Eccleſiaſtici) *ordinauit, quod eodem Ebraeos ex Aegypto eduxiſſet.*

5.

(*) Cuius mentio fit in hiſtoria diluuii Gen. VII. 11.

5. Dies cuique menſi attributi non certo numero, ſed pro lubitu determinantur.

Nota I. Exemplo ſint ſex anni nouiſſimi:

Plawanga			*Kîlaga*		*Sçaumja*	
A. C. 1727.			A. C. 1728.		A. C. 1729	
Aprilis	♃	31	♀	31	♄	31
Maius	☉	31	☽	31	♂	32
Iunius	☿	32	♃	32	♄	31
Iulius	☉	31	☽	31	♂	32
Auguſtus	☿	31	♃	31	♄	31
September	♄	31	☉	31	♂	30
October	♂	30	☿	30	♃	30
Nouember	♃	29	♀	29	♄	30
December	♀	29	♄	30	☽	29
Ianuarius	♄	30	☽	29	♂	29
Februarius	☽	30	♂	30	☿	30
Martius	☿	30	♃	30	♀	31
		365		365		366

Sçadh'ârana			*Wirôdigrut'.*		*Parîtâpi.*	
A. C. 1730.			A. C. 1731		A. C. 1732.	
Aprilis	☽	30	♂	30	☿	31
Maius	☿	32	♃	32	♄	31
Iunius	☉	31	☽	32	♂	32
Iulius	☿	32	♀	31	♄	31
Auguſtus	☉	31	☽	31	♂	31
September	☿	30	♃	31	♀	31

Octo-

October	♀	30	☉	30	☽		30
Nouember	☉	30	♂	29	☿		29
December	♂	29	☿	29	♃		30
Ianuarius	☿	30	♃	30	♄		29
Februarius	♀	29	♄	30	☉		30
Martius	♄	31	☽	30	♂	☿	30
		365		365			365

Nota II. Addimus ſummas dierum ſex annorum hisce ſuperiorum, ex quibus ratio intercalandi in biſextilibus, quae calculatione tantum fundatur, intelligi debet.

Plawà	*Shubhácrut'*	*Shôbhácrut'*
1721. ☿ 365.	1722. ♃ 366.	1723. ♄ 365.
Crôdh'i	*Wiſhwâwaçu*	*Parábhawà*
1724. ☉ 365.	1725. ☽ 365.	1726. ♂ 366.

Annus ante hos tertius *Wülæmbi* ſeu 1718. etiam fuit intercalaris, vt alibi obſeruatum eſt, adeoque inde ad annum 1726. poſt quaternos annos incidit intercalaris, ſed A. 1729. poſt tertium. Intra 60 quoſque annos calculum reconcinnari aiunt.

6. Menſis lunaris diuiditur in duas partes: in *Ammâwâſei, lunam nouam* et *Paváranei*; *lunam plenam.*

Nota. In Kalendario illa ſignatur per + haec autem per o. Menſis ſolaris, in quo luna bis ſilet, vocatur *Mala-mâçam*, *immundus* i. e. *infelix menſis*, e. g. Auguſtus Anni 1730. Vide Kalendarium

7.

Vnusquisque semimensis, *Pakscham* dictus, in *Tit'i* seu *phases* diuiditur, quarum haec sunt nomina:

Grændice.	*Daknice.*	*Persice.*
1 *Práttimâ*	فيلوان	اول
Πρῶτον	*Fæiluwân*	*Awal*
2 *Dwitîyâ*	دوسروان	دويم
Δεύτερον	*Dûsurawân*	*Dujum*
3 *Trütiyâ*	تسروان	سيوم
Τρίτον	*Tesrawân*	*Sejum*
4 *Shaturti*	چوتهاوان	چهارم
Τέταρτον	*Tschautæhawân*	*Tschæhârum*
5 *Pandsamì*	پانچوان	پنجم
Πεμπτον	*Pântschuwân*	*Pangjum*
6 *Schaschtmì*	چهتاوان	ششم
Sextum	*Tschahtth'âvân*	*Schæschum*
7 *Sçaptamì*	ساتوان	هفتم
Septimum	*Sâthuwân*	*Haftum*, Εβδομον
8 *Ascht'amì*	اتوان	هشتم
Octauum	*Atth'uvân*	*Haschtum*
9 *Nawamì*	نوان	نهم
Nonum	*Nawân*	*Nohum*
10 *Dæshamì*	دسوان	دهم
Decimum	*Dæswân*	*Dahum*

11 *Ecadæſchi*	اکاروان	یازدهم
Ενδέκατον	*Igârwan*	*Iazdahum*
12 *Dwâdæshi*	بارواں	دوازدهم
Δωδέκατον	*Barwân*	*Duwâzdahum*
13 *Træyôdæshi*	تیروان	سیزدهم
Τρισκαιδέκατον	*Thêrwân*	*Sezdahum*
14 *Shaturdæshi*	چودوان	چهاردهم
Τεσσαρακαιδέκατον	*Tſchaudwân*	*Tſchæhârdahum*

15 *Pûrnimâ*	پادوا	پدر
Plenilunium	*Pad'uwâ*	*Bedr*
Amâwâçja	اموس	ماواز
Nouilunium	*Amawâs*	*Mâwâz, Luna*
Μηνοειδὴς Φάσις		*apparens*

Nota. Perſicum واز *Wâz* ſeu باز *Bâz* ſignificat *apertum, patens, lucidum, clarum.* A ما *mâ* (vnde *Amâ*, praemiſſo A, vt in *Ananies* et *Acinaces*) deriuatur etiam *Mâçam, menſis*, Dorice Μάν. Sic reliqua nomina quatuordecim Grændica et Dacnica, hoc eſt, Indoſtanica, congruunt cum numeris Graeco-Latinis pariter ac Perſicis, horum duobus tantum exceptis. Talia quoque ſunt ſequentia

tia: *Dantam*, *dens*, Perſice دندان *Dandân*, ὀδούς, ὀδόντος, ab Ebraeo *Schên*, Germanice item *Zahn*, quae vox eſt in plurimis linguis orientalibus atque occidentalibus. *Gauhu* ſeu *Gô*, Germanice *Kuh*, Perſice گاو *Gaw*, γοῦς. *Tugàm*, *iugam*, Perſice یوغ *Iough*, Germanice *Ioch*: ſed Tamulice *Nugàm* et Graece ζυγόν. Et ſic plura. Graecis quoque adfinia ſunt: *Gjalàm* ſeu *Salàm*; *Aqua*, Σάλος; *Salum*: *Calancam*, *macula*, κηλὶς, cetera. Sed praeter ea, quae cum Perſicis tantum conueniunt, e. g. *Mök'am* ſeu *Mögam*, Perſice میغ *Mîgh*, *nubes*: *Wâſa*, Tamulice, *Waſambu*, Perſice et Arabice وج *Wagj* ſeu *Wadſch*, *Acorum*: ſunt alia, quae Latinis ſolummodo conſonant, ſpeciatim Grændica e. g. *Ag'nihì*, *ignis*, *Nâçica*, Tamulice *Nâſi*, *naſus*, *ſçâmi*, *ſemi*, ab ἥμισυ. Nec non Latinis et Perſicis ſimul e. g. *Widh'awà*, *vidua*, Perſice بیوه *Bîwah*, Tamulice *Widawey*, Germanice *Witwe*, reliqua. Ex his exemplis, quae copioſius produci poſſent, ſi neceſſe eſſet, cognoſci poteſt, (quod bona venia tua dixerimus) numeros Perſicos et Grændicos nimis liberaliter a Graecis deriuari, cum regnum illud Bactriano-Graecum nec adeo diuturnum fuerit. Standum potius a partibus illorum, qui eiusmodi harmoniam vocum a communi origine Scythica repetunt, quale exemplum habes in Commentariorum Academiae Tomo I. p. 396. *Rhos* et *Rha*, Latinis quoque *riuus* dictum, vnde Hispanorum et Lusitanorum *rio*, item Tamulis *Aru*.

VI. DE ANNO.

ANnus in *Græcdam* vocatur *Warſcham*.

Nota. Ad modum menſium annus quoque quadrifariam diſpeſcitur: *Lunaris*, *Sândra-mânam*, dierum 355. 2. *Solaris*, *Sçaura-mânam*, 365. 3. Ἐφημέριος, *Sçâwana-mânam*, 360. 4. Ἀστρόθεος, *Nâkſchatra-mânam*, 324. *Mânam* ſeu *Pramânam* ſignificat *normam*. Primus in uſu eſt apud Sinoſes et Indos euroaquilonares, ſecundus apud Indos auſtrales, tertius apud zephyroaquilonares, quartus autem, quantum ſciamus, non amplius moris eſt. His additus Ionialis (*) *Bârhaçpatja-mânam*, de quo infra in Kalendario dicitur, quod in regione ſeptentrionali uſu vigeat, ultra montem *Windi* (forte i. q. *Mandoa*) cis fluuium *Godâwari* (in mappis *Guderas*) ſitum. Is annus quoque eſt dierum 360, menſium autem 12. (ut olim apud Romanos) quorum quisque definitur diebus 30. Intra 12 forte annos cum ſole in gratiam redeunt ſeptentrionales, quia Iupiter quouis circiter anno ſignum caeleſte abſoluit. De Banianibus circa Suratam Baldaeus p. 472. ed. Germ. *Annum*, inquit, *in menſes 12 diſtribuunt, ita, vt dies 360 numerent: hinc quartum quoque annum in trinos denos menſes deſcribunt, menſi decimo tertio dies tantum 16 attribuentes.*

Pro

(*) Ex epiſtola auctoris 1735. 10. Ian. *Bârhaçpa'ja-mânam Penjanam*, eſt ἐφημέριον ſeu *dierum* 360. In Calendario Vardugico vocatur *Rettatſchi*.

Pro 16 legendum videtur 21. Dies enim quatuor annorum solarium cum bissexto efficiunt 1461. Idem tamen p. 601. de gentilibus, puta *Wardugis*: *Tertio*, inquit, *quouis anno* (lunari) *bissextilem tredecim mensium intercalant*. Sic Fratres nostri Madrastenses ex Brahmanis Golcondicis prope *Visagapatnam* degentibus, intellexerunt, tertio cuique anno se addere mensem embolimaeum, ita vt hic decimus tertius tot diebus constet, quot opus sunt, vt cum cursu solis gratiam concilient; hanc rationem in vsu esse inde a Madrasta vsque ad montem *Wind'ja*, in quo si sol ac luna obuiam se inuicem dent, (h. e. vmbra tangant), in certamine illo partem superatam pati eclipsin. Eclipticam vocarunt *Shimshumâra-saccram*, h. e. *Crocodili*, (Capricorni) circulum. Sinorum rationem explicat Masseius Historiarum Indicarum l. VI. init. p. 111. *Annum*, inquit, *e lunaribus periodis duodecim ita conficiunt, vt tertio* (adde, et quinto) *quoque anno ad duodecim vnam addant*, seu potius tertiae tamquam bistertiam inserant; scilicet donec aureum numerum 19 annorum denuo inchoent. Vide Museum tuum Sinicum II. p. 340. coll. Praef. p. 138. Hoc est, quod de vetustis Indis Q. Curtius l. 8. c. 9. scribit: *Menses in quinos denos descripserunt dies: anni plena spatia seruant*. Minime sibi ipse contradicit Curtius, vt putant Scholiastae eius: menses ipsi dicuntur minores, siue semimenses. Sinis *Cie ki*, *ordo temporis* (Museum Sinicum II. p. 342. seq) Indis autem *Purva-pa-kscham* et *Apara* (vulgo *Ama-*

ra-pa-kſcham) h. e. *prius nouilunium et poſterius plenilunium* dicti. Vnde ſimul apparet, de his bene intelligi poſſe, quae ibidem ſequuntur: *Lunae curſu notant tempora, non, vt plerique*, (ſpeciatim Aegyptii) *quum orbem ſidus impleuit, ſed cum ſe curuare coepit in cornua.* Plenum enim lumen apud Indos noſtros non eſt cornibus prius. Schah Cholgius de anno Indico ſic ſcribit: *eſſe annum compoſitum, et ſolarem* vocari; at menſes eſſe lunares, vt in سال تركستان و هندوان *anno Turcarum et Indorum.* Thomas Hyde in Hiſtoria religionis veterum Perſarum p. 216. cum non intelligeret, quomodo annus poſſet eſſe ſolaris, cum menſes ſint lunares, Schah Cholgium pro قمري سالهاي *anno lunari* putat perperam ſcripſiſſe شمسي *ſolarem.* Tamen iterum haeret, cum hic annus compoſitus dicitur. At nos Schah Cholgium e forma anni *Sinici* et *Wardûgici* commode explicamus.

2. Annus ſolaris communis eſt dierum 365. biſextilis 366. lunaris autem 355. et diarius 360.

Nota. Sini pro anno lunari numerant tantum 354 dies, ſed, vt notum, reſiduum eſt horarum 8. minutorum 48. ſecundorum 36. adeoque tertio quouis anno numerandi dies 355. (*)

3. Annus ſolaris eſt vel aſtronomicus vel ciuilis.

4.

(*) Vide Parergon Sinicum.

4. Aſtronomicus initur a puncto temporis per calculationem quaeſiti, quo ſol arietem ingreditur.

Nota. Indorum computandi ratio nititur tantum tabulis a maioribus ipſorum elaboratis, non autem aſtronomica obſeruatione puncti illius, quo ſol ingreditur arietem. Initium anni fit, quam ſol adhuc apparet in ſigno arietis. Computus iſte anniuerſarius, cuius rationem anno ſuperiori notificauimus, quantas olim pepererit confuſiones, nemo neſcit. Annus Indorum eſt *Iulianus*, in quem Aegyptii quoque iugo Romano ſubditi, annum ſuum Nabonaſſareum mutarunt. Errore etiam, vt putamus, arithmetico factum eſt, vt ille iam a *Gregoriano* non vndecim, ſed decem tantum diebus differat, vti apud nos adhuc ſeculo ſuperiore.

5. Annus ciuilis incipit ab ortu ſolis apparenti eius diei, quo die, aut, ante quem diem noctu, tempus ad calculos exactum deſignatur.

6. Annus qui eſt biſextili proximus promouetur duobus, ceteri vno die hebdomadis.

Nota 1. Indi diem biſextum non ſtricte Martio, ſed alii cuique menſi inſerunt.

Nota 2. Annus quisque non incipit ab vltimo Martii, ſed tantum is, cuius initium excedit horam 30^m diei. Eiusmodi ſunt:

29.

(*) Hoc dubium tolletur ex iis, quae infra de forma anni Indici ex Clariſſimi Collegae commentatione producemus.

29us. *Mánmala* 1715.
30us. *Túnmagi*
33us. *Wigâri*
34us. *Sârwari*

et reliqui omnes, qui *nocte* incipiunt. 41°. *Pilawânga* ſcu 1727. Addo ſequentes vsque ad praeſentem, reliquorum initia ignorantur.

42.	*Kilaga*	1728		1.	15	♂
43.	*Saumja*	1729	1. April.	meridie 16.	46	♄
44	*Sadârana*	1730.	31. Mart.	nocte 32.	17	☉
45	*Wirôdigrudu*	1731	31. Mart.	—— 47.	48	☽
46	*Paridâbi*	1732.	1. April.	mane 3.	20	☿

7. Annus diuiditur in duo *Ayanâm*, *ſemeſtria*, et in 12 *Madam*, *Menſes*.

Nota. Semeſtre aeſtiuum vocatur *Vttærâyanam*, *ſeptentrionalis tropicus*; brumale autem *Dækſchinâyanam*, *auſtralis tropicus*. In Kalendario hic adnotatur primo Iulii, et ille primo Ianuarii. Menſis diuiditur in maiorem et minorem, non autem peculiaria ſeminenſium nomina, ſed quoduis dimidium prius phaſium creſcentium, Græcdice appellatur *Shukla-pakſcham*, h. e. *luminis pleni*, poſterius phaſium decreſcentium *Crîſchtna-pakſcham* h. e. *tenebrarum*, alio nomine *Wruddh'ihi*, *adſcendens* et *Kſchayàm*, *deſcendens*.

VII.

VII. DE HEXACONTAETERIDE seu Cyclo Sexagenario.

HExacontaeteris ſeu cyclus ſexagenarius vocatur A*and'u*.

Nota. Tamulicum *ândhu* proprie ſignificat *annum*, hic autem maiorem ſeu ſemiſeculárem, nempe aetatem humanam. Brahmanae noſtri peculiari nomine cyclum hunc non exprimunt. *Raſchi* in Muſei Sinici Tomo II. p. 319. volanti crenae elapſum, ſignificat ſignum Zodiaci.

2. Cum in hoc cyclo 60 anni continentur, totidem quoque ſunt nomina annorum.

3. Primus annus incipit a primo nomine cycli et totus ab eo dicitur, ſecundus a ſecundo et ita deinceps.

4. Hexacontaeteridos nomina Graendica haec ſunt. (*)

1. *Prab'awá*
2. *Wib'awá*
3. *Shuklá*
4. *Pramodûta*
5. *Pragjôtpati*
6. *Aangirá*

(*) His nominibus vtuntur non modo Tamuli, ſed etiam Telugi, ſeu Varugi, Marathae et Cannari. Ex epiſtola R. B. Schulzii Madraſta 1734. 24. Dec. Et R. Waltheri 1735. 10. Ian. Hic inter alia: *Vocabula*

7 *Shrîmuk'a*
8 *B'awá*
9 *Iuwà*
10 *D'âtu*
11 *Iſhwarà*
12 *Wegud'ânja*
13 *Pramâti*
14 *Wikramà*
15 *Wrüſchà*
16 *Sitrab'ânu*
17 *Çub'ânu*
18 *Târunà*
19 *Partiwa*
20 *Wja*

21

haec extra vſum Chronologicum, tamquam appellatiua quid cuncta ſignificent, hodie ſane nemo nouit. Quidam tradunt, fuiſſe nomina filiorum Brahmanae cuiusdam, nomine Paraſaler, quem in ſingulos ſexaginta annos filium genuiſſe aiunt. Mauri ſ. Tulucci iis non vtuntur, quia ſuperſtitione Muhammedis dediti ſunt, adeoque in annorum computo Hegjram eius ſequuntur. R. R Miſſionarii in epiſtola ad me 1735. 30. Dec. ſcripta: Haec 60 no- " mina, totidem filiorum regis Sagara-Saccrawarti, nobis " poeta doctiſſimus, deinde etiam Brahmanquidam, qui " quaedam correxit, ex *Kirendum* explicuit. 1. *Prab-* " *hawà, qui dominatur.* 2. *Wibhawà, diues.* 3. *Shukla,* " *alba facie.* 4. *Pramodulà, ſapientiae aſſecla.* Sed non videtur neceſſe eſſe, vt cetera quoque nomina cum lectoribus noſtris communicemus.

21 *Çarwagjitü*
22 *Çarwad'âri*
23 *Wirôd'i*
24 *Wikruti*
25 *K'arà*
26 *Nandanà*
27 *Wigjæà*
28 *Gjæà*
29 *Manmad'à*
30 *Durmuk'i*
31 *Hewülambi*
32 *Wülambi*
33 *Wikâri*
34 *Shârwari*
35 *Plawà*
36 *Shub'akrutü*
37 *Shôb'akrutü*
38 *Krôd'i*
39 *Wiſhwâwæçu*
40 *Parâb'awà*
41 *Plawanka*
42 *Kîlaka*
43 *Çaumja*
44 *Çâd'ârænà*
45 *Wirôd'ikrutü*
46 *Paritâpi*
47 *Pramâtîſa*
48 *Aananda*
49 *Râkſchaçâ*

50 *Nal'à*
51 *Pingal'á*
52 *Kâlæjuk'i*
53 *Cidd'ârti*
54 *Raudri*
55 *Dúrmuk'i*
56 *Dundub'i*
57 *Rud'irôtkâri*
58 *Raktâkſchi*
59 *Krôd'ænà*
60 *Aakſchaja*

5. Quando hoc cyclo in annis vtuntur, tum adiiciunt *warſcham*, quod *annum* ſignificat. e. g. 26^tus. *Nándana-warſcham*, ſeu 1712.

6. Non conſtat, quando cyclus hic ſit conditus, mosque ita computandi introductus, aut quotum *ând'ha* hoc ſit, in quo nunc viuitur.

Nota. In praeſenti aeuo praeterlapſos eſſe aiunt annos 4833. Quos ſi per 60 diuidas, eſſet *andu* octogeſimum et hodiernae hexacontaeteridos annus 33us. quum tamen reuera iam ſit 46us. In quodam aeuorum praeteritorum cyclum illum conditum eſſe hariolantur.

7. In chronologia *Trigâla ſaccaram* mentio fit Dodecaeteridos *Mâmângam*, quinquies in Hexacontaeteride, quod ad numerum annorum, contentae, non autem ad eam conformatae aut diſpoſitae.

Nota.

Nota. Graendice dicitur *Mahâ-magh'àm*, *magnus Regulus* i. e. festus Februarius, qui ita vocatur a constellatione *Magh'àm*, seu *corde Leonis*, quam Kalendarium cum nouilunio mensis illius semper coniungit. Nam proprie est festum, quod duodecimo quouis anno, tempore nouilunii celebratur, e. g. A. 1730 seu *Sçándh'arana*, qui in Hexacontaeteride est 44us. vti apud Plutarchum Delphica Ενναετηρὶς, quouis nouennio. Non autem est cyclus, secundum quem anni supputentur, vt olim apud Chaldaeos et hodie apud Sinos, qui peculiaribus eos nominibus, sexagenarium quoque obeuntibus, insigniunt.

8. Cyclum alium e sexagenario quater, siue, vt apud Sinos, ter in se ducto, Indi nostri non conficiunt: vtpote qui successiones hexacontaeteridum negligunt.

Nota. Obseruatu quidem dignum est, *andu* 4 seu annos solares 240 in altero cyclo maiori annorum 48300 contineri vicibus $201\frac{1}{4}$ vbi quarta illa pars residua desiderare videtur alium cyclum maximum, qui ex maioribus quatuor, seu sexagenario et maiori intermediis 805 ortus fuerit, quemadmodum ex 805 maior ille natus est. Verum in Chronologia modo citata intra cyclum sexagenarium et maiorem nullus indicatur, sed dicitur centum millia *andu* constituere *Vgàm*. Neque in Kalendario vllus dies appellatur nomine aliquo e cyclo sexagenario, sed ex illo quidem semimensis. Insuper alter cyclus maior annorum 432000 vsu magis receptus, eiusce rationis modum non admittit.

VIII. DE CYCLO MAIORI ſeu PERIODO.

PEriodum, quae conſtat pluribus cyclis minoribus, Indi vocant lingua ſua *Vgam* ſeu *Yugàm* i. e. αἰῶνα, *aeuum*: et eam, quae huius aeui eſt, *Cali-Yugàm*, annorum 432000 ſeu ſecundum alios 48300 deſituram cum incendio orbis et iudicio extremo.

Nota I. B. Ziegenbalgius terminatione quaſi Latina ſcribebat *Kaliugum*: quia *am* finale obſcure ſonat, fere vt *om*, vti apud Baldaeum p. 473 *Kaligom* coll. p. 405 *Kaligam.*

Nota II. Tamuli linguae Graendicae ignari differunt ipſi in calculatione annorum. A. 1712 ſcripſit B. Ziegenbalgio Indus, in hoc *Caliugam* nunc eſſe exactos annos 4337. (*Relationum Indicarum t. I. p.* 500) At Baldaeus refert, annum Chriſti 1665. Iafnapatnenſibus 4864 (rectius 4765) τῦ *Kaligam*, ſed 1639 Choromandelenſibus 4739 et 1670 ipſis 4770. Suratenſibus autem 4771 ſicuti A. 1657 his 4758 anni ſpatio diuerſis: quae differentia, vt opinamur, inde exſiſtit, ſi vel ante vel poſt Aprilem comparationem cum noſtro calculo inſtituas. In Kalendario Brahmanarum quotannis continuatur computatio, ita vt hic praeſens annus 1732 ipſis ſit 4833. inde a nouo anno Indorum: ſed ab Europaeo vsque ad Aprilem 4832. Vbi notabile eſt, ſaltem memoriam adiuuat, quod decas aerae Indicae et Chriſtianae pari fere paſſu ambulet, centuria autem ad vnam discrepet.

Nota III.

Nota III.(*) Haec Periodus vtroque numero oritur e cyclo ſexagenario. Nam 7200 hexacontae-

(*) Badagae ſeu Wardugi, alias Telugi, duodecim ſigna Zodiaci inter 27. conſtellationes diſtribuunt. Earum autem conſtellationum vnamquamque in 4 *Padam* i. e. *pedes* diuidunt, vt *Padam* in vniuerſum ſint 108 et vt 9 *padam* in vnumquodque ſignum conueniant. Cognoui haec ex epiſtola R. Io. Antonii Sartorii ad me data 1715. 11. Ian. ex qua earundem nomina atque ordinem exponam.

Aries	*Aſuwadi ſ. Aſwadi*	4	*Paræni*	4	*Kartigei ſ. Katigei*	1
Gemini	*Mirugaſiri-ſcham*	2	*Tiruwadirei*	4	*Punerpuſam*	3
Cancer	*Punerpuſam*	1	*Puſam*	4	*Ailiam*	4
Leo	*Magam*	4	*Puram*	4	*Vttiram*	1
Virgo	*Vttiram*	3	*Aſtam ſ. Attam*	4	*Sittirei*	2
Libra	*Sittirei*	2	*Shodi ſ. Swædi l. Sawædi*	4	*Wiſágam*	3
Scorpio	*Wiſagam*	1	*Anuſcham*	4	*Kedlei*	4
Sagittarius	*Mulam*	4	*Puradam*	4	*Vttiradam*	1
Capricornus	*Vttirádam*	3	*Tiruwönam*	4	*Awudtam*	2
Aquarius	*Awudtam*	2	*Sadeiam*	4	*Puredtadi*	3
Piſces	*Puredtadi*	1	*Vredtadi ſ. Vttiredtadi*	4	*Rebadi*	4

Nota. Sinenſes in globo caeleſti Pequini 1724 elegantiſſime excuſo 28 conſtellationes exhibent, et eaſdem in calendariis ſuis deſignant.

Prae-

terides efficiunt annos 432000 et 805 efficiunt 48300.

Praeter 27 conſtellationes Wardugi in Calendario ponunt totidem Yogam et 11 Caraenam. R. Sartorius, quid ea ſibi velint, nondum ſe plane potuiſſe cognoſcere, ad me ſcripſit, videri autem ſibi planetarum adſpectus deſignari, ſecundum quos deinde appoſita item in Calendario *Tiadſchiam* inueſtigentur: *Tiadſchiam* vero a Malabaris dici punctum temporis vel diei vel noctis aliqua hora, quod infauſtum ſit, eo enim tempore ſtellam aliquam morſum venenatum pati. Apparet autem ſatis ex Calendario *ipſo*, et Yogam et Caraenam cyclos eſſe conſtellationum, vt duodenarius et denarius ad Zodiaci ſigna adhibetur. Vt 10 in 12 continetur $1\frac{1}{5}$ ita 11 in 27 continetur $2\frac{5}{11}$. Nomina eorum haec a R. Sartorio mecum communicata ſunt.

XXVII. IOGAM.

1	*Wisgamban*	10	*Kándam*
2	*Priti*	11	*Wirúthi*
3	*Ajuſmân*	12	*Turuwam*
4	*Sawubakiam*	13	*Wiahgâhdam*
5	*Sobanam*	14	*Aruſchanam*
6	*Adigandam*	15	*Watſchiram*
7	*Sugarmam*	16	*Sitti*
8	*Turuti*	17	*Widhâdam*
9	*Sulam*	18	*Wariaem*

19

19	*Pariga*	24	*Suppiram*
20	*Siwam*	25	*Brumam*
21	*Sittam*	26	*Aintiram*
22	*Sæhtiam, ſ. Sahtiam*	27	*Weiturudi ſ. Weiturti*
23	*Subam, ſ. Suwam*		

XI. Caraenam.

1	*Pawa*	7	*Ságuni*
2	*Palawa*	8	*Pattira*
3	*Kawulawa*	9	*Sadusbadu*
4	*Teidula*	10	*Nagawam*
5	*Caræſi*	11	*Kimaſtukkinam*
6	*Wanaſi*		

Iogam ad quemuis diem ponuntur ordine ſuo, ſimul cum hora et minuto Indico, cum deſinit. Ita fit, vt nonnumquam vnum in diem duo Iogam congruant. Sed Caraenam nullo tali ordine ponuntur, cuius rei cauſſam, nondum explorata Caraenarum natura, inueni nullam. Cognoſcite haec magis ex parte Calendarii, quam ſubiiciam.

A. 1734 Decemb. ſt.	n.	Kaſtigei menſ.	Conſtellatio	Iogam	Caræenam
☿	1	20	*Vttiradam* h. $10\frac{1}{2}$	*Turuwa* h. $\frac{5}{8}$	*Cawulawa* h. $19\frac{1}{2}$
♃	2	21	*Awudtam* $15\frac{1}{2}$	*Wiagandam* $\frac{5}{8}$ / *Anuſcham* $59\frac{5}{8}$	*Caræſi* 22
♀	3	22	*Sadiram* $19\frac{1}{2}$	*Watſchiram* $58\frac{1}{2}$	*Pattira* $25\frac{1}{2}$
♄	4	23	*Puredtadi* $21\frac{1}{2}$	*Sitti* $55\frac{1}{2}$	*Palawa* $26\frac{1}{2}$

A. 1734 Decemb.		Kaſti-gei menſ.	Conſtellatio		Iogam		Caranam	
ſl.	n.							
☉	5	24	Vttiredtadi	23½	Widibadam	52½	Teidula	24½
☽	6	25	Rebadi	23½	Wariam	46½	Caræſi	24½
♂	7	26	Aſwadi	22½	Pariga	41½	Pattira	21½
☿	8	27	Paræni	20⅛	Siwam	35½	Caræſi	18½
♃	9	28	Cartigei	17½	Sittam	17½	Cawula-wa	13½
♀	10	29	Roganî	13½	Sæhtiam	20½	Palawa	8½
♄	11	30	Muragaſiri-ſcham	10½	Suwam	10½	Pawa	3½
☉	12	1	Tiruwatirei	5½	Suppiram 5½ / Brumam 50½		Caræſi	14½
☽	13	2	Punerpuſam 1¼ / Puſam 56¼		Aintiram	49¼	Pattira	18½

Haec *Yogam* dirigere mihi videntur periodos Indicas. Nam 16000 anni ſiue hexacontaeterides $266\frac{2}{3}$ per 27 multiplicatae efficiunt annos 432000 ſeu hexacontaeteridas $7366\frac{2}{3}$ quae periodus Caliugam dicitur. Ita deinde periodus *Dwapara-yugam* 864000 annorum ſiue hexacontaeteridum 14400 ex 32000 annis ſeu hexacontaeteribus $533\frac{1}{3}$ per 27 multiplicatis conficitur. Similiter periodus *Treda-yugam* 1296000 annorum ſeu hexacontaeteridum 21600 ex 48000 annis ſiue 800 hexacontaeteridibus per 27 multiplicatis exſurgit. Denique *Krüda-yugam* 1728000 annorum aut hexacontaeteridum 28800 ex annis 64000 ſeu $1066\frac{2}{3}$ hexacontaeteribus eodem modo procedit. *T. S. B.*

2. Cyclum maiorem *Yugam* anteceſſiſſe aiunt tres alios, *Krûdâyugàm*, annorum 1, 728, 000. *Tredâ-yugàm* 1, 296, 000 *Dwâpara-yugàm* 864, 000.

Nota I. In libris ſupra citatis *Bhû colàm* et *Oen-ſíwad'i* numerus annorum dicto modo computatur.

Scholion I. Vltimus Cyclus 432, 000 eſt dimidium penultimi, hic autem dimidium primi, cuius differentia a ſecundo, eſt totum quarti, ab integra ſumma 4, 320, 000 *millionibus* diſſiti: omnium autem radix eſt cyclus ſexagenarius.

Nota II. Alius auctor *S*amanaeus libri Tamulici *Canacc-adigâram* (h. e. *calculationis caput* ſeu prima origo) ex more, vt ait, regionis cuiusdam contendit, a quarto aeuo per duplicationem adſcendendum eſſe ad primum, nempe 432, 000. 864, 000. 1, 728, 000. 3, 456, 000.

Scholion II. Sic conflatur ſumma 6, 480, 000. Hac per annum Platonicum 36, 000 diuiſa, quotum 180 eſt dimidium 360 graduum Zodiaci, quos ſolem intra centies tot annos percurrere aiebat Plato. Si per 60 diuidatur, quotum 108, 000 aequat decem Sinicis coniunctionibus ſigni caeleſtis, quarum quaeuis definitur annis 10, 800. Fundamentum quaſi commune 1080 *Chalakim*, ſeu ſcrupula Chaldaeo-Iudaica, et 108, 000 *Câſchdtam*

ſeu tertia Indica, quae exſiſtunt ex tricies 3600 ſecundis, h. e. ſexagies 60 primis.

Nota III. Hoc ipſum argumento eſſe poteſt, numerum ita conquadratum inuicemque quadrantem eſſe fictitium, et ab otioſis logiſtis, pariter atque apud Sinos, excluſum. Sic olim Chaldaei eadem vanitate laborarunt, qui *Euechoi* regis ſuperiores, per longiſſimas periodos *Sarae*, *Nerae* et *Soſſae* dictas, imperium habuiſſe aiebant: ac tempore expeditionis Alexandri M. 470, 000 annos numerabant, vt Aegyptios taceamus eorumque reges *deos*, *ſemideos*, *heroas et homines*.

Scholion III. Quatuor iſta aeua reſpondent aetatibus, quas poetae auream, argenteam, aeneam et ferream appellant.

Nota. IV. In libro *Nâlâira-prabandam*, h. e. *quatuor millia hiſtoriarum* dicto, ordo quatuor illorum cyclorum in hanc ſententiam recenſetur: "In aeuo *Krŭdà* vixit *Sattia-wádanen*. Hoc eſt, "ſi interpreteris, *veritate ſpectabilis*, Noachus. "Huic Deus ipſius, *Wiſhtnu*, ſignificauit, adeſſe "aeuum *Tredà*, hoc eſt, Τρίτον, in quo *ter*- "*tiaria* fides, ſiue tres partes de primaeua inte- "gritate reſiduae. Exſtitit *diluuium*, in quo, ope "lembi ſeruatus, demum in aeuo *Dwápará*, h. e. "δευτέρῳ ſeu penultimo, vitam finiit. Similis eſt ratio ſeculi *aurei*, quod incepit tempore *Krodi*, vti Saxones Graecorum Κρόνον, ſeu *Saturnum* ap-

appellabant, h. e. Adámi, cui tres filii nati ſunt: (*) aut, ſi mauis, Noachi ante diluuium. *Aetas argentea* eſt Noachica poſt diluuium, qua coeperunt homines terram colere. *Aenea* initium ſumpſit a Nimrodo, id quod optime oſtendit Bochartus in Phaleg l. IV. c. 12. In ea Noachus mortem obiit A. M. 2006. *Aetas* autem *ferrea*, Indis *Cali-yugam*, hoc eſt, vitioſum aeuum dicta, in qua fides ad quadrantem vsque decreuit, initium, (quod incidiſſe ferunt in feriam ſextam, a qua et anni noui diem ſupputant) ducere poteſt ab obitu Sardanapali (id eſt *Schadran Phuli*, qui circa vltima Menahemi, Anno Mundi 3242. defuncti, Israelitas inuaſit,) (**) ſeu, quod idem eſt, a defectione Babyloniorum ab Aſſyriis, A. M. 3257. ante C. N. 747. vbi Monarchia orientis ſenſim ad culmen iſtud potentiae adſcendere coepit, quod aureum caput ſtatuae τετραμεταλλικῆς apud Danielem repraeſentat. Nam quum ad ea vsque tempora in regnis diuiſis gens quaelibet proprii regis vel dynaſtae imperio paruerit, vti Israelitae, de ſimili ſtatu contendentes; teſtantur: (***) reges regum (*) populos a ſe victos, regesque eorum obligarunt ad facienda imperata et perſoluenda tributa ſibi impoſita, id quod Indi quoque experti ſunt.

(*) Conferatur Voſſius. (**) II. Reg. XV, 18. 19. coll. Joſephi Antiquit. Iud. l. IX. c. XI. (***) 1. Sam. VIII, 5. 20. (*) Jeſaiae X, 8. Ezech. XXVI, 7.

IX. De Cyclo Maximo.

Habent etiam cyclum maximum *Satur-Yugàm*. Hoc eſt, τετραμῶν, *quaternarium aeuum*, ſiue periodus τῶν quatuor *Yugàm*.

Nota. Brahmanae rationem iſtam ſequuntur in deſcribenda aetate deorum ſuorum, apud quos millia, immo myriades annorum terreſtrium reputantur, vt minimum ſcrupulum. Credunt etiam perpetuam mundorum conuerſionem adeoque aeuorum ἀνακύκλησιν infinitam. Nam, ſicut apud Aegyptios, teſte Voſſio l. II. de Idololatria c. 28. magnus annus erat quatuor Iulianorum, quo exacto, credebatur omnium facies rerum reditura: ita Indi exactis quatuor iſtis annis, quaſi diuinis, vt vocant, et ἐγκύκλοις, credunt ἀποκάλαστιν vniuerſalem.

X. De aliis Cyclis et Periodis.

I. Eodem modo dicunt, ante eos cyclos, proceſſiſſe alios quatuordecim. Accipe nomina cyclorum et numerum annorum.

1.	*Anánden* ann.	14 Kôd'i ſ. myrias chiliadum
2.	*Atpudèn*	13.
3.	*Tamánden*	12
4.	*Tarâſen*	11
5.	*Tând'awen*	10
6.	*Winnaſen*	9
7.	*Winnâyuden*	8

8. Aa·

8.	*Aayuden*	7
9.	*Yûden*	6
10.	*Maniîſen*	5
11.	*Maniâſen*	4
12.	*Wiſuwâleien*	3
13.	*Wiſuwâranen*	2
14.	*Alangruden*	10000000. ſ. vnum Kôdi
15.	*Krudarèn*	9026000
16.	*Trêdaren*	7012500
17.	*Tuâbaren*	5959600
18.	*Kalièn*	48300

Summa 1, 072, 046, 400. Hoc eſt 107 *Kôdi* 20 *Lækſcham* (Perſice لک *Lac*, *centum millia*) 46 millia et 4 centum.

Nota I. Ita numerum quatuor cyclorum poſteriorum a communi traditione diuerſum, tradit Chronologia Tamulica ſaepius citata: vti et Sini cyclos maximos fingunt duplices. Sed quatuordecim priores, vna myriade myriadum interſtincti, nati ſunt ex opinione, quam Indi cum Sinis communem habent, infinitis ante nos ſeculis mundos alios ex aliis profectos eſſe. Confer Muſei Sinici Tom. II. p. 272. 273 Ibidem p. 318. in ſumma annorum, quam B. Ziegenbalgius ſubduxit, tollendus eſt numerus 8. Ea, quam dicta Chronologia apponit, admodum hallucinatur: ſicuti et in tribus cyclis penultimis, non e calculi alicuius arte et luſu, ſed ex inſomniis plane enatis, nulla conſtans ratio obſeruari poteſt: τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι.

2. Duo

2. Duodeviginti talia *Yugàm* efficiunt vnum *Sugàm*.

Nota: Hoc eadem docet Chronologia anilis.

3. Habent et epocham dictam *Tschigâttam*. (Relationum Trangambarienſium T. I. p. 500.)

Nota. Aera iſta quae incipit cum anno Dionyſiano 78. Tamulice dicitur *Sagâtam*, Graendice autem *Shacabdam*. Hic *Sacae* annus qui ſit, anno ſuperiori vlterius declarauimus. (*)

XI. De Kalendario Indico

Kalendarium vocant *Pandſ-ângam*, quaſi dicatur, *quintuplex corpus*.

Nota. Scilicet contenta faſtorum ſunt: I. *Tid'i* quindecim ſemimenſis partes. 2. *Wâram*, dies hebdomadis. 3. *Nakſchætram*, viginti ſeptem conſtellationes 4. *Yôgam* viginti ſeptem. 5. *Cáræ-nam* vndecim, ſunt ideae Aſtrologicae, quae inſeruiunt delectui dierum auſpicatorum et infauſtorum: quo etiam ſpectat *Tiâgjiam*, momentum peſtiferum, tribus horis totidemque quadrantibus circumſcriptum, vt eo tutius euitetur.

2. Duplex eſt Kalendarium: *Sçiddh' ândam*, quo vtuntur Brachmanae boreales ſupra Madras et *Wâkjam*, quod ſequuntur Brachmanae inferioris peninſulae. Illud componitur ad lunarem normam, hoc ad ſolarem.

— *Nota*.

* Vide infra in Paralipomenis doctrinae temporum Indicae p. 190. ſeq.

Nota: Praeter haec duo datur tertium, trans montem *Windi*, nempe Iouiale, de quo ſupra.

Nam in praefatione Kalendarii anni 1730. poſt encomium *Pulleiâri*, h. e. Filii, haec leguntur: *Windjaç-jôttæra dêshe Barhaſçpatja mân-abdo* Vindi in Septentrionali regione Iouialis normae annus *grahjaha. Dækſchina-dêshe çaura-ſandra-mân-* moris eſt. Meridionali in regione ſolaris (et) lunaris normae *âbdo grâhjaha Bârhaſçpatja-mân-êna Raudrja-* annus moris eſt. Iouiali norma-tenus (eſt) Rautri *çamwatçæráha Sçaura-shândra-mân-âbhjâm Sçâ-* annus. Solari (et) lunari norma-tenus (eſt) Sa- *dh'ârana-çamwatçæráha. Sçarwatra guru* darana annus. Vniuerſalis myſta (Iupiter) (quia) *udæjawashâl Mâgh'-âbdâha. Açja çamwatçæraçja Shâli-* oritur, (eſt) feriarum annus. Hoc anno (eſt) Figlini *wâhana-Shac-âbdâha - - - Câlj-âbdâha - - -* vehiculi Sacae annus 1652. Caliugi annus 4831.

Reliqua ſunt prognoſtica de tempeſtate, frumento, natiuitate, calamitatibus, ceteris.

De eclipſi lunari in menſe Iulio, inauſpicata, praenunciantur regionibus *Câshtmi*, *Jawanà*, ſeu Indoſtaniae, alias etiam *Mlètſchaha* dictae, *Curu-kſchetra*, ſeu Arabiae, *Gandh'âr* ſeu Candahariae, et *Maçja*: nec non de ſolari in Decembre, regionibus *Cashtmi*, *Côçala*, *Câshi* ſeu Banares et *Pundh'ra*.

APRILIS nomen eſt *Möſcham*, ad cuius primum diem, qui hebdomadis eſt ſecundus, haec notantur.

1. ☽ *Aſchť ami* $38\frac{1}{4}$ hora *Vttirâdam* (couſtellatio) $50\frac{1}{2}$ h. *Sçittanâma-yôgam* $45\frac{1}{2}$ h. *Bhâlawa-cárænam* h. 11. *Diwâwile* interdiu, h. 13. intellige *Tiâgjiam* eſt. *Wâkjam*, dictum: *Sankila nâtta*, quibus ſyllabis myſticis Kalendariographus in menſe hoc notatu digna comprehendit: vnde forte denominatio Kalendarii *Wâkja-Panshângam* nata, quia ad initium cuiusuis menſis eiusmodi *dictum* legitur.

Die quinto notantur horae diurnae 30. et 30. minuta.

Sic nono 30. 38. et duodecimo 30. 48.

Die octauo nouilunium, hora 19. 23.

Nonus eſt primus Maii in lunari Kalendario *Sittânda-Panshângam*.

Vndecimo Mercurius intrat arietem hora 59. 13°. idem conſtellationis *Aſhwati*, ſecundum pedem ſeu quadrantem hora 47. et 17.° ſol conſtellationis *Bhâræni* ſecundum quadrantem hora 39. et 18.° Mars conſtellationis *Haſtam* ſeu *Attam* primum quadrantem h. 48. et 19.° Venus *Bhárami* quartum pedem h. 42. et 20.° Mercurius eiusdem dimidium hora 50. cet.

Viceſimo tertio, plenilunium, hora 44. $\frac{3}{4}$

MAII initium eſt hora 28. 49. *Wrüſchabh-êrcaha*, dum taurum ſol intrat. Sic

IVNII noctis antecedentis hora 52. 1.

IVLII hora 28. 39.

AV-

AVGVSTI noctis antecedentis hora 56. 51.

SEPTEMBRIS noctis antecedentis hora 59. 1.

OCTOBRIS hora 26. 23.

NOVEMBRIS hora 20. 30.

DECEMBRIS noctis antecedentis hora 50. 54.

IANVARII hora 11. 47.

FEBRVARII noctis antecedentis hora 39. 3.

MARTII hora 27. 27. *Mîn-êrcaha*, dum *Sol* Piſcem intrat: et eiusdem 31.° die, hora 47. 48 $\frac{3}{4}$ ſequentis noui anni *Wiridigrut* initium, *Mêſch-êrcaha*, dum *Arietem ſol* intrat.

Obſeruandum tamen eſt, praeter haec puncta temporis, quibus ſol ſigna zodiaci intrare perhibetur, ad diem 12. vel 13. menſis etiam alia notari, *Ayanàm* (i. e. Tropicus, vt ſupra VI. 7.) dicta, quae ad aſtronomica propius accedunt, quibusque ſol curſum, vt aiunt, vlterius vertere (τρέπειν) molitur. Ita 12° Aprilis: *Wrüſchabh-âyanam*, tauri tropicus, hora 22. et 13. Maii: *Mittun-âyanam*, geminorum tropicus, hora 29. et 13° Martii *Meſch-âyanam*, arietis tropicus, hora 3.

2. Eclipſis ſolaris die 4. Iulii ſt. vet. in Europa ex parte fuit viſibilis, ſed Calendarium Indicum dicit: *Drüſchti gôſârán-âſli*, *viſu conſpici nequit*. Aſt lunaris

d. 18. Iulii ſt. v. ibi fuit inuiſibilis, ſed Kalendarium noſtrum eam ita praedicit:

Sçôm-ôparâgaha. Sparsha-câlaba - - -
Lunae eclipſis. Detinendi tempus (i. e. defectus initium, $5\frac{1}{2}$ *Matja câlaba* $8\frac{1}{2}$ *Môkſcha câlaba* 11 hora) $5\frac{1}{2}$. *Medium tempus* h. $8\frac{1}{2}$. Dimittendi tempus h. 11. *Agreſt - parsha Nirurutì - môkſchaba:* Euro auſtralis detentio Zephyro - auſtralis dimiſſio: *Græhanam - - - -*
Eclipſis (occupabit) dimidium (diſcum lunae) et ſemiquadrantem.

Pari modo praedicitur eclipſis ſolaris d. 27. Dec. i. e. ſecundum ſtilum nouum 8. Ian. 1731. praemiſſis inſuper his circumſtantiis:

Sçurí-ôparâgaha. Græſla-ſtamjam - Grâç-ân-
Solis eclipſis. Prehenſio (fit) ſub occaſum. Petitur di- *gulam* 30 *Grahj- ângulam* 33
gitos 30. non correptus relinquitur digitos 33.

Hoc eſt Draco 63. digitos latum ſolem aggrediens, 30 digitos tantum corripiet. Reliqua, vt ſupra, deſcribuntur. Detinendi tempus hora $25\frac{1}{4}$ et ſemiquadrante. Medium tempus h. $27\frac{3}{4}$ et ſemiquadrante. Noctu dimittendi tempus h. 2. poſt occaſum. Zephyro-aquilonaris detentio, Euro-aquilonaris dimiſſio. Eclipſis dimidii et quadrantis.

3. Brachmanae circum Trangambariam, quotannis adeunt quendam *Gjôçaha*, ſeu Coſmographum, quem et *Dei-*

Deiwagnjaha ſeu Theoſophum vocant, vt Kalendaria inſequentis anni apud eum deſcribant. Is tabulas veteres a patre et auo et maioribus accepit, vna cum vſu tabularum.

Nota I. Iam Arrianus in Indicis teſtatur, inter Indos certa fuiſſe genera et vnicuique generi ſua officia, ſuas artes, matrimoniis non miſceri et ea quemque tractare, quae a maioribus acceperit.

Nota II. Tabulas Indos confeciſſe nullas, ſed ab aliis accepiſſe, liquet ex aſtronomiae ſumma ignoratione.

1. Lunam ſole altiorem ponunt. Coſmographia Grændica *Gjôtiſcham* dicta, cuius pars eſt ſaepius citatum *Bhucolàm*, regiones caeleſtes ita diſponit: "Sol a terra" diſtat 100,000 *Yogjænâ*, Tamulice *Yoſinei* dicta, hoc" eſt, gradus, quorum quisque eſt interuallum denorum, ſeu" ſecundum alios, duodenorum *Nârhigei* i. e. miliarium Germanicorum circiter binorum: a ſole luna, et ab hac ſtellae, totidem gradus: a ſtellis ☿ 11. gradus: et ab hoc" ♀ totidem: ab hac ♃ 20 et ab eo ♄ 10 gradus." Duobus planetis eclipticis nullam eſſe propriam domum, ſed eos paſſim vagari aiunt.

2. Montem dicunt eſſe *Mahâ-Meru*, i. e. magnum Merum, (ab alio Paradiſiaco *Kæilâſçam* diuerſum) per 14. mundos extentum: circa illum montem, tum ſolem, tum lunam a ſerpente circumferri. Hoc ab iis Coſmas Aegyptius Indicopleuſtes accepit.

3. Hunc ſerpentem *Seſchaha* ſeu *Söſchen* nomine aiunt mille capitibus in vnum coëuntibus ferre et montem illum et 14. mundos. Quidam eum confundunt cum ſerpentibus eclipticis, a quibus tamen diuerſus eſt.

4. Qui tantum cauſſas eclipſium ignorant, quomodo poſſint eas praedicere in Kalendariis, niſi e tabulis ſuis aliorum opera elaboratis?

PARA-

PARALIPOMENA
DOCTRINAE
TEMPORVM INDICAE

PARALIPOMENA DOCTRINAE TEMPORVM INDICAE.

Ex Chriſtophori Theodoſii Waltheri epiſtola, Trangambariae xxx. *Ian.* clɔlɔcc xxxi i. *ſcripta.*

Calculatio Anni Indici.

EAm Brahmanes in lingua ſua iam mortua ſic tradunt, e. g. Anni *Wirôdikrutü*, h. e. 1731.

Schaſchdir-winshati gunitam: *Wjapagæta çamwatçarena* 60 per 20 multiplicetur: praeterito anno *çammishram. Diærna-wanu çametam*, *Shak'an-rupa* adiiciatur. 9 et 400 addendo, Sacae regis *kâlam wîgjanijat'*. D'uçikala *jutam warsham kaljab-* tempus habes. Toĩς 3179 adiuncto anno (iſto,) Caliu- *dam abid'iale. Kaljabdo matula guno. Warſcha* gam percipe. Caliugam (per) 365 multiplicetur. Anni (eiusd.) *wanshena çammitam. Punar-abdan mana gu-* quadrantem adiice. Porro (iſte) annns (per) 5 multi- *nan. Çalapruja wiwargjitan. Tatçam-apteier-* plicetur. 1237 ſubtrahantur. 576 ſubtrahe: (per) *dineyer-juctam*: *Shucrawâr-adikan dinam*: *edat* diem muliplica: Feria ſexta (eſt) initium dierum: is *shud' a-ddinam proctam*: *Çancrama d'ruwam-ushjate.* anni noui dies appellatur: menſis ratio (quoque) dicitur.

Saca rex dicitur *Shali-wahana-shacaha*, *Figlini vehiculi Saca*: quia in pueritia equo figulari vehebatur et pariter ac Cyrus puer regem agebat. Prosapia ipsius hoc modo narratur. Auus eius *Gôwinda-Çwami* (ita dictus a deo suo *Gô-winden*, (quasi γαιοφυνεὺς, *dem Kuh-Kenner*, *Wischtnu*, qui et *Gô-pâlen* seu Cabalus h. e. βακόλος audit) erat ex Indiae, qui quatuor filios genuit. *Wararüstri*, primogenitus ex Brahmana vxore, cum figuli filia, Sacarum genere nata, conuescens, filium istum procreauit. Hic, patruele *Wikkramaditen*, qui tum sceptra tenebat, de regno depulso, vniuersam Indiam imperio suo subiecit. Is ipse auctor est prosapiae regum Mogulensium *Saker* et *Tulukker* dictorum, quibuscum Tamerlanes postea nuptias pactus, potestatem regiam in posteros suos transtulit. Talis est ortus *aerae Sacarum*.

Quo autem calculationes istae eo melius oculis sese sistant, calculi rationes subducamus.

60	
20	
1200	
44	annus cycli praeteritus.
1244	
409	
1653	aera Sacarum.
3179	
4832	Caliugum.
365	
1763680	
1208	Quadrans Caliugi.
1764888	dies.

4832 Caliugum.
5

24160
1237

22923
21464 hoc eſt 567 tricies nouies.

459
60 horae diei, quae pariter in 60 minuta diuiduntur

27540 dies.
27072 h. e. 576 quadragies ſepties.

468 horae.
60

28080 minuta Winadi dicta.
27648 h. e. 576 quadragies octies.

432

1764888
39 } dies.

1764627 ab his ſubtrahantur *ſeptem* dies hebdomadae, toties quoties potes, euadet numerus in hoc exemplo 252132 $\frac{3}{7}$. Tres dies, qui remanent, numera a feria ſexta: ſic incidit annus nouus quaeſitus in *feriam ſecundam, horam quadrageſimam ſeptimam et minutum quadrageſimum octauum.*

Ex Chriſtophori Theodoſii Waltheri epiſtola Trangambariae X. *Ian.* CIↃIↃCCXXXV. *ſcripta.*

NOmina *cycli ſexagenarii Graendica* ſeu τῶ *Kirendum* videbis litteris propriis pariter atque Tamulicis. Vocabula haec extra vſum Chronologicum, tamquam appellatiua quid cuncta ſignificent, hodie ſane nemo nouit. Quidam tradunt, fuiſſe nomina filiorum Brahmanae cuiusdam, *Parâſader*: in ſingulos annos ſexaginta, filium procreaſſe aiunt vnum. Sunt Telugis, Marathis, Canaris, reliquisque Indis communia. Mauri autem ſeu Tuluccae iis non vtuntur: quia ſuperſtitioni Muhammedis dediti ſint, adeoque in annorum computo *Hegjram* eius ſequuntur.

Indi noſtri non indigent biſextilibus annis aut menſibus intercalaribus, ſed horam et minutum primi diei aſſignant, in quod anni initium incidit. Myſterium calculationum ſuarum neminem facile docent: interim certum eſt, anni initium ſaepe in ſequentem feriam transferri. Annus eorum vtique eſt maior vero anno ſolari tropico: vnde anni Indici initium decem dies tardius quam noſter accidit. Sed an ante annos circiter 600, haec temporis menſura demum ſit recepta, dubito. * Cum Romano Imperio Iulianum quoque Calendarium per latum orbem receptum eſt, praecipue ab Aegyptiis, a quibus et noſtros illud accepiſſe puto. Sed aliquo forte tempore reformatum eſt, vt annus in ipſo aequinoctio verno initium habuerit. Non enim Indicum cum Iuliano pari iam

*) Ex magnitudine anni Indici hoc ſuspicabamur. Sed rem omnem plenius explicatam in Leonardi Euleri V. C. Iudorum anno ſolari Aſtronomico. Vbde infra p. 201.

iam paſſu ambulat. De numero 1237. (*) non poſſum iudicare, tantum eſt certum, illum fuiſſe fixum inde a tempore, quo forma calculationis iſtius, quam transſcripſimus, Grændice tradita eſt per ſyllabas *ça-la-prü-ya*, hoc eſt, 7. 30. 200. 1000. Eſt enim forma generalis in omnium annorum calculo adhibenda. Addo initia annorum:

Pramadütsha ſ. 1733. 1. April. 2 h. 18. 59″.

Ananda, 1734. 31. Martii anni praeteriti ♀ noctu h. 22.

Rakſchada, 1735. 31. Martii a. p. ♄ noctu horæ 19½. At iſtius initium καιρικὸν eſt ♄ et huius, ☉.

Ex epiſtola RR. Nicolai Dalii, Martini Boſſe, Ch. F. Preſſieri et C. T. Waltheri 1735. 30. *Dec.*

Ad doctrinam temporum Indciam c. V. 5. adde quatuor annos recentiores. Coepit

Pramâtîtſcha ſ. 1733. 2 hora diei 18.

Aananda, 1734. ♀ h. noctis 4. vel ſecundum alios 22.

Râkſchaça, 1735. ♄ h. noctis 25. aliis 19.

Nalá 1736. ☉ etiam noctu. Ita annus 1733. poſt quartum fuit biſextilis: nam annus 1734. verum initium fecit demum ♄ vti 1735. ☉ et 1736. ☽.

(*) Initio dubitabatur an hic numerus eſſet fixus, ſed nunc vide infra.

Ex eiusdem et ex R. Ioannis Antonii Sartorii, Miſſionarii, litteris, Madraſtae 11. Ian. 1735. ad me ſcriptis, de Sandramanam, ſeu norma anni lunaris Wardugici.

CVm doctiſſimus auctor doctrinae temporum Indicae normam anni ſolaris *Sçaura mânam* et *Wâkjam* dictam ſequeretur, quae Trangambariae et in toto auſtrali pèninſulae iſtius tractu viget, alteram formam anni lunaris, exploratam non habuit. Quocirca, quae deinde tum ex illius, tum ex R. Ioannis Antonii Sartorii ad me litteris de hac norma potui colligere, adiicienda heic iudicaui, vt interim, dum pleniora certioraque teneamus, his fruerentur lectores noſtri.

Anni igitur *Sandra-manam*, ſeu *lunaris forma*, etiam *Sitandam* ſeu *Sidd' andam* dicta, *Badagarum* vel *Vardugorum*, alias *Telugorum* eſt, inter quos Madraſta ſeu Fortalitium S. Georgii, Anglorum colonia floret. Differre dicitur a norma Trangambarienſium ſolari tantummodo $\frac{1}{4}$ aut $\frac{1}{2}$ ad ſummum $1\frac{1}{2}$ *Nârighei*, hoc eſt, $6'\ 12''\ 36'''$ minutis Europaeis. Itaque *illi* anni lunares non ſunt, norma ipſa cur lunaris vocetur, nihil adhuc inuenio. Auctor calendarii τῦ *Sidd'ándam* eſt Brahmân quidam, qui duodecim milliaria Germanica a Madraſta, in loco *Kabweri-pacam* dicto habitat. Is tabulas ſecum habet a maioribus ſuis haereditate acceptas, ex quibus ſupputationem in quemuis annum conficit. Nunc autem fama eſt, vix ad quindecim annos reliquos has tabulas ſufficere. Sub finem cuiusuis anni vndique Brahmanes

manes ad eum confluunt, qui calendarium proximi anni deſcribunt in foliis arborum eaque ἀπόγραφα domum referunt, de quibus alia diſtribuenda per populum ſumuntur. R. Sartorius Calendarium eiusmodi ope Brahmanae vnius et alterius interpretatus eſt. In eo primum eſt encomium τῦ *Pulleiar*, deinde ſic praefatus eſt auctor: In regionibus vltra montem *Windja* eſt annus Iouialis "*Rettâſchi* dictus: in noſtra autem regione annus eſt ſo-" laris et lunaris Hic annus dicitur *Aananda*, 48us cy-" cli ſexagenarii et ſecundum epocham *Schakâbdam*, an-" nus 1656. a principio τῦ *Kaljugam*, elapſi ſunt anni" 4835. ergo hic eſt 4836us annus." Sequuntur prognoſtica de pluuia, tempeſtatibus, fertilitate, ſterilitateque, in quibus multa ſunt ridicula. Sed ſolem quoque, docet, iter ſuum meridiem verſus facere atque vt amictus armatusque, quibus hoc anno ſeptus comitibus ſit demonſtrat, vnde noua enaſcitur prognoſticorum ſeges. Calendarium ipſum incipit A. 1734. 10. April. ſt. n. Saturni die, ſuccedunt ad ſingulos dies, Phaſis Lunae, Conſtellationes, *Iogam*, *Carænam*, *Tiadſchiam*, denique *Saram*. *Saram* ſunt annotationes variae de planetarum ortu et occaſu, de longitudine dierum, de feſtis diebus, et quae ſunt reliqua. Calendarii illius hanc accipe diſpoſitionem per menſes diesque tum noſtros tum Indicos:

D. Menſes Indici.

1734.	♄ 10. *April.*	1.	*Sittirei.*	*dierum*	30.
	☽ 10. *Maii*	1.	*Weiaſi.*	— —	32.
	♀ 11. *Iun.*	1.	*Aani.*	— —	32.
	♂ 13. *Iul.*	1.	*Abdi.*	— —	31.

	♀	13.	*Aug.*	1.	*Aawani.*	— — 31.
	☽	13.	*Sept.*	1.	*Puredtadi*	— — 30.
	☿	13.	*Oct.*	1.	*Apaſi.*	— — 30.
	♀	12.	*Nou.*	1.	*Cartigei.*	— — 30.
	☉	12.	*Dec.*	1.	*Mærghari.*	— — 29.
1735.	☽	10.	*Ian.*	1.	*Tei.*	— — 30.
	☿	9	*Febr.*	1.	*Mâſi*	— — 30.
	♀	11.	*Mart.*	1.	*Panguni.*	— —

Definit Calendarium ♀ 25°. Martii, 15°. die *Panguni*. Sunt hi dies 350. Additum eſt interpretationi huius Calendarii, extremi menſis dies in Calendario ſequentis anni praemitti connexionis cauſſa. Sed quae illa cauſſa ſit, non magis mihi apparet, quam quot dies menſi *Panguni* ſint adſignandi. Subiiciam igitur hic annos antea elapſos:

	A. C.	A. Cycli LX.		Phaſi ☽	Conſtellat.
A.	1733.	*Paramatiſcha coepit*	24 *cum*	10.	*Tiruwinum*
	1732.	*Paratabi*	☿	14.	*Aſtam.*
	1731.	*Wirôdigrut.*	♂	4.	*Rogani.*

Vnusquisque eorum trium annorum fuit dierum 365.

Leon-

Leonardi Euleri

DE

INDORVM ANNO SOLARI ASTRONOMICO.

1.

INitium cuiusque anni Indi non conſtituunt, prout apud nos moris eſt, in ipſo alicuius diei principio, ſed in eo temporis momento, quo ſolem ad certum quoddam coeli punctum appellere arbitrantur. (p. 164) Hoc autem punctum, vtrum ſit initium ſigni arietis, an potius initium conſtellationis arietis, non ſatis liquet ex deſcriptione, qua dicunt annum incipere eo ipſo momento, quo ſol arietem ingrediatur. Sed iſte terminus cum ex quantitate anni, tum ex ipſo definiti cuiusdam anni initio poterit definiri.

2. Quod ad quantitatem anni huius aſtronomici Indorum attinet, ea ex initiis annorum 1728, 29, 30, 31, 32, (p. 199.) inſertis colligere licet. Calculo ſcilicet apud Indos recepto, quo diem in 60 horas, horam in 60 minuta, minutum in 60 ſecunda diſtinguunt, ſatis liquet, annum eorum continere 365 dies, 15 horas, 31 minuta et 15 ſecunda; quae quantitas, noſtro tempus diuidendi modo, praebet 365 dies, 6 h. 12′, 30″.

3. Si iſta anni quantitas ad dies dierumque partes reducatur, reperietur annus Indorum continere 365 $+\frac{1}{4}+\frac{5}{576}$ dies, quam quantitatem anni etiam in ipſorum tabulis aſtronomicis eſſe receptam, ex methodo cuiusque anni initium computandi p. 194. deſcripta, abunde intelligitur. Id nempe declarant diuiſiones per numerum 576 inſtituendae, quae ſaepius repeti debent. Deinceps vero hoc eo clarius patebit, cum ex hac ipſa anni quantitate, eandem, qua Indi vtuntur, calculi inſtituendi regulam deriuauero.

4. Indorum ergo annus ſuperat annum noſtrum tropicum dies 365, 5 h, 48′. 57″ complectentem, atque exceſſus eſt 23′. 33″. Quamobrem anni Indici initium perpetuo tardius ratione noſtri incidet, et quidem ſemper poſt 61 annos integro die magis promouebitur anni Indici initium; ita vt, cum A 1730., annum Aprilis die 1. ſt. v. inceperint, A. 1791 apud eos anni initium in Apr. diem 2 et A. 1852 in April diem 3 incidere debeat. Atque interuallum 22311 annorum noſtrorum, Indi integro anno minus computabunt, eritque apud eos tantum 22310 ann.

5. Annorum ergo initia apud Indos non in eandem perpetuo tempeſtatem anni incident, prout apud nos fieri ſolet, ſed ſucceſſiue in alias atque alias tempeſtates, ita vt interuallo 22310 annorum per omnes tempeſta-

peſtates anni initium ſit ambulaturum. Ex quo intelligitur, ipſorum anni initium neque ab ingreſſu ſolis in puncta aequinoctialia, neque in ſolſtitialia peti, ſed potius ad loca Eclipticae vaga et inconſtantia referri, quae qualia ſint, haud arduum erit definire ſequenti modo.

6. Satis accurate Indorum annus congruit cum anno ſidereo noſtro, quo ſol reſpectu ſtellarum fixarum in idem caeli punctum reuertitur, cuius anni quantitas ab Aſtronomis ponitur 365 d. 6 h. 10′, ita vt Indorum annus tantum 2′ ab hoc anno ſidereo discrepet; qui tantillus error, propter inſufficientiam obſeruationum, quae admodum antiquae perhibentur, facile eſt condonandus. Dubium ergo non eſt, quin Indi ſuos annos ex motu ſolis periodico reſpectu fixarum menſurare inſtituerint, praeſertim cum eo tempore, quo tabulas ſuas condiderunt, differentiam inter annum tropicum et ſidereum vix animaduerſiſſe cenſendi ſint.

7. Collocauerunt autem Indi initium anni 1734 ſecundum noſtrum calendarium ſtili noui in diem 10 Aprilis, quo tempore ſol in ♈ 20° verſabatur. Eſt ergo ipſis ea ſtella fixa, quae in 20° ♈ hoc tempore obſeruabatur, terminus fixus, ex quo, cum ſol eum attingit, initium anni ſui conſtituunt. Non ergo iſte terminus fixus eſt prima

ſtella arietis, quippe quae illo tempore in 29° ♈ reperiebatur, ſed aliam ſtellam fixam eſſe oportet 9° ante * 1 ♈ remotam, quam, qualis ſit, ex catalogo fixarum forte coniectare licebit; erit autem ſtella notabilior in conſtellatione piſcium.

8. Cum iam quantitas anni ſit cognita, quam Indi receperunt, facile erit, ex dato initio cuiusuis anni, initium ſequentis determinare, addendo initio anni praeteriti vnam feriam, 15 horas, 31′ 15″. Ita cum anni 1731, initium per calculum definitum ſit in feria 2 hor. 47′ 48″ 45‴ anni ſequentis initium cadere debebit in feriam 4, h. 3′ 20″ 0‴.

9. Hac ergo ratione inuenientur facile omnium annorum initia, eaque ipſa, quae operoſo calculo ad modum praeſcriptum inſtituto eruuntur.

An-

Annorum initia.

		Fer.		Hor.		Min.		Secund.
A.	1718.	7.	—	26.	—	2.	—	30.
	1719.	1.	—	41.	—	33.	—	45.
	1720.	2.	—	57.	—	5.	—	0.
	1721.	4.	—	12.	—	36.	—	15.
	1722.	5.	—	28.	—	7.	—	30.
	1723.	6.	—	43.	—	38.	—	45.
	1724.	7.	—	59.	—	10.	—	0.
	1725.	2.	—	14.	—	41.	—	15.
	1726.	3.	—	30.	—	12.	—	30.
	1727.	4.	—	45.	—	43.	—	45.
	1728.	6.	—	E.	—	E5.	—	0.
	1729.	7.	—	16.	—	46.	—	15.
	1730.	1.	—	32.	—	17.	—	30.
	1731.	2.	—	47.	—	48.	—	45.
	1732.	4.	—	3.	—	20.	—	0.
	1733.	5.	—	18.	—	51.	—	15.
	1734.	6.	—	34.	—	22.	—	30.
	1735.	7.	—	49.	—	53.	—	45.
	1736.	2.	—	5.	—	25.	—	0.
	1737.	3.	—	20.	—	56.	—	15.
	1738.	4.	—	36.	—	27.	—	30.
	1739.	5.	—	51.	—	58.	—	45.
	1740.	7.	—	7.	—	30.	—	0.

10. Primus anni dies apud Indos ſemper eſt primus dies menſis Aprilis, illum autem non ſemper in ea feria collocant, in quam anni initium incidit; ſed ſi anni initium interdiu cēlebratur, illum ipſum diem; ſin autem noctu anni initium euenit, tum ſequentem diem pro primo Aprilis die conſtituunt. Ex tabula ergo exhibita ſtatim apparet, in quam feriam cuiusque anni primus dies incidere debeat. Scilicet cuiusque anni dies primus eadem erit feria, quae in tabula eſt expreſſa, ſeu in quam anni initium incidit, ſi numerus horarum fuerit minor quam 30. At ſi horarum numerus 30 ſuperet, tum primus anni dies ſeu Aprilis dies primus in ſequentem feriam transfertur. Cognitis autem feriis, in quas ſingulorum annorum primi dies incidunt, ſtatim apparet, quinam anni debeant eſſe biſſextiles; cum enim ſaltus fit per duas ferias tum annus praeteritus erit biſſextilis et continebit 366. dies.

11. Ex cognitis ergo annorum ab 1718. usque ad 1740. initiis ſequitur ſequens tabula, in quà indicatur, in quamnam feriam cuiusuis anni primus dies incidat, et quinam anni ſint biſſextiles.

Dies I^us. eſt

	Feria.	
A. 1718.	7.	biſſextilis.
1719.	2.	
1720.	3.	
1721.	4.	
1722.	5.	biſſextilis.
1723.	7.	
1724.	1.	
1725.	2.	
1726.	3.	biſſextilis.
1727.	5.	
1728.	6.	
1729.	7.	biſſextilis.
1730.	2.	
1731.	3.	
1732.	4.	
1733.	5.	biſſextilis.
1734.	7.	
1735.	1.	
1736.	2.	
1737.	3.	biſſextilis.
1738.	5.	
1739.	6.	
1740.	7.	

12. Egregiè haec conueniunt cum iis, quae pag. 160. habentur, vbi anni, 1718, 1722, 1726, et 1729. eſſe

esse bissextiles perhibentur. Quod autem Indi aiant, post 60 annos calculum reconcinnari, seu anni primum diem in eandem feriam recidere, id quidem vero est proximum, cum 60 annis primus dies anni 6 feriis cum 46 horis promoueatur, hoc est fere 7 feriis seu integra septimana. Interim tamen non absolute est verum: euenire enim potest, vt, cum huius anni primus dies in feriam primam inciderit, sexagesimi post hunc non in primam sed septimam tantum incidat. Praeterea etiam conuenientia nostrae tabulae cum p. 168. est notanda, vbi mentio fit, quod A. 1729. April. d. 1. in d. ♄ seu feriam 7. A. 1730. in diem ☽. A. 1731. in d. ♂ incidisse, quae cum tabula apprimę congruunt. Denique cum p. 198. in dubio sit relictum, vtrum anni 1734. initium in 4. an 22. horam noctis incidat, hinc patet, priorem sententiam esse praeferendam, incidit enim huius anni initium in horam 34, quae est noctis hora 4. Forte hae 22. ex numero minutorum ortum traxerunt.

13. Quanquam modo ante vsurpato facile cuiusuis anni initium inueniri potest, tamen regula p. 194. descripta non solum non est contemnenda, sed admodum vtilis est ad arcli cuiusuis praeterlapsi initium assignandum. Quemadmodum autem anno fixo ad huiusmodi calculum ineundum opus est, cuius initium constat, ita in hac regula vsurpatur primus annus Caliugam, cuius initium incidisse debet in feriam tertiam horam 51, min. 8. 45. mensura Ind. Vnde enascitur numerus 1237, qui in calculo adhibetur.

14.

14. Propoſito ergo quouis anno, cuius initium debet determinari, ante omnia tempus ab initio primi Anni Caliugam vſque ad annum propoſitum elapſum debet inueſtigari, quod fit, addendo ad annum aerae ſexagenariae praeteritum, annorum ab aera Sacarum vsque ad initium aerae ſexagenariae, in qua eſt annus propoſitus, elapſorum numerum, ad quem ſi addantur 3179 anni, prouenit interuallum temporis a primo anno Caliugam ad annum propoſitum praeterlapſi.

15. Numerus annorum iſte inuentus ſi multiplicetur per anni quantitatem in diebus nempe $365 + \frac{1}{4} + \frac{5}{576}$ prodibit numerus dierum a primo anno Caliugam elapſorum, a quo numero, quia initium primi anni Caliugam non in initium primi diei, ſed eius horam 51, 8′ 45″ incidit, et quia feria quaeſita non a prima ſed a ſexta quaeritur, ſubtrahi debet numerus $2\frac{85}{576}$ ſeu $\frac{1237}{576}$. Haec ergo ſumma ſi per 7 diuidatur, ſeu ſeptenarium, quoties fieri poteſt, ſubtrahatur, dabit reſidui pars integra feriam, in quam anni propoſiti initium incidit, a feria ſexta computandam. Pars vero fracta in partes ſexageſimales conuerſa dabit tum horam, tum minutum, tam primum quam ſecundum, in quod anni initium incidit. Iſte igitur calculus regulis arithmeticis conſentaneus, exactiſſime conuenit cum methodo Indorum deſcripta, atque hinc totius proceſſus deſcripti ratio intelligitur. Cum autem ex regula, quemadmodum eſt deſcripta, difficulter appareat, quomodo fractiones tractari conueniat, exemplo rem declarabimus.

16. Sit ergo propoſitum anni praeſentis 1736 initium apud Indos inueſtigare. Anni ergo praeteriti cyclus erit 49. Et calculus erit, vt ſequitur;

60
20
1200
49
1249 annus Cycli praeteritus.
409
1658 aera Sacarum.
3179
4837 Caliugam per $365 + \frac{1}{4} + \frac{5}{576}$
365
1765505
209 $\frac{1}{4}$ } $\frac{1}{4}$ Caliugum.
176674 $\frac{1}{4}$

4837
5
24185
1237 per regulam.
576 } 22948
39 $\frac{484}{576}$

Erg. 1766754 $\frac{520}{576}$ num. dierum effluxorum diu. per 7. erit reſid. $3\frac{520}{576} = 3\frac{130}{144}$ ferias. Initium anni incidit ergo in feriam 3 a ſexta numerando, h. e. in feriam

2 Fra-

2 Fractio autem dat huius feriae horas 5, et 25″ plane vt ſupra poſuimus.

17. Calculus quidem iſte plurimis modis facilior et breuior reddi poteſt; nempe, vbi per 365. multiplicari debet, eius loco multiplicatio per vnitatem poteſt ſubſtitui, cum 364, per 7 diuidi queat. Deinde ſi numeri per 576 diuidendi cum 576, habeant diuiſorem communem, quoque reducendo fractiones, calculus facilior reddi poteſt; ſed haec non ſunt magni momenti. Praeterea ſi loco numeri 1237, iſte 1813 ſubtrahatur, tum immediate obtinebitur feria, in quam anni initium incidit.

18. Quod ad menſes huius anni ſolaris Indici attinet, dierum numerus, qui ſingulis menſibus tribuitur, mihi omnino non pro lubitu aſſignari videtur. Pro menſe enim Indi habent temporis ſpatium, quo ſol duodecimam eclipticae partem percurrit, ita vt duratio menſis pendeat a celeritate ſolis. Cum ergo ſol aeſtate tardius progrediatur quam hyeme, mirum non eſt, quod Indi menſes aeſtiuos longiores faciant hyemalibus.

19. Hinc fit, quod apud Indos idem menſis in diuerſis annis non eodem numero dierum conſtet. Quemadmodum enim in annis facere ſolent, ita etiam in menſibus ſine dubio illum menſis primum diem conſtituunt, in quo vel ipſo, vel praeterita nocte, ſol nouam Eclipticae partem eſt ingreſſus. Ex quo euenire neceſſe eſt, vt idem menſis interdum vno die abundet, prout in anno accidit. Perſpicuum porro eſt, Indos in annis biſſextilibus diem in-

tercalarem omnino non habere, cum ipſe ſolis motus cuiusque menſis quantitatem determinet.

20. Cum ergo ex inaequalitate menſium conſtet, Indis inaequalitatem motus ſolis non eſſe incognitam, operae pretium foret noſſe, cuiusmodi aequationum ſolarium tabula vtantur, quae qualiscunque ſit, a noſtris tabulis non multum erit diuerſa.

21. Quid Indis ſint Iogam ſeu 27. conſtellationes zodiaci, mihi quidem non obſcurum videtur. Nam cum ex his conſtellationibus menſem quartae ſpeciei conſtituant, ſatis patet, hic menſes lunares periodicos intelligi, qui circiter 27 *diebus abſoluuntur*. Quare cum luna 27. dies impendat *ad zodiacum percurrendum*, vna Iogam videtur eſſe vigeſima ſeptima pars zodiaci, congeriesque ſtellarum *in huiusmodi* ſpatio exiſtens eſt ſine dubio vna huiusmodi conſtellatio, cuiusmodi in zodiaco 27 numerant. Deinceps, quando in Calendariis haec Iogam aſſignant, his ſine dubio indicare volunt, zodiaci partem, in qua luna quouis die verſatur: et cum luna vno die interdum in duas eiusmodi conſtellationes ingredi queat, mirum non eſt, ſi aliquando vni diei duae conſtellationes tales inueniuntur adſcriptae.

Regula pro computando anni cuiusuis initio.

Primo numerus ſexagenarum, in quo annus propoſitus occurrit, multiplicetur per $5\frac{25}{48}$ et ad productum addatur $3\frac{7}{24}$. Deinde cyclus anni quaeſiti multiplicetur

$1 + \frac{1}{4} + \frac{5}{576}$ et productum ad prius addatur, quo facto aggregatum per 7 diuidatur, residuumque indicabit feriam vna cum horis et minutis, quo tempore anni initium incidit.

Ex. gr. si anni 1736. initium quaeratur, cuius cyclus est 50, et index cycli sexagenarii 20; calculus sequenti modo se habebit.

20		50	
5 $\frac{25}{48}$		$1 + \frac{1}{4} + \frac{5}{576}$	
100		50	
10 $\frac{5}{12}$		12 $\frac{1}{2}$	
3 $\frac{71}{576}$	add.	$\frac{250}{576}$	
114 $\frac{15}{576}$		62 $\frac{538}{576}$	
	Add.	114 $\frac{90}{576}$	
	per 7. diu.	177 $\frac{13}{144}$	

13
60 reſtabit 2 $\frac{13}{144}$ haec fractio eſt

144 } 780 / 720 } 5 hor.

60
60
144 } 3600 / 288 } 25. min. } Initium ergo anni cadit in feriam 2, 5 hor. 25. min. vt ſupra.
720

Emendanda

p. 18. in nota lin. 1. lege: *veterum Perſarum p.* 491. *confer p.* 302.
p. 19. lin. 25. lege: *Ammiani*
p. 34. in nota lege: *In Indicis Arriani*
p. 35. lin. 5. lege: *in Gandaridis Praſiisque*
p. 37. lin. 4. lege: *amnem tantundem.*
p. 75. lin. 7. lege: *poſtuma*
p. 80. lin. 11. lege: Οζήνη. Ibid. iterum: Οζήνη
p. 105. in nota: lin. 4. poſt: *Bergler monuit*, adde: *et Porphyrium in vita Plotini p.* 120. *ad Fabricii in Bibl. Graeca.*

IN-

INDEX.

A.

Adrepsa vrbs 20.
Africani (Iulii) Cesti 101.
Ahazi regis sciatericum gnomonicum 146.
Alexandri M res in Bactriis gestae 25.
memoria apud Indos 30.
an vsque ad Gangem peruenerit 79. 80.
Antiochi Dei excitus 54. seq.
Annus Indorum et Turcarum 166. Vide infra in *India*
Apollodotus rex Indiae 78. 80. 81.
Arabes quando studiis Graecis sese tradiderint 129.
Arabia ab Indis quomodo vocetur 185.
Aria regio 12.
Arithmetica Graeca et Indica 123. seq.
Arrianus illustratus 48. seq.
Asiani Scythae 97.
Asii Scythae 97.
Aspasiacae gentes 63. 72.
Aspasiatrae gentes 62.
Astacana vrbs 19.
Astronomicae tabulae Indorum 167. vide etiam in *India*
Attalus rex 65.

B.

Bachara 17.
Bacchus v. Dionysus
Bactra v. Bactrii
Bactria v. ibid.
Bactriana v. ibid.
Bactrii
Regio Bactria et Bactriana vnde dicta 6.
—— confunditur cum Sogdiana et Chorasmia 6. 14. 20.
—— eius magnitudo 6. 14.
—— limites australes 7.
—— —— boreales 11.
—— —— occidentales 12.
vrbes 6. 15. 17. 18. 19. seq.
vrbs Bactra 6.
—— an Zariaspa? 17.
—— non est Bochara 16.
—— est Balch 17.
—— eius maenia 94.
fluuius Bactrus 6. 17.
agri fertilitas 106.
argenti fodinae 106.
Bactrii cuius stirpis populus 21.
an a Scythis orti 20. 21.
eorum lingua 21.
—— mores 20. 94.
—— humanitas 21.
—— philosophia 21.
—— philosophi Samanaei 21. 22.
apud eos Graecae artes florent 107.
—— schola militaris Graeca ab Alexandro M. condita 109.
—— in ea Graeca lingua docebatur 109.
Graece loquebantur 111. 112.
eorum in numis Graeca lingua 107.
eorum chronologia 38.
—— epocha 57.
—— anni forma 134.
—— annus Metonicus 57.
barba virorum rasa 101.
equites 100.
—— hastae 100. 101.
—— tiarae 101.
mulieres 99.
sepultura 21. 77. 94.
Bactrii: eorum res gestae
a Baccho victi 1.
ab Osymandua rege bello petiti 5.
a Nino bello petiti 5.
cum Semiramide res gestae 6
cum

cum Sardanapalo 6
a Cyro debellati 22.
ſub Dario Hyſtaſpe 23.
—— Xerxe 23.
—— Artaxerxe 24.
—— Dario Codomanno 24.
contra Macedonas pugnant 24.
deuicti ab Alexandró M. 24.
deficiunt ab eo 25.
in Garabactris Macedones deficiunt 30. ſeq.
tumultuantur 31.
ſub Seleuco Nicatore 32. 36. ſeq.
—— Antiocho Theo 56.
ſub regibus ſuis et Graecis, vide infra
fuſi ab Antiocho M. 71.
bellum cum Indis gerunt 74.
Parthi eos adoriuntur 96.
—— quasdam prouincias occupant
bella cum Scythis 72. 96.
ſub Parthorum poteſtate 98.
ſub Perſis 99.
ſub Muhammedanis 128.
Bactrii: eorum ſatrapae et duces ſub Perſis 31.
—— Tanyoxarxes 23.
—— Magus 23.
—— Hyſtaſpes 23.
—— Maſiſtes 23.
—— Hyſtaſpes 23.
—— Artabanus 23.
—— Beſſus 24.
eorum ſatrapae ſub Macedonibus
—— Artabanus 23.
—— Amyntas Nicolai filius 26. 27. 32.
—— Bicon ſ. Beg 31.
—— Staſanor Solienſis 32.
eorum praeſides regionum 25.
eorum Boxus ſ. Paſcha 31.
Reges veteres
—— Oxyartes 5.
—— Zoraſtres 5.
Reges Graeci
—— Athenodorus rex tumultuarius 30. ſeq.
—— regni Graeci initia 56.
—— ſtatus ordinatus 57.
—— amplitudo 93.
—— ſub eo Choraſmii 58.
—— —— Seres et Phryni 83.
—— regius titulus 72. 102.
—— Βασιλεῖς μεγάλοι 102.
—— I. THEODOTVS 45.
—— II. THEODOTVS Theodoti filius 58. ſeq.
—— III. EVTHYDEMVS 67. ſeq.
—— IV. MENANDER 4 ſeq.
—— V. EVCRATIDES 85. ſeq.
—— VI. EVCRATIDES Eucratidis filius 95.
Regnum imminuitur a Parthis 96.
—— eius interitus 97. 98.
—— reges iterum in Bactriis 98.
Bactrus fluuius v. ſupra.
Badagae populus 175. 198.
Balara Philoſtrati 30.
Balch vrbs vnde dicta 17.
Balch Bachara 17.
Banares 138.
Baneanenſis populus 131. 164.
Barba Macedonum et Bactriorum raſa 101.
Barygaza 80.
Baſcha v. Paſcha.
Βασιλεῖς 102. ſeq.
—— Μεγάλοι 102. ſeq.
Beg 31.
Belhera regio 29. 30.
Belur regio ibid.
Boxus 31.
Brahmanes qui? 22. 126.
eorum mores 22.
—— ſtudia 22.
—— numerorum nomina 113. ſeq.

dies

— dies hebdomadis 137.
Bruce (Comes) laudatur 100. 101.
eius numophylacium 100.

C.

Calendarium Sinicum *Tayga* 141.
Indorum 138. 149. 176. 184. 185.
Vardugorum 176.
Calmucici numeri 130.
liber elegantibus typis editus 130.
Capgjak regio 63.
Caſcha vrbs 164.
Cayaris Ptolemaei 19.
Caucaſus Indicus 8.
Chaldaeorum periodi 180
Chatracarta Ptolemaei 19.
Choraſmii 13. 14.
cum Bactrianis et Sogdianis confuſi 20.
dux Pharasmanes 26.
ſub Bactriis 58.
Chryſococcas illuſtratus 4.
Clepſydra Perſica 148.
Cobali qui? 3.
Conchae in ſacris Bacchicis 3.
vocabulum Indicum 3.
Conſtellationes Indicae 157.
Cotate vrbs Indica 155.
Cteſias illuſtratus 23. 24.
Curiandra Ptolemaei 19.
Curtius illuſtratus 165.
Cyreſchata 19. 20.
Cyropolis 20.

D.

Dachanabades regio 70.
Dacnica lingua 114.
Dehaſch fluuius 17.
Demetrius Euthydemi filius rex Indiae 73. 75. 82. 84. 89. 92.
Demetrius Soter Parthos inuadit etc. 95.
Dhakan regio 114.
Dhakon regio 114.
Diluuium 180.
Dodotus 45.
Dionyſius vnde ortus 2
in Mero natus 2.
Nyſae natus 2.
Indis Maidhaſuren dictus. 3.
quomodo ab Indis deſcribatur 3.
eius res in India geſtae 1.
Bactrios vincit 1.
Dionyſiacus apparatus ex India 3. 4
Dios nomen proprium 45.
Dioſcurias inſula 111.
Drangaritae 89.
Drepſa Ptolemaei 20.

E.

Eclipſium ſolarium cauſſae ſecundum Indos 153. 154.
luñarium 153. 154.
Ecliptica Indorum 157. 165.
Elephantes Antiochi M. 73.
Emodus mons 9
Eucratides rex 85.
eius numus 99. 100. ſeq.
Eucratides Eucratidis filius rex 95.
Eucratidia vrbs 93.
Eulerus (Leonardus) de Indorum anno ſolari Aſtronomico 201. ſeq.
Eumenes rex 65.
Euthydemus rex 67. ſeq.
Euthydemia vrbs 84. 85.

G.

Garabactra 30.
Geographica tabula Peutingeriana illuſtrata 7.
Geographus Rauennas illuſtratus 8. 83.
Graeci
coloni in Parthia, Bactriana et India 108.
iis Parthi reges fauent 107
eorum ſchola militaris in Bactriis 109.
lingua in oriente vſitata 109.
— lingua in numis Indicis Parthicis Bactrianis 107 108.
Graece loquebantur Indi 109 110

—— ——Bactrii 111. 112.
—— —— Hunni 111. 112.
—— —— Socotoriae inſulae incolae 111.
eorum artes in Bactriis florent 107.
artes in Indiam et reliquum orientem inuexiſſe videntur 112.
—— numerorum nomina 112. ſeq.
—— arithmeticam 123.
—— muſicam 133.
—— cyclum Metonicum 133. 134. ſeq. 140. etc.
—— dierum hebdomadis appellationes 137.
eorum numi in India 107.
auctores logiſticae nouae videntur fuiſſe 129. 130.
Gymnoſophiſtae 22. 126. ſeq.

H.

Haſaraſph 18.
Heſychius illuſtratus 3.
Hexacontaëteris Indica 169
Hiſaraſp 18.
Hyde (Thomas) refellitur 18.
Hyſtaſpes 18.

I.

Iapanici numeri 130.
Iaxartes fluuius 14.
Ieſaias propheta illuſtratus 146.
Imaus mons 9.
Immortalitatis fons 30.
India
fluuius Indus vocatur ab Indis *Sind* ſ. Sindo 29.
—— quinque fluuii in vnum conueniunt 28. 29.
—— —— dicuntur *Pangjenand* 29.
—— ſingulorum nomina 28. ſeq.
regiones
—— Pangjab 28
—— Pattalene 82.
—— Pattana 114.
—— Dchanawad 70.
—— Dhakan ſ. Dhakon 114
vrbes 93.
—— Demetrias
—— Euthymedia ſ. Euthydemia 84. 85.
—— Palibothra 35.
—— Nyſa 3.
Indi quomodo ſeſe vocent 29.
Drangaritae qui? 89.
Blootſch gens 29.
in certas familias diuiduntur 126.
Bacchus Indus fuit 1. ſeq.
eorum gigantes 3.
eorum cobali 3.
——Alexandri res et memoria 22. 30. 79. 80.
Seleuci Nicatoris res 32. ſeq.
Euthydemi Bactrii regis et Demitrii filius eius res 74. 83.
——cum Parthis res gerunt 90. 92.
——cum Eucratide rege 90. 92.
Indorum ſatrapae Macedonici
—— Proexes 27.
—— Nicanor 27.
Indorum reges indigenae
—— Taxiles 28. 32.
—— Porus 28. 91.
—— Sandracotta 32. 33.
—— regionum Gangeticarum anonymus 35.
—— regum eorundem familia Palibotrus 35. 36.
—— Sophagaſenus 73. 84.
—— Siriptolemaeus 80. 81.
—— Balcocurus 80.
—— Kerobothrus 80.
—— Pandion 80. 109.
—— Porus 109.
—— Sornax 80.
—— Sigertis 82.
—— Phrahotes 110. 111.
—— Wikkramaditen 194.
—— Saca ſ. Shaka 194.
regum Saker et Tulukker progenies 194.

Indorum reges Graeci 78.
regni eorum exordia 80.
Apollodotus 78. 80. 81.
Menander 77. 81. 82.
Demetrius Euthydemi filius 75. 82.
plura regna Graeca 80.
eorum regius titulus 102.
Indi ſub Muhammedanis 128.
Indorum vetus ſapientia quae? 123.
ſuperſtitio ab Aegyptiis 123.
deus Gō-winden 194.
deus Wiſchtnu 194.
ſummus pontifex 110.
monachi 126.
gymnoſophiſtae 22. 126. ſeq.
Brahmanes v. in hac voce
litterarum auctor 81.
libri
—— Bhucolam 147. 156. 179. 189.
—— Arithmeticus Oen Sùwad'i 157. 179.
—— Trigalaſaccaram 145. 172.
—— Canacc-adigâram 179.
—— Nalaira-prabandam 180.
—— Gjotiſcham 189.
Academia 138.
aſtronomiae ſumma ignoratio apud Indos 189. 199.
aſtronomus Pandhut 138.
—— Tamulicus 188. 189.
—— Vardugicus 198.
zodiacus 156.
ecliptica 157.
planetae 152. plenilunium 162. nouilunium 162.
eclipſium natura 153. 154.
—— eclipſes 187. ſeq.
—— prognoſtica 199.
chronologia
—— minuta 145. 147.
—— horae 145. 148.
—— diei initium 148.
—— dies 150.
—— excubiae 151.
—— hebdomas 152. 154.
—— —— dies ib.
—— menſes 137. 155. 157.
—— bimenſes 155
—— menſium dies 159.
—— menſes lunares 160.
—— —— ſolares 160.
—— ſemimenſes 161. 165.
—— —— eorum diuiſio 161
—— annus 164.
—— —— lunaris 164. 198 199.
—— —— ſolaris 164. 166 199.
—— —— ſolaris aſtronomicus 201.
—— —— ephemerius 164.
—— —— aſtrothetus 164.
—— —— Iouialis 164. 185 199.
—— —— bisſextilis 166. 196
—— —— aſtronomicus 166
—— —— Iulianus 167. 196
—— —— Muhammedanus 196.
anni calculatio 193. 201. ſeq.
—— hexacontaëteris 169. 196
—— dodecaëteris 172.
—— feſtum 173.
—— periodi 174. 178.
—— Caliugam 174.
—— Iogam 176. 212.
—— Caraenam 177.
—— ſeculum aureum, argenteum etc. 180. ſeq.
—— cyclus maximus 182.
—— apocataſtaſis 182.
—— alii cycli et periodi 182.
—— calendarium 138. 184. 185. 198. ſeq.
Iudorum
numerorum nomina 113.
—— abacus fractorum 126.
—— Ziphrae 128. ſeq.
—— non eſt inuentum, logiſtica noua 127. 129.
Indi
ad eos Pythagoras non videtur veniſſe 125.
ad eos Apollonius Tyanenſi non videtur veniſſe 110.
a Graecis numos acceperunt 80. 107. 108.

aſi iisdem numerorum nomina 112
arithmeticam 123. ſeq.
Indicum *Ssri* quid ſignificet 81.
Indoſtaniae nomina Indica 185
Indus fluuius vocatur ab Indis Sind 29. v. *India*.
Iulii Africani Ceſti 101.
Iuſtinus notatus 49.
—— —— illuſtratus 51.

L.

Lacroſus (Maturinus Veyſſiere) laudatus 126.
Limyrica 83.
Linguarum cognatio 120. 121. 122. 163.
Lohraſpes rex 18.
Luna quomodo Indis vocetur 153.

M.

Maracanda vrbs 15.
eius fata bello Macedonico 25. 26.
Margiana prouincia 12.
Margus fluuius 12. 13.
Maximus Tyrius 104.
Μεγάλος pro μέγας 105.
Menander rex 77. 81. 82.
Merus mons 2. 3. 4. 9. 10. 189.
Metonicus cyclus Graecorum 138.
—— in oriente 134.
Miſſionarii Danici laudati 123.
Montes Indici 9.
Muſica Sinorum 133.
—— Indorum 133.
—— Mungalorum 133.
—— Mandjurorum 133.

N.

Niſabur vrbs 3. 4.
Noachus 180.
Numeri litteris alphabeti expreſſi 124.
a Graecis ib.
ab Arabibus ib.
a Tamulis ib.
eorum nomina apud Germanos 122.
—— apud Perſas 114. 115. 121.
—— apud varias gentes 122. 162.
—— apud Indos 113. 162.
—— an a Romanis 117.
—— an a Perſis 119.
—— an a Graecis 119. ſeq.
eorum figurae vulgo Ziphrae.
—— Sinicae 130.
—— Iaponicae 130.
—— Tangutanae 130.
—— Calmucicae 130.
—— Bancanenſes 131.
—— Arabicae 127. 128.
—— Indicae 127. 128.
—— noſtrae ib.
—— vnde ductae 127. ſeq.
—— earum naturam et commoditatem Indi ignorarunt 129. 133.
—— Arabes item 133.
—— a *Sinis* ad *Seras*, *hinc* ad *Indos* peruenerunt 130. 131.
Numerandi ratio apud Sinas 132.
—— apud alias gentes 132.
Numi Graeci in India 80.
Phrahatis II. Parthorum regis 102. 103.
Indici Graecis litteris 107.
Bactrii 107.
Parthici 107.
Numus Eucratidis 92. 99. 100.
Nyſa vrbs 3. 4.
—— mons 10. 11.

O.

Ochus fluuius 11.
Olympionicon ſynagoge 52.
Orientales ſcriptores 6.
Oroſius illuſtratus 90.
Oxiana vrbs 19.
Oxus fluuius 11.

Oxyartes Bactrius 27
eius filia Roxane 27.
Ozene 80.

P.

Palibothra vrbs Indiae 35. 36.
Palibotrus familia regia 35. 36.
Paradisus Indicus 10.
Parapomisus mons 7. 10. 11.
Paroniſus mons 15. 27.
Paropam ſadae 7.
Paraganiſadae 7.
Paropaniſus 7. 10. 11.
Parthi
regni eorum principia 47. ſeq.
regni eorum epocha prima 15. ſeq.
—— epocha ſecunda 53.
—— epocha tertia 61.
Hyrcaniam occupant 66.
vincunt Antiochum Theum 54. ſeq.
—— Seleucum Callinium 59.
bellum gerunt cum Antiocho M. 69.
capiunt Demetrium Nicatora 91.
Bactriis prouincias adimunt 96.
Bactrios ſub poteſtatem redigunt 98.
cum Scythis bella gerunt 98.
eorum titulus regius 105.
reges
—— Arſaces I. 47. ſeq. 56. ſeq.
—— Phrahates 87. 88.
—— Mithridates 87.
—— Phrahates 87.
Parthici numi 63. eos ſignarunt Graecis litteris 108.
menſes 57.
Paſcha apud Bactrios 31.
Pattalene regio 82.
Pattana regio 114.
Patranici ſ. Padranici numeri 214.
Periplus maris Erythraei illuſtratus 98.
Perſarum rex Sapores 60.
regum titulus 102 103.
Perſica chronologia 59. 60.
Perſicae linguae dialecti 21.
Petauius (Dionyſius) 52.
Peutingeriana tabula 7.
Phialae in ſacris 4.
vocabulum Indicum 4.
Philoſtratus 110. 120.
eius Balara 30.
Phratrua vrbs 20.
Phryni 82.
Plinius 14.
Polyaenus 61.
Pori regnum 28. 29. 30. 32. 34.
Ptolemaeus (Claudius) 15. 17. 18. 19. 80.

R.

Regum tituli 103.

S.

Saca rex 194.
Sacae 98.
Sacarauli 97.
Samanaei 21. 22.
Samarcand 15.
Sandracotta rex 32. 33. 34. 35. 36.
Sarancae 97.
Sarances fluuius 1. 5.
Sarangae 97.
Sardanapali nomen 181.
Sartorius (Io. Antonius) laudatus 175. 198.
Sciather cum gnomonicum Ahazi regis 146.
Scythae Aſii. Aſiani 97.
Schultz (Beniamin) laudatus 117.
Seleucus Nicator 36. ſeq.
Callinicus 59.
Seres 82.
Sexagenaria temporis diuiſio 145. 146.
Sind regio 29.
Sindus, nomen Indi 29.
Sini
eorum numeri 130.

—— ad logiſticam inepti 131.
—— quomodo ad eam accommodati 131.
eorum enneadecaeteris 135. ſeq. 140.
—— menſi intercalaris 140.
—— anni veteris forma ignoratur 141.
—— calendarium *Taieu* 141.
Adr. Vlacci Magnus Canon Sinice editus 131.
eorum globus caeleſtis 175.
Siriptolemaeus 80. 81.
Sogdiana vnde dicta 14.
limites 14.
confunditur cum Choraſmia et Bactriana 6. 14. 15. 20.
Sogdianorum mores 20.
praefides 25.
Sol quomodo Indice dicatur 153.
Solinus redarguitur 11.
Strabo illuſtratus 45. 46. 62. ſeq. 75. 82. 96. 97.
notatus 46. 47. 77.
Suidas 52.
Suragana 19.

T.

Tamulorum numeri 124.
Taxilis regnum 28. 29. 32.
Telugi 198.
Tochari 13. 97. 98.
Tympanum vocabulum Indicum 3.

V.

Vaillant laudatus 82.
notatus 45. 48. 65. 67. 78.
de eius hiſtoria Arſacidarum iudicium 59. 69. 74. 75.
Vardugi 198.
Vſerius 60. 74.

W.

Walliſius 124.
Walther (Chriſtoph. Theodoſius) 119. 120. 145. alibi

Z.

Zariaſpa regia vrbs 17. 18. 19. 26.
Ziphrae 132. 128.
Zodiacus Indicus 156. 157.
Zoroaſtres philoſophus 5.
eius philoſophia 21.

Semi horae Sinicae	Horarum numeri	Quadrantes.	Minuta Quadrantū	Horae Europeae	Minuta Europaea	Cyclus Animantium
初 申	8	4	15	3	60	猴
		1	15		15	
xīn cō		2	15		30	
		3	15		45	héu
I						Simia
正 申		4	15	4	60	
		1	15		15	
xīn chím		2	15		30	
		3	15		45	
II						
初 酉	9	4	15	5	60	鷄
		1	15		15	
yeù cō		2	15		30	
		3	15		45	Kĭ
I						Gallina
正 酉		4	15	6	60	
		1	15		15	
yeù chím		2	15		30	
		3	15		45	
II						
初 戌	10	4	15	7	60	狗
		1	15		15	
siŏ cō		2	15		30	
		3	15		45	Keŭ
I						Canis minor
正 戌		4	15	8	60	
		1	15		15	
iŏ chím		2	15		30	
		3	15		45	
II						

Cjclus Horarius	Semi horae Sinicae	Horarum numeri	Quadrantes.	Minuta Quadrantū	Horae Europeae	Minuta Europaea	Cjclus Animantium
申	初 申	8	4	15	3	60	猴
			1	15		15	
	xiñ cō		2	15		30	
	I		3	15		45	héu
xiñ	正 申		4	15	4	60	Simia
			1	15		15	
	xiñ chím		2	15		30	
IX	II		3	15		45	
酉	初 酉	9	4	15	5	60	鷄
			1	15		15	
	yeù cō		2	15		30	
	I		3	15		45	Kĭ
yeù	正 酉		4	15	6	60	Gallina
			1	15		15	
	yeù chím		2	15		30	
X	II		3	15		45	
戌	初 戌	10	4	15	7	60	狗
			1	15		15	
	siŏ cō		2	15		30	
	I		3	15		45	Keŭ
Liŏ	正 戌		4	15	8	60	Canis minor
			1	15		15	
	siŏ chím		2	15		30	
XI	II		3	15		45	

Cyclus Horarius	Semi horae Sinicae		Horarum numeri	Quadrantes	Minuta Quadrantum	Horae Europeae	Minuta Europaea	Cyclus Animantium
亥	初	亥	11	4	15	9	60	猪
	hái	cō		1	15		15	
				2	15		30	
				3	15		45	
hái		I						chū
	正	亥		4	15	10	60	Porcus
	hái	chím		1	15		15	
				2	15		30	
				3	15		45	
XII		II						
			12	4	15	11	60	

Numus Sinicus
Adpag. 16.

Ex museo Illustrisimi atque
Excellentisimi Comitis de Osterman etc. etc.









	Calmucice.	Mungalice.	Mandgjurice.	Tangutice.
	Arban chojer Octorguin Temdec.	Arban chojar Octarguin Temdec	Abcai dschuan dschua erin	Dschu ni Namcai Tsan.
1. ♓	Bars.	Bars	Tascha.	Dac
2. ♈	Toulaj.	Taulaj	Hulmachun.	Io.
3. ♉	Lu.	Lu.	Muduri.	Bruc
4. ♊	Mogoj	Mogaj	Meiche	Brul.
5. ♋	Morin.	Morin	Morin	Da



































	Calmucice	Mungalice	Mandzjurice	Tangutice
6. ♉				
	Choin.	Choni.	Chonin.	Luc.
7. ♍				
	Metschin.	Betschi.	Boniu.	Breu.
8. ♐				
	Taca.	Takija.	Tschocu.	Dscha.
9. ♑				
	Nochoj.	Nochaj.	Indachun.	Tschi.
10. ♐				
	Gachaj.	Gachaj.	Ulgijan.	Pac.
11. ♑				
	Chuluguna.	Chuluguna.	Singeri.	Dschib.
12. ♒				
	Ulker.	Ulker.	Ichan.	Lang.

THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI

REGIOMONTANI

DE

HORIS SINICIS

ET

CYCLO HORARIO

COMMENTATIONES

ACCEDIT

EIVSDEM AVCTORIS

PARERGON SINICVM

DE

CALENDARIIS SINICIS

VBI ETIAM QVAEDAM IN DOCTRINA TEMPORVM SINICA EMENDANTVR.

PETROPOLI

TYPIS ACADEMIAE SCIENTIARVM cIↃ IↃccXXXV.

ERNESTO IOANNI

S. R I. COMITI

BIRONIO

IMPERATORIAE MAIESTATIS

TOTIVS RVSSIAE

SVPREMO CAMERARIO

ORDINVM

S. ANDREAE AQVILAE POLONI

CAE ET S. ALEXANDRI

EQVITI

LIBERO DYNASTAE
WARTEMBERGI
IN SILESIA
CASTRI VENDENI ET TERRARVM
FREVDENBERGAE PALZEMERI SVE
TEHOVI PLATHONES MVREMVI
SES BERSTELENI
ET
RVHENDALENSIVM PRAEDIORVM
DOMINO HEREDITARIO
HOLMENHOVI ET VVRZAVIENSIVM PRAEDIORVM
DOMINO
CET. CET.
D. D. D.
AVCTOR



PLena ſunt haec tempora et meritorum in publicam rem excellenti laude tua et felicitatis caeleſti prouidentia tibi tributae iucundiſſima recordatione. Quae enim ſuperi-

oris anni principio, AVGVSTAE conſiliis, ad orbis terrarum ſalutem ex praeſentiſſimo vindicandam diſcrimine, ſociorum libertatem incolumitatemque a praecipiti et lubrico gradu ad priſtinum ſtatum reuocandam, hoſtium optimo publico et tranquillitati inſidiantium retundendam ferociam, ciuium ſeruandam fortunam et exornandam deſtinari desponderique ſenſimus, ea *omnia fortunatiſſimis* ſucceſſibus, tot rebus terra marique geſtis, tanto tamque celeri victoriarum omnis generis curſu, ſapientiſſimis denique ad vtilitatem populi decretis conſtituta eſſe, etiam atque etiam laetamur. Sed multa alia interuenerunt, quae praeuideri et votis praecipi non poterant, AVGVSTA vero, in publi-

ca

ſca commoda dignamque immortalitate nominis ſui gloriam vertit, vt quamuis illa non fuiſſent perpetrata, tamen, quotiescumque haec cogitaremus, toties nobis illius diuinarum virtutum veniret in mentem. Hae res ac tantae, tamque illuſtres, omnium in vniuerſum gratulatione celebrantur, vnde ad te, Illuſtriſſime Comes, exoptatiſſimus, pro tua ſingulari in AVGVSTAM fide, fructus redundat, quia tum demum beatiſſimum te eſſe iudicas, vbi AVGVSTAM accumulatiſſimis cernas gloriae proſperitatisque decoribus quam florentiſſimam. Quanto autem illuſtriora tantis in negotiis promerita exſtant tua, tanto maiorem tui admirationem concitaſti. Ita nos priuatim quoque te, Illuſtriſſime Comes,

mes, noua et ſplendoris et patrimonii acceſſione auctum, valetudinem vero tum reſtitutam cum adfligeretur, *tum* in poſterum confirmatam maximis grauiſſimisque muneribus obeundis parem *fuiſſe* gaudemus. Quare Academia, vt ſuperiori me anno, difficillimis temporibus et dubiis bene voluere, ita nunc gratulari iuſſit et ampliora vota concipere. Quod cum ex illius *decreto facio, haud poſſum* dicere, quanta me verecundia ſubeat, quod nullum aliud ingenii qualiscumque munusculum, quam hoc tenue paucarum paginarum tibi conſecro. Tua quidem, Bironi Excellentiſſime, illa gloria eſt, quod, quantum generoſiſſimus animus tuus optimis artibus tribuat, nobis vero concedat, quam ad iuuandum cupidus, procliuis ad commu-

municandum, ad indulgendum denique facilis ſit, tum maxime exiſtimare ſecum quisque poterit, cum hanc meam audaciam tua fidentem gratia intuebitur: ego autem, quomodo me defendam tuisque ſummis occupationibus obſtrepentes litterulas meas quemadmodum contra grauiſſimas prudentium hominum voces ſcuto aliquo muniam, profecto non inuenio. Vtcumque aliorum iudicio cadam, ſatis mihi eſt, quod in tua admirabili clementia acquieſco, plus etiam quam ſatis, quod acquiescere per te mihi licere ſcio. Pro illa tua in Academiam nosque vniuerſos incredibili voluntate, quam ex multis atque ingentibus AVGVSTAE beneficiis, ex illo in digniſſimum virum vigilantiſſimumque pro ingenuarum artium dignitate et ſtudioſiſſimum

noſtri, collato litterarum noſtrumque omnium patrocinio, ex hac denique munificentiae, quae exſpectationem exſuperat, deſtinatione perſpectam explicare, maioris opus ingenii eſt, etſi nequaquam pares tuae beneuolentiae, at pro noſtra obſeruantia, meritas gratias debitasque agimus, deum autem immortalem veneramur, vt ſalutaria publicae rei conſilia ſupra vota porro proſperet, te vero domumque tuam omnium caeleſtium munerum humanarumque fortunarum copia adfluere velit. Petropoli XI. Kal. Dec. clↄlↄccxxxv.

DE

DE

HORIS SINICIS

ET

CYCLO HORARIO

COMMENTATIONES

AD

Alphonſum Vignolium

Aſtronomum Regium, Chronologorum noſtri Seculi principem.

Vae in Muſeo Sinico de doctrina temporum dixi, vt tum ex iis auctoritatibus atque teſtimoniis, quae exſtabant, intelligere potui, illa equidem, Vignoli praeſtantiſſime, non diſſimulaui, partem non ſatis a me explicata, partem ab erroribus non aliena videri eſſe. Haud ita multo poſt, et impenſe egregia et neceſſaria ad huiusce chronologiae lucem contuliſti, (*a*) praeſertim in cyclo menſium dierumque: nobis quoque, poſt Muſeum editum, in feſtiua ſubſidiorum copia, meliori cum voluptate ac fructu verſantibus, multa in hanc rem obſeruata fuerunt. Vnum me in eximio ſcripto tuo atque in perhumana nominis mei operaeque nauatae et mu-

(*a*) Miſcellaneorum Berolinenſium Tomo IV. p. 24. ſeq.

tuae amicitiae recordatione nonnihil perculit, quod, vbi nondum satis cognoueram, quae de cyclo dierum enunciaueras, id ipsum autem iis verbis, quae te minime laederent, posueram, submolestе te tulisse animaduerti, atque secus, quam vellem, interpretatum. (*b*) Caussam apud te ipsum iudicem dicam paucis verbis; tantum enim aequitati tuae tribuo: Bibliotheca Germanica cum ista scriberem aegerrime nos caruisse, carere autem oportuisse. Quare nolim ego, offensiuncula aliqua facta sit animi tui mitissimi: tu de mea erga te tuaque promerita constantissima voluntate, pro veteri amicitia nostra dubitare noli. Hoc potius agamus, vt, quia mihi a te hic honor est tributus, quod a me excitatum te esse scribis, ipse contrario a te incensus, noua quaedam in illam obscurissimam doctrinae partem cum honorificentissima nominis tui memoria contribuam. Dicam hoc loco de Cyclo horario Sinico, quem a me tenuiter ac mendose propositum, a te praetermissum esse video. Adiungam de vndecim annorum ephemeridibus Sinicis Παράρτημα, quod tuas de cyclis mensium dierumque rationes confirmabit et perficiet. Errores etiam quosdam, qui in doctrina temporum Sinica exstabant, quantum tempus locusque patientur, hac occasione tollendos, nonnulla denique ad chronologiam orientalium populorum illustrandam, admiscenda iudicaui.

I. Ho-

(*b*) pag. 39.

I. Horam Sini 時 *xi* vocant, quod proprie *tempus* et *quae in tempore fiunt* et *rerum opportunitatem* significat.

Naſſireddinus Etruſaeus et ſecundum eum Mahmud Schah Cholgius et Ali Birgjendi diem ciuilem a Cataeis in 12 جاغ *Tſchag*, *horas*, diuidi tradidere. Andreas Muller in diſquiſitione de Chataia, (1) hanc vocem Sinicam eſſe cenſuit et pro ea arripuit characterem, qui ab eo ſic ſcribi debuiſſet 朮 *cha*, nihil autem ad hanc rem ſenſu ſuo continet. (2) Immo جاغ vox Turcica eſt et Perſica, quamquam Mesgninus Meninskius (3) annotauit, rarius occurrere. Poteſt fieri, vt a Naſſireddino ex Sinicorum philoſophorum excepta ore inflexaque Perſice, ob auctoritatem huius aſtronomi in vulgarem vſum emanauerit. Videtur autem Naſſireddinus inaudiuiſſe Sinicum *xa*: vt, cum dicunt 漏沙 *xa lieu*, *clepſydram*, *horologium ex arena*: nam *xa* proprie *arenam* ſignificat.

II. Vnaquaeque hora Sinica aequalis eſt duabus Europaeis.

(1) p. 41. (2) R. P. Dominicus Parrenin in Lexico ſuo exponit: *Tabulas aptas ad aliquid deſcribendum, ſquamiferam loricam, epiſtolam, mortem, peſtem valde ſaeuam, mori in adoleſcentia vel ex peſte, exſtirpare, conſcindere chartam &c.* (3.) Theſauri Orientalis t. 1. p. 1552.

Apud Iapanenſes eandem horarum rationem eſſe, ex duobus Iapanenſibus borealibus, qui domi meae fuerunt, cognoui.

In quibusdam Indiae locis, vt Tanſchauri, vbi initium diei ciuilis ab ortu ſolis eſt, dies naturalis in 12 *Tas* ſeu *horas* diuiditur: nox in alias 12 *Tas*, quae propter ſitum regionis non admodum inaequales videri poſſunt. Aſtronomi autem diem ciuilem in 60 partes diuidunt, in Kirendum *Gh'ad'ica* ſeu *Nadi*, Tamulice *Nar'h'igei* dictas, vt talis hora Indica aequalis ſit 24 minutis noſtris, et horae Indicae $2\frac{1}{2}$ aequales ſint 1. Europaeae. Deinde hora vnaquaeque in duas ſemiſſes et quatuor quadrantes diuiditur. Haec plenius cognoscentur, quando R. Chriſtophori Theodoſii Vualtheri, Miſſionarii Danici doctrinam temporum Indicam meo hortatu copioſiſſime explicatam euulgabimus. Hic autem illa monenda duximus ea fini, quod haud fere dubito, aliquid eiusmodi aut obſeruatum olim fuiſſe a Sinis, aut adhuc obſeruari. Brahmanes ſeptentrionalis Indiae alia forma vtuntur, quam nondum explicatam tenemus. Vt a Sonhara Multanienſi accepi, diei naturalis घाड़ी *Gharha* ſeu *horae* ad clepſydram exactae ſunt 32: totidem horae noctis: in ſumma 64 diei ciuilis. Vnaquaeque घा ड़ी *Ghari*, *hora*, continet ſua पले *pale*, 66 quaſi minu-

ta:

ta: vnaquaeque पला *pala* iterum in momenta minima diuiditur. Vnumquodque tale momentum अपे:जुनकुरा *ake gjambakon*, id eſt, *oculi nictus* vocatur. Quae cum mihi admodum παϱάδοξα ſint viſa, apponenda iudicaui, vt explorarentur.

In quauis vrbe Sinica turris eſt, ex qua clepſydra horam oſtendit. (4) Nam ex vno vaſe in alterum ſiue aqua effluit, vt ſit clepſydra vera, quae vocatur 流水 *xui lieu*, *aqua effluens*, ſiue *arena*, quae vocatur *xa lieu*, iis characteribus, qui ſupra iam occurrerunt et 漏砂 *xa leu*, *arena fluens*. Vtrumque horologii genus 漏刻 *ke leu* appellatur, quaſi dicas, *quadrantes fluentes*.

III. Dicunt Sini, vnamquamque horam habere 本 *puen*, *principium*, 中 *chum*, *medium*, et 末 *mo*, *finem*. Sunt haec vero puncta, quibus hora init, media eſt, et definit. Sed haec ad diuiſiones chronologicas non pertinent.

 IV. Vna-

(4) Confer Muſeum Sinicum t. II. p. 336. Auctorem habui Martinum Martinium in Atlante Sinico.

IV. Vnaquaeque hora Sinica in duas ſemihoras diuiditur, quarum vna vni horae Europaeae aequalis eſt. Prior dicitur 初 *ço*, *iniens*, *ingrediens*, poſterior 正 *chim*, *recta*, *vera*.

V. Vnaquaque ſemihora in quatuor 刻 *ke* ſeu *quadrantes* diuiditur, aequales quadrantibus Europaeis. Sunt igitur in hora Sinica 8 *ke*: at ſeparatim in ſemihoris numerantur: e. g. ſemihorae *ço* 1^{m}. 2^{m}. 3^{m}. 4^{m}. *ke*, ſemihorae *chim*, 1^{m}. 2^{m}. 3^{m}. 4^{m}. *ke*. Dicuntur quoque 刻 慶 *kim ke* i. e. *annumerati quadrantes* et 刻 時 *xi ke*, i. e. *horarii quadrantes*.

Naſſireddinus, quique eum ſunt ſecuti, horam in 8. ﻛﻪ *ke*, Sinica voce in vſum recepta diſpertiunt.

VI. Vnumquodque *ke* diuiditur in 15 分 *fuen*, aequalia minutis noſtris. Numerum 15^{m}. non excedunt. Nam licet vnaquaeque ſemihora 30. minuta habeat, nihilo minus tantummodo minuta quadrantium recenſentur.

Naſſireddinus aliam diuiſionem a philoſophis Sinis accepit. Nam vnum *ke* in $104\frac{2}{6}$ 分 *feng* ſeu *fuen* dispertit. Quoniam vero idem toti diei ciuili 10000 *fuen* attribuit, ex eo apparet, ſcripſiſſe eum $104\frac{1}{6}$ *fuen* vnius *ke*, vt eſt apud Vlugbegum, qui Naſſireddinum in ſuos commentarios transtulit.

Andreas Muller in disquiſitione de Chataia (5) *fum* legit et characterem *fum*, *Phoenicis Sinici* corruptiſſime ſcriptum repoſuit illius loco, quem nos dedimus ſupra.

VII. Minutum ſecundum vocatur 秒 *xao* vel *miao* quod *paruum*, *breue* ſignificat: rem ipſam ne Aſtronomi quidem Sinici in obſeruationibus ſuis curant.

VIII. Prima hora Sinica incipit ante mediam noctem, ita vt punctum mediae noctis et initium diei ciuilis Sinici mediam in horam primam, meridies vero mediam in horam 7^{m} Sinicam incidat.

Hoc fere perpetuum habent Sini in diuiſionibus ſuis, vt ſemper media ſectentur, neque ab vno et eodem puncto plures vna diuiſiones exordiantur. Ita in ecliptica 24. *cie ki* in medio ſigno *çu cum* incipiunt. Quod in tota doctrina temporum, omnibusque annorum, menſium, dierum cyclis obſeruatur.

IX. Ho-

(5) pag. 41.

IX. Horae duodecim vocantur vel nominibus cycli horarii ſeu dodecaeteridos, vel nominibus duodecim animalium.

X. Cyclus duodenarius vocatur 支 *chi*, id eſt, *arboris rami*, ad differentiam cycli denarii 干 *can*, id eſt, *truncus arboris*.

XI. Nomina cycli duodenarii ſunt: 1. *çu*, 2. *cheu* 3. *yn* 4. *mao* 5. *xin* 6. *ſu* 7. *u* 8. *vi* 9. *xin* 10. *yeu* 11. *ſio* 12. *hai*. Characteres vide in tabula quam his commentationibus ſubiungemus.

Eadem nomina iisdem characteribus, Eclipticae ſignis tribuuntur, vbi *çu* eſt Aquarius, cetera deinde contra ſeriem ſignorum noſtrorum diſponuntur. Dicam in Parergo de ea re amplius.

In Muſeo Sinico dixi, eadem nomina etiam menſibus attribui. Nunc me in eo auctor Lexici *Hai pien* confirmauit, quod primo codice menſes ſecundum ordinem cycli duodenarii recenſet, adiecto cuique *yve*, i. e. *menſis* nomine. At in Calendariis Sinicis menſes tantummodo ſecundum cyclum ſexagenarium citantur. (6) Quod quidem non *ſaepe fit*, vt Franciſcus Natalis ſcripſit, ſed perpetuo. Menſis intercalaris et numero et nomine

(6) Emenda igitur, quae Muſei Sinici t. 11. p. 337. l. 15. ſeq. dixi.

ne praecedentis menſis cenſetur, ſolum adiecto 閏 *yun* i. e. *intercalaris* (7). Exempli gratia, A.C. 1732. poſt quintum menſem fuit *yun u yve ta*, *intercalaris quintus menſis*, *magnus*, i. e. 30. dierum, (ſunt enim quidam intercalares 29. dierum) nullo cum charactere ſexagenario, quia *pim u* ex ſuperiori in hoc quoque menſe manet. (8) Itaque cum in anno embolimaeo 13 menſes ſunt, tamen 12 tantum numerantur. In diebus vero menſis intercalaris cyclus ſexagenarius nihilo minus procedit.

Praeterea Sini 12 vncias cuiuscumque asſis nominibus cycli duodenarii annumerant. Sic auctor lexici *çu gvey* characteres ſuos in 12 集 *cie* ſeu *collectionibus* diſpoſuit.

Iisdem vtuntur in plagis mundi denominandis, quemadmodum a me obſeruatum fuit in pyxide magnetica Sciaterici aequinoctionalis, quod Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus S. R. I. Comes Bironius et Liber Dynaſta in Sileſia, Auguſtae Imperatricis Supremus Camerarius et Eques, pro reliqua ſua in bonas litteras munificentia nobiſcum communicauit. Illius picturam appoſui, quam breui digreſſione et Tab. I.

(7.) Andreas Muller l. c. ſubſtituit 纯 *çun*, charactere praeterea deprauato, qui numquam *intercalarem* ſignificauit, ſed *purum*, *integrum*, *optimam*, *non mixtum*, *perfectum*, *ſummum*. (8) Confer quae Vignolius p. 31. obſeruauit.

in hoc argumentum non inutili explicabo. *Sciatericum solare* Sini vocare solent 晷月 *ge quei.* Est autem *quei*, *hora* et *medii solis vmbra.* Inde iam 晷平 *pim quei*, *horologium horizontale*, 晷竪 *xu quei*, *horologium verticale* et 晷共 *cum quei*, *vniuersale.* Iam hoc ipsum sciatericum verticale (A) continet duodecim horas litteris istis, de quibus sermo est, inscriptas. In centro circuli stylus est aeneus, qui ad vmbram praebendam erigatur. Est autem in lamina eburnea, quae in BB cohaeret cum tota capsula, ita vt super CD incumbat et attolli possit. Lamina aperta sub se alium stylum habet mobilem, per quem in subiectis punctis eleuari queat, vt ex figura E percipietur. Haec interior pars, duabus seriebus C et D 24 氣節 *cie ki* exhibet, in quae Eclipticae signa duodecim et anni cuiusque tempora diuiduntur. Incisa sunt haec *cie ki* caeruleo colore, praeter duo, quae rubra sunt. Series prima C incipit in summo a 22° *cie ki* et deinde pergit in 23° 24° 1° 2° etc. donec in 10° desinat. Altera series ab imo procedit versus summum et ab eodem 10° *cie ki* exorsa in 22° terminatur. Ita 22^{m} et 10^{m} bis ponuntur. Praecipua in his sunt, in prima serie 5^{m} *cie ki*, *chun fuen*, *veris medium*, in quo aequinoctium vernale esse oportet, in altera 16^{m} *cieu fuen*, *medium autumni*, in quo aequinoctium au-

…terricum Sinicum
Verticale



…strissimi atque Excellentissimi
…mitis de Biron etc. etc.

Sciatericum Sinicum Verticale





Ex museo Illustrissimi atque Excellentissimi S.R.S. Comitis de Biron etc. etc.

autumnale. Ipsa nomina *cie ki* in Museo Sinico explicata, (8) hoc loco repetere non vacat. Pyxis magnetica F duos habet circulos. Interior diuisus est in octo partes inscriptusque primum quatuor cardinalibus plagis 西 南 東 北 *pe, septentrione, tum, oriente, nan, meridie, si, occidente.* Quatuor plagae interiectae totidem nominibus ex *pa qua* citantur. Horum *pa qua* inuentorem *Fo Hi*, primum mortalium ferunt, qui ea in draconis tergore descripserit. Principia eorum *pa qua* sunt duo: linea recta — et altera linea in medio sic — — dirempta, quae etiam habetur veluti vnus I. Illa vocatur 陽 *yam*, perfectum, forma, materia in motu suo et quicquid in perfectis censetur e. g. *caelum, sol, ignis, dies, sexus virilis*: haec est 陰 seu 阴 *yn* (vtroque enim charactere scribitur) imperfectum, obscurum, materia rudis et indigesta, quidquid denique imperfectionis aliquid continere visum est, e. g. *terra, luna, tenebrae, nox, sexus sequior.* Harum litterarum tres compositae efficiunt vnum *qua*: vniuersa vocantur 卦 八 *pa qua*; quia numero sunt octo. (9) *Qua* seu *sortes* dicuntur, quia in diuinationibus adhiberi solent. Binae sortes ex *pa qua*

(8) Trmo II. p. 343. Sed toto in Sciaterico quaedam litterae propter minutiem detruncatae, non veram et plenam characterum formam seruant. (9) Confer omnino, quae Philippus Coupletus in proëmio Scientiae Sinensis de libro *Ye kim* dixit.

vario ordine inter ſe compoſitae et commiſſae per artem combinatoriam 卦四十六 *lo xe ſu qua* ſeu 64 *qua* dicuntur. Hic ille integer liber Fohianus eſt, qui in *Te kim* et deſcribitur et explicatur. Vnicuique ex *pa qua* peculiare nomen eſt. Nos heic ſortes illas ex *Te kim* reponemus:

8 7 6 5 4 3 2 1



坤艮坎巽震離兌乾

1. *kien*, *Caelum materiale.*
2. *tui*, *Rem cum re permutare*, *laetari.*
3. *ly*, *Diuelli paullatim*, *inuicem ſeparari.*
4. *xin*, *Profundiora domus.*
5. *ſun*, *Humile*, *obſequens.*
6. *can*, *Inaequalitas terrae*, *intemperies temporum.*
7. *ken*, *Terminus*, *pars rei.*
8. *quen*, *Terra.*

Totum hoc ſyſtema in *Te kim* vocatur 太極 *tay kie*, *magnus circulus*, *magnus polus*, quod nomen etiam maiori ſyſtemati 64 *qua* tribuitur. Multa alia in diuiſione illa obſeruata ſunt, quae conſulto praetermittimus. Vnum tamen huc pertinet, quod haec *pa qua* in circulum figura octangulari, vt octo mun-

mundi plagae referantur, disponi ſoleant, quae figura in *Je kim* 位方卦八 *pa qua ſam gvey*, *octo ſortium mundus* appellatur. Ita 64 *qua* in perfecto circulo deſcripta, *lo xe ſu qua ſam gvêy* ibidem dicuntur. Sed aliter *pa qua* in octangulari figura diſpoſuit 羲伏 *Fohi*, (10) aliter 王文 *Ven vam.* (1) Non ero in his longior, tantum obſeruo, in circulo circa pyxidem, quatuor *qua* 1. 5. 7. 8. ſecundum *Ven vam* diſpoſita, cetera *qua* in medio collocata haberi, quae his quoque in ſpatiis, in quibus quatuor plagarum cardinalium nomina inſcripta ſunt, ſubintelligi debent. Hoc enim ordine ſecundum *Ven vam* in octangulari domo ponuntur 1 2. 8. 3. 5. 4. 7. 6. Exterior circulus vnamquamque harum octo partium in tres alias aequales partes diuidit, vt vniuerſim 24 plagae deſignentur. In earum nominibus adhibetur cyclus duodenarius, qui ab ipſo ſeptemtrione exorſus orientem petit, a dextera verſus ſiniſtram circulum obiens, ſemper alternis ſpatiis relictis inter duo nomina ſua. In his mediis ſpatiis nomina ex cyclo denario poſita ſunt, ex quibus duo characteres reiecti fuerunt, qui cum duobus aliis ex cyclo duodenario in forma aliquantum conueniebant. Eorum loco quatuor *qua* nomina ſub ipſis interioris circuli ſignis collocata, numerum duodenarium explent. Cycli denarii primum

(10) In *Te kim* l. c. p. 3. (1) ib. p. 6.

nomen *kia* poſt tertium duodenarii cycli ponitur et ita ſiniſtram verſus reliqua. (*) Cum multa alia in hanc rem moneri poſſint, tamen digreſſionis ſic ſatis longae memor, ea ab hoc loco ſecludenda eſſe cenſui.

Franciscus Natalis (2) obſeruauit, duodecim has partes horarias ab eruditis Sinis praeterea etiam aliis nominibus, ſplendidioribus puta, ad eloquentiae oſtentationem nuncupari, e. g. çù dici *quen tun, principium rerum.* Sed haec ad nos non pertinent.

XII. Quemadmodum Sini in annumerandis horis et earum partibus ſeſe gerant, ex iis, quae ſubieci exemplis cognoſcetur.

Dicunt Sini:

亥 *Hai* Hai horae
初 *ço* ineuntis
三 *ſan* tertio
刻 *ke* quadrante (exacto)
六 *lo* ſexto (praeterea)
分 *ſuen* minuto.

Id eſt, poſt 9^m Europaeam elapſam, decimae horae 51°.

Di-

(*) Pyxis nautica, quam Illuſtris Hans Sloane in tabula geographica Iapaniae exhibuit, tantum in 12 partes diuiditur, quae nominibus cycli duodenarii appellantur. (2) Obſeruationum mathematicarum p. 58.

Dicunt eundem in modum de altera ſemihora: *hai chim ye ke ye ſuen. Hai*, (*horae*) *parte poſteriori, primo quadrante* (*elapſo*) 1° *praeterea minuto.* Id eſti vndecimae Europaeae procedentis 16°.

Dicunt: *çu ço ſan ke*, ſine mentione minut, reſidui, *çu* (*horae*) *initae, tertio quadrante.* Id eſt, ipſo 15° minuto tertii quadrantis, ſiue 12 Europaeae 45°.

Dicunt: *hai ço ço ke. Hai* (*horae*) *priori parte, ineunte quadrante*, ſeu quadrantis primi, minuto 1° ipſo horae initio.

In hoc genere dicendi *ço* praecedit: cum enim ſequitur, ſignificat quadrantem primum elapſum, e. g. *ço ke u ſuen, primi quadrantis* 5° *minuto*: at *ke ço u ſuen, quadrante primo* (*exacto*) *quinto* (*poſt*) *minuto.*

Primum quadrantem raro, numero *ye*, *primum*, ſed *ço*, *ineuntem* dicunt: ceteros vero quadrantes *lh*, *ſan*, *ſu*, *ſecundum*, *tertium*, *quartum*, ceteros deinceps ſuis numeris citant.

XIII. Habent praeterea Sini cyclum duodecim animalium, 1. *xu*, *Gliris*, ſeu *Muris*, 2. *niu*, *Bouis*, 3. *hu*, *Tigridis*, 4. *tu*, *Leporis*, 5. *chum* vel *lum*, *Draconis* ſeu *Serpentis venenoſi*, 7. *ma*, *Equi*,

Tab.II-VI. 8. *yam*, *Ouis* ſeu *Caprae*, 9. *heu*, *Simiae*, 10. *ki* *Gallinae*, 11. *keu*, *Canis*, 12. *chu*, *Porci*. Characteres vide in tabula.

Quemadmodum Sinenſes haec animalia pingant, ex duobus numis maximi moduli (ſi modo numi dicendi ſunt) qui in cimeliarchio Illuſtriſſimi et Excellentisſimi Comitis Oſtermanni Procancellarii Imperii Rusſici, a me viſi ſunt, intelligi poteſt. Alterius
Tab. VI. eorum ἔκτυπον tabulae horariae ſubieci, qui $2\frac{1}{2}$ ſemiunciam Colonienſem pendebat. In interiori circulo nomina horaria ſunt: in medio ornamenta quaedam, quod monendum duxi, ne quem ignarum haec fallant, veluti ſi litterae eſſent: in exteriori imagines animantium. In auerſa *mirae formae* exſtant, quas Oedipus ſi quis ſit, explicare tentet. Inſcriptio: *kia quon çin lo*: *aucti Mandarini promota* (*ad ſtipendium capiendum*) *felicitas*. Ex quo titulo ſuspicio mihi eſt mota, huncce numum in examinibus Mandarinorum diligentiae praemium ſolere ſtatui.

Franciscus Natalis: *vt praedicta*, inquit, *litterarum ſeries facilius a rudibus memoria teneretur*, *adaptarunt vnicuique litterae vnum beſtiae nomen correſpondens*, *v. g. litterae* çu, *correſpondet nomen* xu, etc. Mihi vero nihil fit veroſimilius, quam Sinenſes haec duodecim animantium nomina a vicinis gentibus accepiſſe. Vtuntur enim eisdem Mangjuri, Mungali, Calmuci, Tangutani. Illarum gentium duodecim nomina, quibus et zodiacum et horas, menſes, annos ap-

appellant, a Basilio Michaelis filio Pacunino, Secretario Collegii Imperatorii exterorum negotiorum nactus, hoc loco ponam in tabulis. Omnes recensionem ordiuntur a Piscibus. Tab. VII. VIII.

Turcarum veterum duodecim animalia Iacobus Golius in additamentis ad Martini Martinii Atlantem Sinicum ex Nasfireddino Ettusaeo edidit. Huius Nasfireddini liber de epochis, ab Vlugbego Principe siue adoptatus, siue surreptus, a Ioanne Grauio euulgatus fuit.

Quamquam autem hic cyclus, si annōs et mensēs videas, solarem annum requirit, ex veteri instituto tamen eundem Mahumedani illis in regionibus retinuerunt. Idcirco Abulgasus Bahadur Chan in *Turcica genealogia*, ista annorum nomina cum annis Hegjrae coniungere solet. Vt illius rei rationem tenerem, virum orientalibus linguis eruditissimum, Georgium Kehrium permoui, vt a Bocharensibus legatis cognosceret. Cognouit autem ex legatorum Sacerdote مولى حسن *Mulla Chasan*, apud Mahumetanos illarum regionum et annos Hegjrae et menses Arabicos omnibus in scriptis et actis publicis priuatisque locum tenere. Formam vero anni solaris et duodecim animantium nomina tantummodo agricolarum caussa seruari, qui annus circiter 10. Martii Iuliani ineat: hinc enim anni tempestates pendere et agri colendi compendia. Vnicuique anno ab eorum animalium aliquo nomen esse: vt huic 1735. *Lepo-*

ris. (3) Haud fere dubito, totam formam anni huius ſolaris Bucharorum eandem eſſe, quae olim fuit apud Sinenſes vicinosque populos, atque vti deſcripta eſt a Naſſireddino. Ceterum ſua quisque populus lingua haec animantium vocabula enunciat. In Turkeſtan, vrbe Tuſchkend, Jerkend, Kaſchgir, Choten, nomina Turcica in vſu vigere, ab eodem Mulla cognitum eſt. Quibus Bucharenſes in Buchara, Samarcand, Contus vrbe, Balch, Badachſchan, Anderabe vtantur, idem Mulla recenſuit. Sunt autem haec Perſica:

موش	*Muſch*	Mus
بقر	*Bakar*	Bos
پلنك	*Peleng*	Tigris
خرکوش	*Chercuſch*	Lepus
نهنك	*Neheng*	Crocodilus
مار	*Mar*	Serpens
اسب	*Eſb*	Equus
کوسفند	*Gusfend*	Ouis ſeu aries
حمدونه	*Hhemduneh*	Simia
مرغ	*Murg*	Gallina
سك	*Seg*	Canis
خوك	*Chuk.*	Porcus.

Eodem ordine haec animalia recenſentur, quo a Sinenſibus ſolent disponi. Ad horas diei noctisque a Turceſtanis et Bucharis adhiberi non item co-

(3) Idem huic anno apud Sinenſes nomen eſt.

cognoui. Eſt tamen veroſimile, quod, cum haec ex veteri aliquo populi aſtronomiae ſtudioſi inſtituto tracta fuerunt, priscis temporibus etiam horarum cyclo inſeruierint.

XIV. Hunc cyclum Sinenſes non niſi in ſuis 占 *chen, Electionibus* et praeſagiis Aſtrologicis adhibent. In calendariis nusquam occurrit.

Modum vero, quo in praeſagiis ſuis illo opus habent, R. P. Antonius Gaubil S. I. in epiſtola ad Ioſephum Nicolaum Delislium noſtrum, nuper ſic explicuit. "Diuinationes illae nixae ſunt in an-" no dieque cycli: e. g. 10^{s} annus *Tum Ching* eſt" 49^{s} cycli ſexagenarii, qui appellatur *gin çu*, ſeu" *glis maior nigra*: dies eclipſeos eſt 9us cycli ſexa-" genarii dierum et vocatur *gin xin*, ſeu *Simia ni-*" *gra*: hic annus habebit 5^{m} lunam intercalarem," quod etiam praeſagiorum argumentum eſt: ſignum" in quo luna eſt, eſt *Tigris*, conſtellatio eſt pars" eius, quam *ta ho*, ſeu *ingentem ignem* appellant:" eclipſis eſt totalis cum mora et durat per ho-" ras *canis*, *porci*, *gliris*. Omnia haec examinan-" tur et tum millia ſtolida dicuntur, quae non pu-" blicantur, niſi ſi qua occaſio ſit adulandi Prin-" cipis."

XV. Quae hic pertexuimus, ea praeter accuratiorem temporis Sinici cognitionem, hanc vtilitatem importabunt, quod eorum ope Aſtronomi Sinicas eclipſium praedictiones in horis et earum partibus interpretari poterunt. Quia autem conſtellationum caelique Sinici formula eandem in rem requiritur, eorum omnium copiam alio tempore lectoribus faciemus. Nunc ea quae ad horas Sinicas et cyclum horarium pertinent, perſpicuitatis ergo in tabula oculis ſubiecimus.

Ad pag. 16 Tab: II

Cyclus Horarius Sinicus

cum Horis et Minutis Europaeis comparatus.

Omnes numeri hac in tabula tempus completum indicant.

Cyclus Horarius	Semi horae Sinicae	Horarum numeri	Quadrant.	Minuta Quadrantū	Horae Europaeae	Minuta Europ:	Cyclus Animantium
子 çú	初 子 çú çō I	0	0	0	11	60	鼠 xù Mus, Glis.
		0	1	15		15	
		0	2	15		30	
		0	3	15		45	
	正 子 çú chím II	0	4	15	12	60	
		0	1	15		15	
		0	2	15		30	
		0	3	15		45	
丑 chěù	初 丑 chěù çō I	1	4	15	1	60	牛 niêu Bos
			1	15		15	
			2	15		30	
			3	15		45	
	正 丑 chěù chím II		4	15	2	60	
			1	15		15	
			2	15		30	
			3	15		45	

Punctum mediae noctis et initium diei Civilis.

Cyclus Horarius	Semi horae Sinicae	Horarum numeri	Quadrantes	Minuta Quadrantum	Horae Europaeae	Minuta Europaea	Cyclus Animantium
寅 yîn III	初 寅 yín cǒ I	2	4	15	3	60	虎 hù Tigris
			1	15		15	
			2	15		30	
			3	15		45	
	正 寅 yîn chím II		4	15	4	60	
			1	15		15	
			2	15		30	
			3	15		45	
卯 s. 卯 máo IV	初 卯 máo cǒ I	3	4	15	5	60	兎 tù Lepus Cuniculus
			1	15		15	
			2	15		30	
			3	15		45	
	正 卯 máo chím II		4	15	6	60	
			1	15		15	
			2	15		30	
			3	15		45	
辰 s. 晨 s. 辰 xín V	初 辰 xín cǒ I	4	4	15	7	60	龍 chùm vel lúm Draco
			1	15		15	
			2	15		30	
			3	15		45	
	正 辰 xín chím II		4	15	8	60	
			1	15		15	
			2	15		30	
			3	15		45	

Cyclus Horarius	Semi horae Sinicae	Horarum numeri	Quadrantes	Minuta Quadrantum	Horae Europeae	Minuta Europaea	Signa animalium
巳	初 巳	5	4	15	9	60	蛇
sú	sú çō		1	15		15	xê
			2	15		30	Draco, Serpens venenosus.
	I		3	15		45	
	正 巳		4	15	10	60	
	sú chím		1	15		15	
			2	15		30	
VI	II		3	15		45	
午	初 午	6	4	15	11	60	馬
ù	ù çō		1	15		15	mà
			2	15		30	Equus
	I		3	15		45	
	正 午		4	15	12	60	
	ù chím		1	15		15	
			2	15		30	
VII	II		3	15		45	
未	初 未	7	4	15	1	60	羊
ví	ví çō		1	15		15	yâm
			2	15		30	Ovis, Capra
	I		3	15		45	
	正 未		4	15	2	60	
	ví chím		1	15		15	
			2	15		30	
VIII	II		3	15		45	

PARERGON

SINICVM

PARERGON SINICVM

Quoniam Vir eximius meique amantiſſimus, vbi quae de vnico Calendario proletarie, vt tempus locusque ferebant, dixeramus, ea ſibi non ingrata fuiſſe beneuole recordatus, ſimul de me exclamat: *vtinam plura indicaſſet*, (1) ex vndecim annorum ephemeridibus planetariis, quas Reuerendi Viri, Ignatius Koegler Mathematici Tribunalis praeſes, Andreas Pereyra et Carolus Slauicek S. I. Miſſionarii, pro ſumma beneuolentia ſua atque humanitate, Pequino ad me transmiſerunt, nouas ſymbolas proponam. De hac ipſa re alias fortaſſis copioſius agemus.

I. Ephemerides planetariae cycli ſexagenarii LXXIV. anno 40° Epochae XIX^{lis} anno 13° a 5. Febr. Gregor. 1723 - - 25. Ian. 1724. incluſiue: 355. dierum (*Cam Hi* Imp. annus 62us *Jum Chim* Imp. annus 1us)

1us menſis *kiayn*, 30. dierum.
1. 3. 6. 7. 9. 10. 12. menſes ſunt 30. dierum, ceteri 29. dierum.
Ab vndecimo menſe incipit epocha quinquennalis ſequens.

1us di-

(1) l. c. p. 35.

1us dies *ſin ſu*, quo die ſol in *çu cum* ſeu Aquario fuit gr. 15. 29. Conſtellationis *niu*, gr. 7. 33.

II. Ephemerides eiusdem cycli anno 41° Epochae XIX^lis anno 14° a die 26. Ian. 1724. ad diem 12. Febr. 1725. dierum 384.

1us menſis *pim yn*, 29. dierum

2. 4. 6. 8. 9. 10. 12. menſes ſunt 30. dierum, ceteri dierum 29.

Menſis intercalaris poſt 4^m eſt 29. dierum.

1us dies anni fuit *pim çu*, quo die annus exordiebatur ſole in Aquario gr. 5. 5. Conſtellationis *nieu* gr. 4. 49.

1us dies menſis intercalaris *kia ſio*.

III. Ephemerides cycli anno 42° Epochae XIX^lis anno 15° a 13. Febr. 1725. ad 1. Febr. 1726. dierum 354.

1us menſis *vu yn*, dierum 29.

2. 4. 7. 9. 10. 12. ſunt 30. dierum ceteri dierum 29.

1us dies *kem çu*, quo die annus exordiebatur ſole in Aquario 24. 7. Conſtellationis *biu* gr. 4. 31.

IV Ephe-

IV. Ephemerides cycli anno 43°. Epochae XIX^lis anno 16° a 2. Febr. 1726. – – 21. Ian. 1727. dierum 354.

1us menſis *kem yn*, dierum 30.

1. 3. 5. 8. 10. 12. ſunt 30. dierum, ceteri dierum 29.

1us dies *kia u*, quo die annus exordiebatur, ſole in Aquario 12. 42. *niu* conſtellationis 4. 45.

V. Ephemerides cycli anno 44°. Epochae XIX^lis anno 17° a 22. Ian. 1727. – – 9. Febr. 1728. dierum 384.

1us menſis *gin yn*, 30. dierum.

Intercalaris poſt tertium menſem 30. dierum.

1. 2. intercalaris. 5. 8. 10. 12. ſunt 30. dierum, ceteri dierum 29.

1us dies *vu çu*, quo die annus exordiebatur ſole in Aquario gr. 1. 17. Conſtellationis *nieu*, gr. 1. 4.

1us dies intercalaris *tim ſu*.

VI. Ephemerides cycli anno 45°. Epochae XIX^lis 18° a die 10. Febr. 1728. – – 28. Ian. 1729. dierum 354.

1us menſis *kia yn*, 30. dierum.

1. 3. 4. 6. 9. 11. ſunt 30. dierum, ceteri 29. dierum.

Ab vndecimo menſe incipit epocha ſexagenarii cycli menſium.

1us dies *gin çu*, quo die annus exordiebatur, ſole in Aquario gr. 20. 70. Conſtellationis *hu* 1. 42.

VII. Ephemerides cycli anno 46°. Epochae XIX^lis 19° a die 29. Ian. 1729. — 16. Febr. 1730. dierum 384.

1us menſis *pim yn*, dierum 30.

Intercalaris poſt 7^m menſem dierum 30.

1. 3. 4. 6. intercalaris. 9. 11. ſunt dierum 30. Ceteri 29. dierum.

1us dies *pim u*, quo die exordiebatur annus, ſole in Aquario 8. 56. Conſtellationis *niu* 1. 55.

1us intercalaris dies *qvei yeu*.

VIII. Ephemerides cycli anno 47°. Epochae XIX^lis 1° a die 17. Febr. 1730. — 6. Febr. 1731. dierum 355.

1us men-

1us menſis *vu yn*, 30. dierum.

1. 3. 5. 6. 8. 10. 12. ſunt 30 dierum.

1us dies *kem u*, quo die annus inibat, ſole in Aquario 27. 56'. Conſtellationis *hu*, 8. 16'.

IX. Ephemerides cycli anno 48°. Epochae XIX^lis^ 2° a die 7. Febr. 1731. -- 26. Ian. 1732. dierum 354.

1us menſis *kem yn* dierum 29.

2. 4. 6. 8. 9. 11. ſunt dierum 30.

1us dies *ye cheu*, quo die annus exordiebatur, ſole in Aquario 17. 35'. Conſtellationis *niu* 9. 32'.

X. Ephemerides cycli anno 49°. Epochae XIX^lis^ anno 3° a 27. Ian. 1732. -- 13. Febr. 1733. dierum 384.

1us menſis *gin yn*, dierum 30.

Intercalaris poſt 5um menſem.

1. 3. intercal. 7. 8. 9. 11. ſunt 30. dierum, reliqui 29. dierum.

1us dies *ki vi*, quo die annus exordiebatur, ſole in Aquario 6. 10′. Conſtellationis *nieu* 5. 52′.
1us dies intercalaris *pim ſio*.

XI. Ephemerides cycli anno 50°. Epochae XIX^lis anno 4° a 14. Febr. 1733. – – 3. Febr. 1734. dierum 355.

1us menſis *kia yn* 30. dierum.
1. 3. 6. 8. 9. 11. 12. dierum 30.

1us dies *quei vi*, quo die annus exordiebatur, ſole in Aquario 25. 11′. Conſtellationis *hu* 5. 28′.

Ab vndecimo menſe incipit cyclus quinquennalis menſium.

De menſibus Sinicis alio tempore plura conſtitui dicere, cum continuatam XIX^lis Epochae calendariorum ſeriem nactus fuero. Nunc tantummodo quosdam errores in Doctrina temporum a me commiſſos expungam.

Dixi, (2) menſes alios eſſe 29. dierum, alios 30. qui ſe mutuo excipiant. Verum eſt primum: alterum vel ex ſuperiori recenſione menſium dierumque refellitur.

Di-

(2) p. 337.

Dixi, (3) dies menſium numeris recenſeri et *ſaepe praeterea* nominibus ex dodecaëteride. Haec ita me docuit P. Franciscus Natalis. (4) Non ſaepe vero, ſed perpetuum hoc eſt. In numeris autem dierum obſerua, numeris primorum dierum cuiusque menſis etiam intercalaris, vsque ad 10^{m} diem praemitti *ço*, i. e. *iniens*, eodem charactere, quo in quadrantibus ſupra deſcripſi: e. g. *ço ye ge ſin u, ineuntis (menſis) primus dies nomine ſin u. ço xe ge kem yn, ineuntis (menſis) 10us dies nomine kem yn.* Inde iam ab vndecimo ceteri omnes tantummodo numeris et nominibus ſexagenarii cycli recenſentur.

Quae de intercalandorum menſium ratione expoſui, (6) ea rectius et verius poſtea cognoui. Apponam hic grato cum animo ipſa magiſtrorum meorum verba. RR. PP. Ignatius Kögler, Andreas Pereyra, Carolus Slavicek, in epiſtola ad me Pequino 12. Septembr. 1732. ſcripta: *Menſium intercalandorum ratio his temporibus haec vnica eſt, vt ille intercaletur, in quo ſol nullum Zodiaci ſignum ingreditur, quod quidem contingit, anni tertii menſe 5°. anni ſexti menſe 3°. anni octaui menſe 8°. anni vndecimi menſe 6°. anni decimi quarti menſe 4°. anni decimi ſeptimi menſe 3°. anni denique decimi noni menſe 7°.* (7) *Sed hic ordo perpetuus non erit, quia*

(3) p. 339. (4) Obſeruationum Mathematicarum p. 61. (5) Confer. praef. Muſei p. 137. (6) p. 340. (7) Plane vt Dionyſius Peta-

ſyzygiae et □□rae in Calendario accommodantur motui luminarium vero. R. P. Antonius Gaubil indidem ad me 3. Iul. 1732. *Ab omni aeuo Sinenſes Aſtronomi ſuum zodiacum ſuumque aequatorem immobilem diuiſerunt in 24. partes dictas Tsie ki*, (8) *ex iis 24. Tsie ki elegerunt duodecim partes dictas Tchum ki, quibus ſuum 12 menſium lunarem annum diſtinguunt ita, vt, ſi ſpatio vnius menſis ſol non percurreret aliquid ex vno ex illis Tchum ki (nam quilibet menſis, vt olim, ſic nunc, habet ſuum proprium Tchum ki) menſis ille dicitur Jun ſeu intercalaris annusque habet 13. menſes.*

Vt haec plenius intelligantur, paucis monendos duco lectores de Eclipticae diuiſione, quam in mappa caeleſti anno *qvey mao* i. e. A. C. 1723. edita, et a me Latine conuerſa obſeruaui. Eclipticam in 12 *kum, palatia regia ſeu domos caeleſtes*, δωδεκατημόρια noſtra, diuidunt. Vnicuique 30. gradus occupanti nomen eſt ex cyclo duodenario a nobis explicato. Sed haec nomina, aliter, quam a Francisco Natali (9) proditum eſt, nimirum contra ſeriem ſignorum caeleſtium disponuntur: *çu kum, Aquarius, cheu kum, Capricornus, yn kum, Sagittarius, mao kum, Scorpius*, item cetera deinceps. Ha-

uius in Metonico cyclo. V. eius Doctrinam temporum parte I. p. 121. Hunc a Graecis ad Sinas peruenisſe, ex certis argumentis collegi. Quam ſententiam RR. PP. Kögler et Pereyra in epiſtola VII. Kal. Sext. 1734. non modo ſibi placere ſignificarunt, ſed etiam nouis argumentis confirmarunt. (8) Vocabula Sinica in hac epiſtola ori Gallico accommodata ſunt (9) p. 63.

Habent etiam alia nomina, quae ab hummillimis viris nuper ad me transmiſſa ſunt: ſed haec nihil ad hoc negotium. Contra eclipticam diuidunt in 24. 氣節 *cie ki*, q. d. *temperamentum et diſpoſitionem temporum.* Illa vero ſecundum ſeriem ſignorum ita disponuntur, vt vnumquodque *cie ki*, 15. gradus in ecliptica teneat. (10) Primum *cie ki*, non ſimul cum initio primi ſigni ingreditur, ſed in medio ſigno *çu*, alterum a 30. gradu *hai*, tertium a 15. *hai* procedit etc. Rurſum haec 24. *cie ki*, a Sinis in 12 氣中 *chum ki*, i. e. *media ki* diuiduntur, vt duo *cie ki*, ſint vnum *chum ki.* Media ſunt dicta, quia vnumquodque eorum, in medio aliquo ſigno initium habet. Haec menſium Sinicorum menſura et regula eſt. Quatuor autem in his ſunt praecipua, quae ex R. P. Gaubil epiſtola exponam: *chun fuen*, Vernum aequinoctium, quod 2° menſe eſſe debet, *hia chi*, Aeſtiuum ſolſtitium 5° menſe, *çieu fuen*, Autumnale aequinoctium 8° menſe et *tum chi*, Hibernum ſolſtitium 11° menſe. *Si olim*, inquit, *non ſemel ſit erratum in intercalatione, id ortum eſt ex eo, quod Sinenſes non bene perſpicerent aequationes adhibendas ad obtinendum verum ſolis motum: ex obſeruationibus ſolſtitiorum et aequinoctiorum facile videbant, vtrum bene an male notaſſent* 2^m 5^m 8^m 11^m *lunam.*

Quod

(10) Nomina 24. *cie ki* et characteres (quanquam ſic ſatis mendoſos) vide interim Muſei t. II. p. 343.

Quod reliquum eſt, ephemeris eiusmodi vel Calendarium vocatur *ly* aut 曆黃 *Hoam ly*, *Flauum* ſeu *Regium Calendarium*, totaque methodus Aſtronomica, qua Tribunal Aſtronomicum nunc vtitur in ephemeridibus et eclipſibus, quaeue ab Imperatore Cam Hy A. 1669. auctore P. Ferdinando Verbiſtio introducta eſt, dicitur 成考象曆 *ly ſiam cao chim*, id vero eſt: *Aſtronomia perfecta.* Duo characteres praemitti ſolent 製欽 *yu chi* i. e. *Imperatoriis auſpiciis.*



LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH OF THE ROYAL ASIATIC

00050911

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 25 June, 2016